




DE RORE CÆLI — BENEDICTIO Genes. 27. vers. 28. — ET PINGVEDINE TERRÆ

CONVERSIONIS AD FIDEM CATHOLICAM CAVSÆ M. IO. KIRCHERI TVBINGA WIRTEMBERGICI DEFENSÆ,

EIVSDEMQ NATIVO
SERENISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI AC DNO,
DNO EBERHARDO
DVCI WIRTEMBERGIÆ ET TECCÆ, COMITI MONTIS
BELGARDI, DOMINO HEIDENHEIMII etc.
EXHIBITÆ ET CONSECRATÆ



SEMEN PACIS ERIT, VINEA DABIT FRVCTVM SVVM.
Zachar. 8. vers. 12.

Wolfg. Kilian sculp.

Eminentissimo et [illegible] Dno Dno Joanni S.R.E. Cardi[illegible] de Lugo humillime offert Autor

ANTI-DORSCHEVS,

Siue

CONVERSIONIS AD FIDEM CATHOLICAM CAVSÆ M. IOANNIS KIRCHERI TVBINGA-VVIRTEMBERGICI DEFENSÆ,



Eiusdémque Natiuo

Sereniſsimo & Celſiſsimo Principi ac Domino,

D. EBERHARDO

DVCI VVIRTEMBERGIÆ, ET TECCÆ, COMITI MONTIS BELGARDI, DOMINO HEIDENHEMII, &c.

Cui

Eidem Io. Georg. Dorſcheus T. D. & Prof. Argentorat. Hodegeticum, ſiue Kircherum deuium antehac inſcripſit:

EXHIBITÆ ET CONSECRATÆ

A

REVERENDISSIMO DOMINO,

IOANNE

CELEBRIS MONASTERII ELCHINGEN, ORDINIS S. BENEDICTI ABBATE.



Cum Facultate Superiorum.

DILINGÆ,

ANNO CHRISTI M. DC. LIII.

SERENISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

D. EBERHARDO, DVCI VVIRTEMBERGIAE ET TECCÆ, COMITI MONTIS BELGARDI, D. HEIDENHEMII &c

Gratiam & Pacem à Deo Patre nostro, & Domino IESV Christo.



Esqui ferè annus est, cum à Magni nominis Principe, Io. Georgij Dorschei Hodegeticum, (quo M. Ioannis Kircheri Ætiologiam, siue causas, quas suæ ad Romano-Catholicos migrationis reddidit, refellere, & Neophytum in antiquam siluam reducere laborauit,) eo fine oblatum accepi, vt Vindicias contrà adornarem. Etsi enim is liber post decennium, ex quo Argentorati A. 1641. in lucem prodiit, obsoletus videri possit: magni tamen ab Euangelicis fieri, & causam Kircheri argumentis Dorscheanis aduerti iudicari inferiorem; quod neque Kircherus, dum in viuis erat, neque alius postea ad ea responderit quidquam. Me quidem, quo minus ipse opus aggrederer, operosa, & per tot temporum calamitates, multò difficilior reddita Abbatiæ administratio, absterruit; sed rei grauitas & Orthodoxæ Veritatis defendendæ, ac demonstrandæ desiderium eò compulit, vt mei olim in Theologiâ & Philosophiâ Magistri, vicariam operam implorarem confidenter,

quam is pro suo in Religionem studio, & erga me affectu alacriter suscepit, & subseciuis horis, quātum labores alij, & negotia permisêre, accelerauit, vt Serenitas Vestra ex subiectis Epistolis cognoscere dignabitur.

Nunc opus à calamo & prælo absolutum, vt Principalibus auspicijs susceptum ac perfectū est, ita in Clementissimi Principis mei, Serenissimis manibus reuerenter depono, securus offensæ & causæ bonæ; cum eiusmodi præsertim rationes me permouerint, quas sciā probandas, aut veniam certè reperturas. Agmen ducit humanitas, quâ Serenitas Vestra omnium animos trahit, sibíque deuincit; quam prædico lubens meritò, vtpote toties expertus. Implet Serenis. Vestra aureum illud Græci historici monitum: *Solet enim*, ait Gregoras lib. 6. vbi de Andronico, *dexteritas atq; benignitas morum in altiore dignitatis gradu, facilè omnium animos sibi reddere obnoxios. Quemadmodum verno tempore splendidi flores, prætereuntium oculos in se conuertunt. Hoc illud est Indorum Sapientū præceptum: Principem, quo naturâ sublimior sit, eò humaniorem si se præbuerit inferioribus, carissimum populo futurum*; Neq; populo tantùm, suísque subditis, sed exteris quoque & omnibus, qui humanitatis ceperint experientiam. Hæc fiduciā peperit, vt librum istum Serenissimi Nominis præscriptione insignirem. Accedunt beneuolentiæ & benignitatis argumenta complura, quæ Serenitas Vestra in me, meúm-

me, meúmque Cœnobium edidit, vt ingratus sim futurus, si non vel in huius libri aditu, grati animi perpetuum & publicum velim extare monumentum.

Cum deinde Kircherus patriā habuerit VVirtembergiam, eiusdémque Principi Dorscheus Hodegeticum inscripserit, vt natiui Domini aduersùs subditum indignationem concitaret, veluti is à Christianæ Veritatis semitâ deuiâsset: consultum visum fuit, iustissimæ causæ Apologiam Serenitati Vestræ offerre, vt ipsa perspiciat, grauissimis & ineluctabilibus argumentis Kircherum conuictum, ad Catholicā transijsse castra. In quibus non *contra gloriam Saluatoris IESV*, (vt in suâ Dedicatoriâ Dorsch. nobis imponit) sed pro illâ *militatur*, moribus & legibus antiquis: quas primi Germaniæ Apostoli, ante tot secula Maioribus nostris tradiderunt, cum Christū ipsis prædicarent: Monachi, Sacerdotes, Episcopi, verbo *Papistæ*, (vt Luthero nos appellare placuit,) seu *Romani & Romanenses*, (quo nomine Catholicos iam tempore S. Ambrosij designatos, patet ex eiusdem *Oratione de obitu Satyri*) verissimi & merissimi. Indignum verò, & diuinæ bonitati ac fidelitati aduersum est, existimare tales à Deo Germanis missos esse Apostolos, seu prędicatores: qui veris falsa miscentes, & Christi Religionem variâ inquinantes superstitione, ea docerent, quæ post multa demum secula Magistro Luthero essent dediscenda: huius doctrinæ neutiquam, vt illorum, *Do-*

mino cooperante, neque *sermonem confirmante sequentibus signis*, quæ pro Veritatis charactere veris Christi Apostolis tribuit Marcus c. 16 v. 20.

Non æquum denique ratus sum, Serenitatem Vestram, Veritatis à Dorscheo assertæ conceptâ præsumptione diutiùs deludi, sed eius fallacias & fucos (non reperio, quomodo mitiùs appellem) qui hoc libro clarè demonstrantur, censui repræsentandos: certus de bonâ Serenitatis Vestræ mente, multis mihi documẽtis compertâ, eam erroribus, si quos cognouerit, patrocinium aut assensum porrò non præstituram. Graditur Dorscheus eâdẽ, quâ alij Catholicis aduersi Scriptores ire solent viâ. Plurima obiectat, à nostris millies soluta; eáque veluti recentia & confessæ veritatis producit, tacitis solutionibus, ad quas replicandum esset. Quod crimen stellionatus meritò dicitur, sic enim Iuris Consulti appellant *omne crimen, dolum atq; imposturam, quæ propriam significationem nõ habet* ad l. 7. §. stellionatum. ff. ad S. C. Turpil. Vnde passim Catholici eo grauantur præiudicio, non habere illos, quod respondeant: & necesse est lites controuersæ Religionis, (contrà, quàm fædera super his sancita, spem faciunt) perpetuari: cum identidem magnã partem velut in circuitu redeant priora argumenta, sine replicationibus ad Catholicorũ responsa. Non ferret Serenitas Vestra, vtpote Iustitiæ amans Princeps, si in Principatus sui tribunalibus Actor, postquam Re-

us li-

us libello & positionibus ipsius ac probationibus respondit, sine aliis probationibus & replicationibus, eadem repeteret & intentaret; sed Actore sic ludente, quod perinde est, ac si probaret nihil, reum iuberet absolui. Hoc agunt Dorscheus, ipsique similes; refricāt & ingeminăt prima Lutheri, Confess. August. Apologię, aliaq; sua, suorúmq; argumenta, solutionibus Catholicorũ plerũq; suppressis: ad quæ, si cogerentur respondere, facilè ad Orthodoxę Veritatis fundum, Principes aliíque rerum intelligentes penetrarent: atramento atque calamis eiusmodi Scriptorum exarescentibus.

Alterum Dorscheo proprium est, conglobatis quà Catholicorum, quà Euangelicorum allegationibus, imperitos & credulos, (qui argumenta non rerum põdere, sed autorum talium numero metiuntur,) reddere attonitos, vel variæ doctrinæ & lectionis captare famam. Quæ si ad viuum resecare fas sit, vtrumq; intra *locos Communes Io. Gerardi* maximam partem cõsistere, facilè deprehendas. Si ex recentioribus Scholasticis quædam adiungit, ea partim ab illo non intelligi, partim nihil inde contra Catholicos solidè concludi, consideranti manifestum est. Trecentas admodum paginas, seu tertiam Hodegetici partem exscribendo autorum verba, quæ non rarò ipsi aduersantur, impleuit: neq; à fallacijs temperauit & deprauatione; quam etiã in legitimo Scripturæ sensu euertendo seu eludendo temere exercet. Præcipua sub cuiusuis Capitis fi-

tis finē, in Anacephalæosi summatim subijciūtur oculis Lectorū. Quæ si Serenitas Vestra, ex fide sibi referri aut explicari volet, nihil ambigo; quin pro Kirchero sit contra Dorscheū pronuntiatura. Cui, vt ex animo *Spiritus Sancti gratiam, quæ illuminat sensus & corda aberrantium*, precor: ità nihil aduersùs illum odio personæ, sed quidquid est, amore Veritatis in Serenitatis Vestræ obsequium, à me actum, & ab ipso Libri Autore scriptum esse, sanctè confirmo.

Deus opt. Max. (qui Serenitatem Vestrā constituit Principem *super terram lacte, & melle, vinóq; manantem:* & repleuit *benedictione, de rore cæli ac pinguedine terræ irrigatæ fontibus illius, qui non est solùm Saluator animarum, sed & corporum:* vt non immeritò VVirtembergia *Germaniæ nostræ hortus, vinea, & bonæ valetudinis officina* appellari possit,) Serenitati Vestræ longæuam concedat prosperitatem, sícq; faciat *eam transire per bona temporalia, vt nō amittat æterna.* Quod assiduis à Deo precibus ego meíq; contendemus, Serenitatis Vestræ clementiæ & benignitati nos vicissim, enixissimè, humillimèq; commendantes. Ratisbonæ VII. Iulij. Anno Saluatoris, M. DC. LIII.

SERENITATIS VESTRÆ

Deditissimus Seruus

IOANNES Abbas in Elchingen.

Epistola

Reuerendissimi Domini, Domini IOANNIS, Ordinis S. Benedicti in Elchingen ABBATIS &c.

Ad

Admodùm Reuerendum & Clarissimum Dominum P. Henricum VVangnereck S. I. S. Theologiæ Doctorem, & Celebris Academiæ Dilinganæ Cancellarium.

Admodum Reuerende & Clarissime Pater, Domine plurimùm colende.



VÆ superiori Anno in Nouembri, coram P. V. retuli de Hodegetico Ioannis Georg. Dorschei, aduersùs Ioannem Kircherum decennio & ampliùs abhinc, Argentorati impresso: esse videlicet Serenissimi Nominis Principem, qui eum librum refelli desideret: id nunc eò instantiùs significare cogor, postquàm idem ipse Princeps, misso sub anni huius initium ad me Nobili Viro, rursùs desiderium suum explicauit, super memorati libri refutatione à me ipso adornandâ. Quod onus Religionis Catholicæ amore, & spe fructus equidem susciperem perlibenter: nisi ea obstarent, quæ Serenissimo illi Principi per eum, quem ad me misit, exponenda curaui, & P. V. iam ante sunt perspecta. Est Religiosi Regiminis administratio vel sola, multis curis & negotijs implicita, vt notum est. Accedit, tot annorum perpetuis ex bello calamitatibus, Monasterij bona ad magnam vastitatem & solitudinem, ac quod consequens est, redituum iacturam redacta esse: vt ægrè vel pauculis Religiosis, quos mors ex non paucis superstites reliquit, sufficiant. Quæ talia sunt, vt vix aliquam temporis partem curis & laboribus eiusmodi vacuam, tùm Sacris Concionibus ad populum meditandis (quas meorum hoc tempore paucitas, & onerum ipsis incumbentium multitudo in me deriuat) tùm alijs negotijs, quæ Abbas declinare non potest, concedant. Hæc scriptionis Anti-Dorscheanæ recusandæ, legitimam, vti confido, præbent excusationem, quæq; locum sit habitura apud intelligentes. Ne verò causa Religionis per me negligatur, P. V. quod antehac iam

cæpi rogare, patietur ſuam exorari & ſubſtitui operam. Expertus ſum ſingularem eiuſdem in me, dùm Philoſophiæ & Theologiæ in Academiâ Dilinganâ ſub P. V. Magiſterio incubui, affectum & continuata huc uſque officia: vt tantò confidentiùs hoc ipſum poſtulem, quod eò faciliùs P. V. facturam confido, quò propiùs Dei honorem, & Chriſti Eccleſiam res iſta concernit. Noui quidem P. V. negotijs & laboribus plùs ſatis occupatam, ſed calamus & animus in his exercitatus petitioni meæ locum dabit: & faciet, vt Kircherum innocentem, Dorſcheum verò reum eſſe, publicè conſtet. Cupio quidem opus maturari, ſic tamen, vt ſine P. V. moleſtiâ, & aliorum laborum præiudicio id fiat. Sereniſſimo Duci VVirtembergiæ Librum dedicare cogito, benignitatis in me, meúmque Monaſterium meritis, & ſingulari eiuſdem Principis humanitate incitatus. Neq; Conſilium hoc optimæ mentis Principi fore ingratum exiſtimo, ſi intelligat quàm iniquè Kircherum oppugnet Dorſcheus: & quàm grauiter in Principum Maieſtatem delinquant, qui fallacias, technáſque ſuas, tantorum Nominum præſcriptione colorare præſumunt. Precor P. V. Diuinæ gratiæ adiutorium, & calamum Scribæ velociter ſcribentis. *Elchingæ Idibus Aprilis. ANNO M. DC. LII.*

Admodùm Reuerendæ & Clariſſimæ
Paternitatis Veſtræ


Addictiſſimus

Ioannes Abbas in
Elchingen.

Epiſtola

Ad Reuerendiſſimum Dominum Abbatem.

Reuerendiſſime in Chriſto Pater ac Domine,
D. obſeruandiſſime & colendiſſime.



Ihil mallem, quàm vt in Anti-Dorſcheo perficiendo, vulgandóque Reuerendiſſimæ D. V. deſiderio, multorùmque expectationi citiùs ſatisfacere potuiſſem. Annus abijt, poſtquam id onus ſuſcepi, quod multo labore conſtitiſſe non diffitebor. Non eâ de causâ, quaſi argumenta Dorſchei pondus habeant, quod aduersùs Veritatem nullum eſſe poteſt: ſed quia tot nebulas ſoli, tot glaucomata oculis obijcit, vt in his diſpellendis, & Veritate orthodoxâ enubilandâ, non parum temporis ponendum fuerit. Faciliùs nempe multo eſt, iuxta Sapientis cuiuſdam effatum, *falſum dicere, quàm refellere, perindę vt procliuius eſt à centro aberrare, quàm illud tangere.* Reuerendiſſima D. V. in eâ ad me Epiſtolâ, quam hìc præfigi voluit, iuſtiſſimas reddit cauſas, Scriptionis huius non ſuſceptæ, quas nemo queat improbare; etſi ingenio, iudicio, doctrinâ illam pollere compertum eſt plurium annorum experientiâ, quibus de tali diſcipulo mihi gratulabar, hodiéque gratulor. Non equidem pænitet vllius laboris, quem optimè in Veritatis defenſione collocari non ignoro: ſed tarditatem calami minùs ſcribentis velociter, Reuerendiſſima D. V. & alij rerum æqui æſtimatores, officio meo, (quod in iſthâc Academiâ minimè otioſum eſt,) & quotidianæ Iuris Canonici Profeſſioni, aliiſque negotijs condonabunt. Si enim vacuas ab his ſubducam horas, neque medium quidem hæc Scriptio annum occupauit; reliquum inde hucuſque tempus, Typographi inſumpsêre. Cæterùm laboraui, vt perplexas Dorſchei tricas accuratè euoluerem, & clarè vanitatem earundem demonſtrarem ac falſitatem; de cuius Scriptoris indole ſuperuacuum eſt plura addere illis, quæ Reuerendiſſi-

ma D. V. in ſuâ ad Sereniſſimum Ducem Dedicatione notauit. Cuius Principis humanitatem, aliáſque tali faſtigio dignas dotes, prædicari paſſim intelligo; gratulaturus mihi ex animo, ſi ad Serenitatis ſuæ honorem, obſequium, & ſalutarem Catholicæ Veritatis intelligentiam, ſub Reuerendiſſimæ D. V. auſpicijs, labor meus (diuinæ gloriæ & animarum ſaluti vnicè deſtinatus) quidquam contulerit. Dabam Dilingæ VII. Auguſti. Anno Salutis M. DC. LIII.

Reuerendiſſimæ Dominationis
Veſtræ

Seruus deuinctiſſimus

Henricus VVangnereck.


Methodus



METHODVS,

SEV SVMMA,

QVAM KIRCHERVS AETIOLOGIÆ SVÆ IPSE PRÆFIXIT.



S T Vetus Verbum, neque Catholicorum iudicio magis, quàm Confeßione aliorum adprobatum : Extra Ecclesiam non esse salutem. *Vnde quantum intersit, cui se quisque catui hominum,* seu Ecclesiæ *adiungat, procliue est cognoscere. Illud inprimis certum est : in quâ nihil est certi, veram Ecclesiam esse non posse. Et, cum Communitas quædam sit omnis Ecclesia, quæ & legibus regatur certis, certisque gaudeat priuilegijs ac bonis : non posse constare eandem, nisi priùs constet quidam imperandi, parendique ordo legitimus. Absque hoc sit, qui Societatis omnis est vitalis Spiritus : iam in cadaueris illa modum, sit sponte suâ diffluxura.*

Atque hæc itâ se habere nemini dubium esse potest, qui & Societatem esse Ecclesiam, bonâque æterna in eâdem solâ & vnâ contineri, secum cogitauerit. Hoc opus, hic labor erit, vt euincam illa duo, quæ dixi (Certitudinem intellige, & Ordinem,) in Ecclesiâ Lutheranâ non reperiri : reperiri autem in Catholicâ. Id vbi constiterit, iam & mei facti ratio constabit : constabitque alijs suscipiendi inposterum Consilij. Ostendam ergo.

I. Nullam in Ecclesiâ Lutheranâ dari talem certitudinem, propter quam prudens quispiam, rerùmque suarum satagens illi poßit adhærere. II. Interim talem certitudinem dari omnino in Catholicâ : itâ, vt meritò quidem, & tutò, méque & salutem meam eidem committere poßim. III. Ordinis etiam loco, apud Lutheranos Confusionem. IV. In Catholicorum Ecclesiâ

absque Confusione tali, Ordinem reperiri. Videamus de singulis, & eo quidem, quo posita sunt, ordine.

Est verò in mentem reuocanda *duplex hypothesis Lutheranorum. I. Nihil credendum esse Fide infallibili & diuinâ:* quod non dilucidè & apertè, siue iuxta id, quod verba ipsa sonant, siue per euidentem consequentiæ rationem reperitur in Scripturâ: *adeòque omnis Fidei, & vitæ* Christianæ *hanc vnam & solam, propriam & adæquatum principium esse. II.* Ecclesiam esse fallibilem. *Iidem enim infallibilitatem, quæ sit ex perpetuâ assistentiâ Spiritus S. non Romanæ tantum modernæ: sed* omni in vniuersum denegant Ecclesiæ, *quæ in toto passim viguit, aut viget Christiano orbe.*

His ità stantibus, en tibi! quinque simul ac semel, manifestæ incertitudinis fructus, nec infrugiferos ipsos quidem: qui ex priori hypothesi *siue arbore* solius Scripturæ, *singillatim erunt nobis decerpendi, vt saporem illorum paulisper exploremus.* Quod agitur primis quinque Capitibus, siue Libri Parte I. de Scripturâ, *hoc ordine.*

De incertitudine Solibiblicâ Lutheranorum, ex parte	*Lectionis Sacræ. Cap. I.*
	Sacri Codicis. Cap. II.
	Versionis. Cap. III.
	Canonis. Cap. IV.
	Interpretationis. Cap. V.

Altera hypothesis, *de Ecclesiæ secundùm Euangelicos fallibilitate* refellitur, & inde certitudo Romano-Catholica stabilitur secundâ Libri parte, *de Ecclesiâ*, primis tribus Capitibus; tum vno Capite Confusio Ecclesiæ Lutheranæ, & altero Ordo Ecclesiæ Catholicæ, *demonstratur, videl.*

Veræ

Veræ Christi Ecclesiæ

Perpetua in terris vsque ad finem seculi visibilitas. Cap. *VI.*

Omnis in Fide erroris eousque immunitas, vt nunquam tota errare poßit. Cap. *VII.*

Nulla ab Ecclesiâ Romanâ diuersitas, sed cum eâdem vnitas, siue identitas. Cap. *VIII.*

Ecclesiæ Lutheranæ Confusio. Cap. *IX.*

Ecclesiæ Catholicæ Ordo. Cap. *X.*



S. Augu-

S. Auguſtinus lib. 1. contra Creſconium cap. 33.

Quamuis huius (vel illius, eſt enim par ratio) *rei certè, de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum: earundẽ tamẽ Scripturarũ, etiam in hâc re à nobis tenetur Veritas, cum facimus, quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſa Scripturarum commendat autoritas. Vt, quoniam S. Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit huius* (vel illius) *obſcuritate quæſtionis: eandem Eccleſiam de illâ conſulat, quam ſine vllâ ambiguitate Sancta Scriptura commendat.*

PARS I.

PARS I.

DE S. SCRIPTVRA.

Basis Ætiologiæ, siue causarum M. I. Kircheri, aliorúmque, qui in solis Scripturis Fidem & Salutem fundari non posse intelligentes, ab Euangelicis ad Catholicos transeunt.



ECTE telam orditur Kircherus, cuius palmaria causa ad hunc Syllogismum, paulò planius, quàm faciat Dorscheus §. 81. reuocari potest. 1.

Ad §. 81. Dorsch. Ecclesia Lutherana caret infallibilitate ex solis Scripturis prætensâ, ergo deserenda.

Illa Ecclesia, quæ caret infallibili autoritate dirigendi Fidem & mores, secundùm vnicam, quàm prætendit, S. Scripturæ Regulam, meritò est deserenda. Ecclesia siue Euangelicorum, siue Lutheranorum, hâc infallibili autoritate caret. Ergo, &c.

Maior probatione non eget, vbi enim nihil est infallibile, vel certum, necesse est omnia in ambiguo fluctuare, & qui tali Ecclesiæ fiduciam salutis suæ superstruit, *similis est homini ædificanti super arenam.* Matth. 7. v. 26.

Quinq; argumentis id probat Kircherus.

Minorem quinque argumentis probat Kircherus, quæ totidem capitibus refellere laborat Dorscheus.

1. Sumitur, ex maximâ hominũ parte, qui literarum penitus ignari Scripturam legere ipsi non possunt. 2. Quia Lutherani per sua principia certi non sunt in Biblijs contineri verbum Dei. 3. Neq; de legitimâ & authenticâ illorum versione. 4. Neq; de vero Canone, siue numero librorum Canonicorum. 5. Nec denique de germano sensu, siue verâ interpretatione.

His ergo deficientibus, nihil habet in tali Ecclesiâ Salutis suæ amans, vbi requiescat pes, imò spes eius, sed consultissimè faciet, si cum columbâ, quam *emisit Noë* Gen. 8. v. 9. *Reuertatur ad arcam Ecclesiæ Catholicæ* (vnde si non ipse, certè Maiores ipsius, non nisi priori seculo, sunt egressi) *portans ramum oliuæ virentibus folijs,* solidissimæ Spei, quæ ipsum non confundet in extremo iudicij die.

2. Ecclesia Catholica habet infallibilitatem, ex verbo tum scripto, tum non scripto. Ergo adeunda.

Ideóq; rectissimè concluditur per Enthymema, quod ex Kirchero productum à Dorscheo, nos redigimus in Syllogismum: *Illa Ecclesia, quæ infallibili autoritate dirigit Fidem & mores secundùm Regulam omnis Veritatis cœlestis, siue verbi diuini tum scripti, tum non scripti, est adeunda. Ecclesia Catholica hoc agit. Ergo, &c.*

Maior tam est clara, quàm Sol lucet in meridie, & elucescit magis ex Maiori propositione Syllogismi prioris. In Minori cardo Veritatis vertitur, cuius probationes partim interserit Kircherus probationibus suis aduersus insufficientiam solius Scripturæ in Syllogismo priori, sed posterioribus capitibus quinque, quibus agit de Ecclesiâ, ex instituto eas persequitur, vbi & nos illas repræsentabimus. Nunc sufficiat Basin Conuersionis Kircheri, & aliorum qui sincerâ mente, neque alio quàm Salutis suæ desiderio, ad Catholicam transeunt, adumbrâsse.

CAPVT I.

In Scripturâ solâ non posse fundari Fidem & Salutem, quia multò maxima hominum pars (eorum vid: qui literas omnino nesciunt) non potest infallibiliter per illam dirigi.

3. Ad §. 81. Dorscb. Legere nescij ex Scripturâ infallibiliter dirigi non possunt.

Argumentum Kircheri magis solidum, quàm obuium, sic distinctius formari potest. KIRCHERVS.

Qui certò non sciunt, quid in sacris literis contineatur, infallibili autoritate ex illis dirigi non possunt; Literarum & legendi omnino rudes, adeóq; maxima pars hominum, non sciunt certò, quid in illis contineatur. Ergo, &c.

Maior propositio ex naturâ Regulæ, siue principij manifesta est; Neq; enim hæc munus directionis exercent, nisi certò pernoscantur. *Scriptura* autem *vna & sola est adæquatum,* ex hypothesi Lutheranorum, *Fidei & vitæ principium, in quâ quod dilucidè & apertè, siue iuxta id quod verba ipsa sonant, siue per euidentem consequentiæ rationem non reperitur, fide infallibili & diuinâ credendum non est.* Sciri ergo certò debet, quid in illâ contineatur.

Non enim certò sciunt,

Minor probatur. Quid S. literis contineatur sciri certò non potest, nisi lectione, vel auditione, vel peculiari Spiritus S. operatione. Nihil horum

horum satisfacit difficultati propositæ de illis, qui legere nesciunt; neque aliud superest; Ergo non possunt esse certi de contentis in verbo diuino. De lectione euidens est, quod dicimus, hæc enim supponit scientiam legendi, quâ maxima pars hominum destituitur. De auditione idem euincit Ratio Kircheri, quæ hæc est: *Qui audit ab eo, cui deest infallibilitas, non scit infallibiliter quod audit: Literarum & legendi penitus rudes contenta verbi diuini audiunt à suis Maioribus, Doctoribus, Pastoribus, vel Ecclesiâ, quibus vniuersim infallibilitatem negant Lutherani; Ergo non sciunt infallibiliter contenta verbi diuini, quod audiunt, vel audierunt.* quid illis contineatur, ex lectione, vel auditione.

Nec confugere licet ad *peculiarem Spiritus S. operationem*. Vel enim per eam intelligitur extraordinaria S. Spiritus illustratio, per quam diuinitus alicui detur notitia S. Literarum, sine lectione, vel auditione, quod fieri posse dubium non est. Sed nos de ordinariâ viâ loquimur, quâ homines etiam rudissimi perueniunt ad fidem, videl: ex auditu, in quos peculiari ratione quadrat illud Pauli Rom. 10. v. 17. *Fides ex auditu.* Vel intelligitur, vt ipse sibi obijcit Kircherus, *quod deest infallibilitati in istis simplicioribus, illud per supernaturalem Spiritus S. operationem in iisdem suppleri: quippe per prædicationem verbi, & legitimum Sacramentorum vsum, accendi in ipsis veram quandam & immotam cordis fiduciam.* 4. Nec ex Spiritus S. operatione. Sed hanc exceptionem rectè elidit Kircherus inde: *Quia eiusmodi fiducia supponit assensum infallibilem & diuinum, qui vtique non dependet nisi à diuinâ & infallibili autoritate, de quâ istis simplicioribus infallibiliter constare non potest,* vti demonstratum est. Non sufficit enim veritatem aliquam esse reuelatam: sed &, quod reuelata sit, scire oportet eum, qui illi infallibilem præbere debet assensum. *Sicut in scientiâ non satis est assentiri Conclusioni propter causam, nisi vt causa cognoscatur.* Vbi necesse est infeliciter vacillare fidem horum, maximè simplicium, apud Euangelicos, quibus inter credenda istud ipsum proponitur, *quod Ecclesia eiusq; Pastores, à quibus fidem audiunt, nihil habeant infallibilitatis, sed errare possint.* Quâ ergo ratione illos certos reddunt, ea in S. Literis contineri, quæ prædicantur?

---

§. I.

Distinctio Dorschei, argumento Kircheri non satisfacit.

Dorscheus, vt Gordium hunc nodum dissoluat, distinctionem comminiscitur *inter principium, quod suâ culpâ & defectu communicabilitatis, infallibiliter cognosci non potest, & illud, quod* 5. Ad §. 14. Dorsch. negat Scri-

pturam esse inaccessam idiotis culpâ ipsius, concedit culpâ ipsorum.

per se omnibus patet, Deo ad illius amplexum inuitante, & viam patefaciente, vt non nisi ignorantis sit culpa. Sic itaq; argumentum Kircheri in nostram formam redactum ex §. 84. Dorschei distinguitur.

DORSCHEVS.

Qui certò non sciunt contenta in Scripturâ, ex illâ infallibiliter dirigi non possunt, culpâ suâ, esto; culpâ Scripturæ veluti de se incommunicabilis, & inaccessæ, negatur. Literarum & legendi rudes, vt tales non sciunt certò contenta in Scripturâ, quod sub hâc reduplicatione, siue qualitate inficiari nemo potest. Ergo vt tales non possunt ex illâ infallibiliter dirigi; culpâ Scripturæ negatur, culpâ suâ, conceditur. Adeóq; defectum necessariæ & infallibilis directionis ex verbo Dei, in ipsos simplices Dorscheus refundit. Neq; enim concedit opus esse *alio infallibili proponente, si quis ipsas S. Literas omnibus accessas, & patentes amplectatur,* quarũ sufficientiã per seqq. septem §§. probat, hîc autem exemplo à principio Scientiarum petito ita confirmat:

Dorscheus argumentatur à paritate principiorum naturalium ad Scripturam.

Principia Scientiarum v.g. Geometriæ, vel Arithmeticæ, per intrinsecam euidentiam & infallibilitatem, sunt efficacia & sufficientia ad demonstrationem; neq; habent opus aliquo, qui per altioris principij assistentiam illa infallibiliter proponat. Ergo & Scriptura per intrinsecam infallibilitatem est efficax & sufficiens ad instruendum hominem in fide & vitâ, sine aliquo, qui per altius principium infallibiliter illam proponat. Confirmatur 1. Non aliter Magister discipulo tradit scientiam Geometriæ, vel Arithmeticæ, quàm eadẽ illi principia tradendo, quæ habet, & per quæ illas scientias comprehendit; quæ *ipse postea discipulus penetrare debet, vel si vnus non satisfacit, alios Doctores explicandi gratiâ accedere.* Confirmatur 2. *Principia Scientiarum non ideò sunt insufficientia, quia quam plurimi illa intelligere & legere nequeunt: Ergo neque S. Literæ sunt insufficientes, quia quam plurimi illas suâ culpâ non intelligunt, neq; legere sciunt.*

RESPONDETVR.

Meras nebulas veritati offundit Dorscheus. ℞. 1. Catholici non accusant Scripturam, quasi ex culpâ vel defectu aliquo, sola non sufficiat ad Doctrinam fidei. Non est culpa, vel defectus auri, sed oculorum nostrorum, quòd in abditis terræ recessibus latens, seipsum demonstrare non potest. Thesaurus est verbum Dei, sed opus est certo indice & interprete. Falsum est, quòd Deus ita ad illam inuitet, vt per ipsam solam ad eius veritatem & sententiam pernoscendam Nobis viam patefaciat.

6. Scriptura est aurum, sed absconditum.

at. Nunquam id probâſtis Euangelici, neque probant illa, quæ affert Dorſcheus, vt deinceps patebit. Infallibili proponente opus eſt, qui certum digitum intendat. Alioquin ſimplices præſertim & rudes, poterunt illud vſurpare Eccleſiaſtici 20. v. 32. *Scientia abſconſa, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſq;?*

RESP. 2. Exemplum ex principijs Scientiarum nimis quàm diſpar apparet. Eſt quidem verbum Dei non minùs, imò magis infallibile, quàm ſint illa, ſed non eſt euidens & per ſe notum, vt ſunt illa, quæ ideò aliâ euidentiâ opus non habent. Scriptura autem tranſcendit captum & intellectum naturalem, ideóq; eius veritas & ſenſus nō videtur, ſed creditur, iuxta illud Chriſti Ioan. 20. v. 29. *Beati qui nō viderunt & crediderūt.* Imò & illud, quod præcedit: *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti,* non aliter accipi debet, quàm quia aliud vidit, aliud credidit; Vidit hominem, & credidit Deum, quem non vidit. Aliâ igitur euidentiâ & infallibilitate opus eſt, vt credibile mihi fiat, quod, licet in ſe ſit infallibile, ego tamen non video, nec vi naturæ intelligo.

Verbum Dei ſupra captū, non item Scientię naturales.

RESP. 3. Non eſt ſanè opus, vt Magiſter alia ſcientiarū naturalium principia tradat diſcipulo, quàm quæ ipſe hauſit: ſolâ fidelitate opus eſt, vt fideliter doceat, nec diſcipulum fallat, tradendo falſa pro veris, ambigua pro certis. De quo ſi diſcipulus ambigat, rectè conſulit plures. Sed ſi ingenio pollet, euidentiam principiorum, quæ didicit, vi naturali animaduerſam poſtea ipſe penetrat, vt alterius probationis ope non egeat. Secus eſt in Chriſtianæ Fidei myſterijs, quæ cùm ſint ſupernaturalia, quantumuis fideliter tradita, naturali intellectus facultate nequaquam peruideri poſſunt, ideóq; vt credamus ea infallibiliter, aliunde nobis debet fides infallibilis conſtare.

Ad Scientias ſufficit fidelitas proponentis, non item ad S. literas.

RESP. 4. Verum eſt principia Scientiarum in genere ſuo eſſe ſufficientia, vt inde concluſiones Scientificæ per bonam conſequentiam deduci queant; neque obſtat, à rudibus ea nec intelligi, nec legi poſſe; ſufficientia enim hæc ſpectatur in ijs, qui diſciplinarum talium ſunt capaces. Veriſſimum itidem eſt 7.

Scriptura in genere ſuo ſufficientiſſima.

S. Scripturam in genere suo, legis videl: diuinæ Scriptæ, esse sufficientissimam, nõ solùm enim *perfecta Dei sunt opera* Deut. 32. v. 4. verùm etiam verba. Sed retorquemus argumentum, Dorschee: Si Deus scientias naturales earúmq; principia quãtumuis perspicua, veluti ad Salutem æternam necessaria, mandâsset sine Magistro, & à quibusuis etiam rudissimis addisci, nemo crederet, Saluti hominum esse sufficienter consultum: Ergo multò minùs humano generi sufficienter est consultum, si Deus mandauit, Sacras Literas, mysteria supernaturalia continentes, sine Magistro infallibili (quem inter homines agnoscitis nullum) à quibusuis etiam rudissimis inuestigari, intelligi, & ad Salutem necessaria inde colligi debere. Vide, mi Dorschee, quò causam tuam redigas!

§. II.

Cùm Mysteria Religionis Christianæ Dei verbo contenta, sint supernaturalia & ineuidentia, requiri propositionem infallibilem, quæ illa euidenter faciat credibilia.

1. Vt in scientijs, ità & in fide, propositio est conditio sine quâ non, nequaquam ratio credendi.

IN omni disciplinâ siue Scientiâ requiritur applicatio obiecti, siue terminorum, principiorum, & conclusionum explicatio, quæ ordinariè fit à Magistro, & vocari solet propositio, quia Magister hæc Auditori proponit. Quare negari non potest, similem propositionem ad disciplinam veræ fidei ordinariè requiri, tantóque magis, quantò est alijs scientijs sublimior ac difficilior, quò pertinet illud Rom. 10. v. 17. *Fides ex auditu*, proponentis illam videl: aut prædicantis. Conueniunt autem in eo Fides & aliæ disciplinæ, quòd sicut in his Ratio formalis assentiendi siue sciendi non est propositio, siue explicatio Magistri: (neque enim Physica ex eo, quòd corpus constans ex quatuor elementis inter se contrarijs est corruptibile, & homo constat dictis elementis: ideò concludit & scit, hominem esse corruptibilẽ, quia Magister ita conclusit, sed quia ipsa propo-

sitionis

sitionis vtriusq; euidentia & manifesta veritas intellectum determinat & cogit, ne veritate antecedentis perspectâ, possit aliud concludere:) ita, qui ex prædicatione verbi diuini credit, non ideò credit, quia prædicator, sed quia Deus dixit, siue reuelauit: etsi, quòd Deus dixerit, siue reuelauerit, prædicator illi credibile fecit.

Quare neq; Scientia Physicæ aut Geometriæ in explicationem Magistri, neq; fides in propositionem eorum, qui prædicant, sed Scientiæ naturales in euidentiam suorum principiorum & bonitatem consequentiæ, Fides autem in reuelationem diuinam, tanquam rationem formalem sub quâ (vti vocant) siue proximam causam credendi resoluitur. Propositio autem siue Magistri, siue prædicatoris est solùm obiecti applicatio, siue cōditio sine quâ non; quod videtur attigisse Apostolus, cùm dixit Rom. 10. v. 14. *Quomodo autem audient sine prædicante?* quasi dicat, sine proponente? Neq; mouere debent particulæ causales, *quia, propter &c.* quibus promiscuè vtimur tum in veris causis, tum in *conditionibus sine quibus non* explicandis. Vt si quis dicat: ignis ardet in fornace, quia supposui lignis ignem, non explicat causam, sed conditionem sine quâ non. Causa enim vera, cur ligna ardeant, est ipse ignis, qui autem ignem admouet, non est causa, sed causam applicat, ipsáq; applicatio est conditio sine quâ non. Sic causa vera & proxima, cur assentiamur mysterijs fidei, est diuina reuelatio, siue, *quia Deus reuelauit*, qui est prima Veritas falli & fallere nescia. Qui autem mysteria reuelata proponit, & reuelationem credibilem facit, non est causa, sed applicat causam. Neq; fides nostra applicationi, sed diuinæ reuelationi innititur, sicut ligna non per applicationem, sed ipsum ignem inflammantur.

Scientiæ in principia & consequentiam resoluuntur, Fides in reuelationem.

In eo autem latissimum est discrimen inter alias Scientias, siue disciplinas, & Fidem. Quia Scientia naturalis est euidens, cuius principia sunt per se nota, v. g. *Totum est maius suâ parte; Quæ sunt æqualia vni tertio, sunt æqualia inter se; Impossibile est* 9.

Scientię naturales sunt euidentes, & ex euidentibus.

idem

idem esse, & non esse; & in moralibus: *Bonum est faciendum, malum fugiendum &c.* hæc enim si terminos siue vocabula quis intelligit, sunt ita euidentia & perspicua, vt assensum præbere cogatur. Conclusiones itidem, quæ inde legitimè deducuntur, propter principiorum & consequentiæ euidentiam & infallibilitatem, & ipsæ sunt euidentes ac infallibiles. Vnde sufficit, vt Magister solam fidelitatem præstet in proponendo & explicando; neq; opus est, vt aliam infallibilitatem autoritatis suæ vel motiuorum afferat. Quin si fideliter scientiarum Principia & placita non proponeret, aut de eo Auditor subdubitaret, tum sanè, quod monet Dorscheus, *alios Doctores accedere imò ipse principiorum & Conclusionum naturalem euidentiam & veritatem, naturali intellectus vigore explicare & deprehendere posset.*

Fides est inevidens & obscura, ideóque indiget motiuis.

Longè secus se res habet in Fide diuinâ, hæc enim est ineuidens & obscura, quia transcendit captum naturalem, neque enim nititur principijs naturalibus per se notis & manifestis. De Mysterijs Fidei loquitur Dauid Ps. 50. v. 8. dum ait, *incerta & occulta Sapientia tua manifestâsti mihi.* De his Apostol. Hebr. 11. v. 1. est autem *Fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* 1. Cor. 13. v. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Sicut ergo principia & Conclusiones Scientiarum ipsâ sui euidentiâ rapiunt & capiunt intellectum, neq; indigent aliâ Magistri aut motiuorum infallibilitate, sic è contrario ad Mysteria Fidei amplectenda, v. g. *Deum esse trinum & vnum, siue tria esse vnum*, eandem *personam esse Deum & hominem &c.* non sufficit affirmatio & explicatio Magistri, aut proponentis, etsi credamus, illum credere hæc eadem, & fideliter exponere. Manent enim nihilominus hęc mysteria intellectui nostro, cuius naturale lumen omnémque experientiam longissimè transcendunt, in se incerta, occulta, ænigmatica, non apparentia. Neq, intellectus noster cogitur, aut potest certò & infallibiliter his humanæ rationi tã paradoxis assentiri, nisi proponantur motiua infallibilia, per quæ res tam sublimes fiant euidenter credibiles. Atq;

Atq; hæc est 1. causa, cur propositio Fidei, per motiua certa & infallibilia, debeat ea, quæ credenda sunt, euidenter facere credibilia: ipsa videl: fidei natura, quæ non nisi rebus supernaturalibus & ineuidentibus siue obscuris continetur. 10. Causæ, cur Fides requirat motiua. Fidei natura.

2. Causa est. Fides rectè & sufficienter proposita obligat sub peccato ad credendũ, ea esse infallibiliter vera, quæ autoritate diuinâ nobis credenda proponuntur; ergo propositio debet continere aliqua, quibus mysteria Fidei fiant certò & euidenter credibilia. Neq; enim fieri potest, vt certo & infallibili assensu (qualem requirit Fides diuina & supernaturalis) assentiar illis, quæ vtrùm sint certò & infallibiliter credibilia, non sum certus, aut dubitare possũ. Non ergo obligor credere, nisi cùm scio, quæ credi iubeor, esse certò & euidenter credibilia. Obligatio ad credendum.

3. Naturalis Dei veri & vnius cognitio, euidenter & infallibiliter hauriri potest ex creaturis, quia certum & infallibile Creatori suo præbent testimonium juxta illud Rom. 1. v. 20. *Inuisibilia enim ipsius à creaturâ mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur &c.* ita vt gentiles & Sapientes huius mundi *sint inexcusabiles.* Inexcusabiles autem non forent, nisi testimonia creaturarum, quæ præbent diuinitati, euidentia essent & infallibilia. Ergo à pari, imò fortiori, supernaturalis & diuina Fides per testimonia siue motiua euidentia & infallibilia, cùm in se sit & maneat obscura ac ineuidens, debet fieri credibilis: vt sint inexcusabiles & perfidi Iudæi, & omnes infideles, qui post sufficientem eiusmodi motiuorum propositionem non crediderunt. Et certè alioquin deterioris conditionis foret Lex gratiæ, quàm Lex Moysis & Naturæ; hæc enim habet diuinitatis euidens præconium ac testimonium à creaturis; illa ab innumeris signis & portentis, juxta illud Psal. 92. v. 5. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Superest, vt Lex gratiæ, ne durior in filios gratiæ videatur fuisse Fidei nostræ Autor & Cõsummator, superabundet paribus & maioribus euidentis credibilitatis (quam Suar. disp. 4. de Fide, sect. 5. n. 4. rectè dicit Naturalis Dei notitia indiget motiuis, ergo multò magis supernaturalis.

non esse merè humanam, sed superiorem & perfectiorem) siue testimonijs, siue motiuis. De quorum naturâ, ordine, diuersitate, in decursu plura dicemus.

§. III.

Fidei Christianæ & Orthodoxæ Motiua ex S. Augustino proponuntur summatim.

11. CVm perpetuò illorum facienda sit mentio, penicillo S. Augustini (quem ipsi etiam Euangelici venerantur, veluti æqualem eorum temporum, quibus Doctrinam Fidei incorruptam fuisse existimant) præcipua adnumeramus. Is igitur lib. contra Epist. Fundamenti c. 4. ita infit.

In Catholicâ enim Ecclesiâ, vt omittam sincerissimam Sapientiam &c. quam in Catholicâ Ecclesiâ esse non creditis, multa sunt alia, quæ in eius gremio iustissimè me teneant. Tenet consensio populorum atque gentium; tenet autoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsâ Sede Petri Apostoli, vsque ad præsentem Episcopatum Successio Sacerdotum. Tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causâ inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt cùm omnes Hæretici Catholicos se dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere. &c.

Fuerunt ergò hæc motiua, quæ S. Augustino Fidem Catholicam fecerunt euidenter & infallibiliter credibilem, quibus adductus fuit ad eam amplectendam, & retinendam. Quæ & plura alia vlteriùs explicata legi possunt apud Bellarm. lib. 4. de Ecclesiâ, & alios. Nos verò contra Dorscheum ex mente Kircheri demonstrauimus, *cùm Assensus Fidei diuinæ certus & infallibilis esse debeat, non posse perueniri ad eius mysteria Autoritate diuinâ credenda, nisi per propositionem motiuorum credibilitatis euidentium & infallibilium* idque confirmauimus *ex ipso Scientiarum naturalium exemplo,* quo Dorscheus causam suam extremè vulnerat.

vulnerat. Nunc, fundamento isthoc iacto, ea argumenta dissoluamus, quibus cap. 1. conatur euincere *Scripturam etiam respectu rudium & idiotarum, qui legere nesciunt, esse sufficienter communicabilem, vt inde doctrinam fidei & Salutis, sine autoritate infallibili Ecclesiæ, haurire poßint; idque nisi faciant, culpam esse illorum, non Scripturæ.*

---

§. IV.

Argumentum primum Dorschei ex eo petitum, *quod S. Literæ omnibus hominibus per lectionem sint communicabiles & acceßibiles*, refellitur.

DORSCHEVS.

Dorschei argumentum § 86. est istud: *S. Literæ ita sunt diuinitus ordinatæ, vt omnibus per lectionem communicari possint, & ipsæ se communicabiles atq; accessibiles hominibus exhibeant. Ergo non est ipsarum culpa siue defectus, etsi NB. aliqua ignoratio aut incertitudo circa eas penes aliquos resideat idiotas, & inter homines nullus supersit infallibilis proponens.* 12. Ad §. 86. Dorsch. Anteced. probat pluribus testimonijs, quæ nihil facere ad rem mox dicemus. Pro consequentiâ firmandâ affert nihil, quia nihili est. *Videamus multiplices* argumenti næuos.

Respondetvr.

Antecedens non subsistit. 1. S. Literæ non sunt ita ordinatæ, vt per lectionem communicari possint cæcis, quia absque miraculo nec legere possunt, nec id discere. (Antecedens Dorschei refellitur à cæcis.) 2. Neque sunt communicabiles per lectionem rudibus & idiotis, qui pro vitæ suæ conditione legere non didicerunt, neq; discere facilè solent, aut possunt, aut licet possint, non tenentur, nisi præceptũ aliquod ex suis Biblijs nobis exhibeat Dorscheus. (Ab illiteratis.) 3. Non sunt communicabiles per lectionem illis gentibus, in quarum natiuam linguam Biblia translata non fuère. (A linguæ ignaris.) Apostoli etsi omnium gentium linguis fidem prædicabant, in illarum linguas Biblia transtulisse non leguntur. Neq; vllum vestigium eiusmodi extat, sicuti neq; versionis Germanicæ, quam fecerint vel attulerint, qui primi Germanos ad fidem Christi conuerterunt.

 4. Deni-

A multis gentibus tempore Irenæi.

4. Deniq; tempore S. Irenæi, qui viuebat A.C. 180. *Multæ gentes barbarorum sine charactere, cartâ, & atramento credebant in Christum, scriptam habentes in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes*, vt testatur idem S. Martyr. lib. 3. aduersùs hæreses, c. 4. Neq; ab istis ergo tot gentibus S. Literæ poterant legi, tum quòd in linguâ earum non extarent, tum etiam quia ad illas, vt ex Irenæo apparet, necdum delatæ fuerant. Falsum igitur est Dorschei Antecedens: *Sacras Literas omnibus hominibus per lectionem esse communicabiles, & accessibiles.*

13. Fraus in cōsequente.

Consequens verò siue conclusio (etsi Antecedente negato, eiúsq; falsitate demonstratâ, de eâ tacendo, responsum satis foret,) est fraudulenta, dum infert: *Non esse defectum Scripturæ, etsi aliqua ignorantia resideat penes aliquos idiotas* Mi Dorschee, multa millia sunt cæcorum in mundo; maxima pars generis humani est Idiotarum; multæ sunt, aut certè fuerunt nationes Christianæ, in quarum idioma Biblia non fuêre versa, aut ad quas Irenæi ætate necdum peruenerunt. Hi tot non sunt *Aliqui*, vt parùm sincerè numeras, sed innumeri, sed multò maxima generis humani pars, cui Scriptura nec est, nec fuit, nec erit per lectionem communicabilis.

14. Scriptura juxta Lutheranos laborat multiplici incōmunicabilitate.

Verum igitur est, juxta hypothesin Lutheranorum & aliorū Acatholicorum, Scripturam, quam *vnam solam omnis fidei & vitæ proprium & adæquatum principium esse* contendunt, nō propriè quidem culpâ, quæ in res inanimas non cadit, sed ingenti hoc defectu laborare: quia maiori humani generis parti, per lectionem (quam volunt esse necessariam ad disciplinam Salutis infallibiliter hauriendam) non est communicabilis nec accessibilis, vti demonstratum est. Cùm tamen *Deus velit omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem Veritatis venire.* 1. Timoth. 2. v. 4. & pauperes, debiles, cæcos, claudos, vtiq; & idiotas iubeat introduci, imò & *compelli ad nuptias* cælestes. Luc. 14. v. 23. E contrà nos Catholici nullius defectus S. Literas arguimus, non enim credimus illas institutas pro vnicâ & adæquatâ

quatâ

quatâ veritatis Regulâ; sed infallibile Fidei Magisterium præter ipsam in Ecclesiâ repositum habemus.

Quos PP. aliósq; pro Antecedente suo producit, nemo sapiens aut bonæ mentis, tam cæcos credet, vt cæcis & idiotis legere nescijs, lectionem Scripturæ tribuant, aut legendi onus, vel mandatum imponant. Comendant illi S. Literarum simplicitatem & facilitatem etiam simplicibus apertam, sed illis, qui intellectum in obsequium fidei captiuant, nec quoad omnia, sed præcepta maximè Decalogi, & ante omnia duplicis Caritatis, in quâ *lex pendet & prophetæ.* Matth. 22. v. 40. Exempla itidem virtutum ac vitiorum, misericordiæ, gratiæ, iustitiæ diuinæ, quibus pro instructione fidelium S. Literæ passim redundant. Percurramus obiter Dorschei allegationes.

Iræneus l. 2. c. 42. nihil tale habet; hoc ait: *vniuersas Scripturas & Propheticas, & Euangelicas, in aperto & sine ambiguitate, & similiter ab omnibus audiri posse &c.* Infert Dorscheus, *ergo ab omnibus legi possunt.* Confer Dorschee, quæ sup. n. 12. ex Irenæo allegauimus, & erubesce. 15. SS. Patres perperam allegari. Irenæus.

Clemens Alexandrinus, (cuius protrepticum allegat) nec Scripturam quidem nominat, *sed verbum,* sub quo potest comprehendi æquè verbum non scriptum, quàm scriptum; nec mentionem facit illorum, qui legere nesciunt. Nihil igitur ad rem. Clemens Alexandr.

Origenes locum, quem Dorscheus ex lib. 7. contra Celsum producit, sic claudit: *Diuina potentia prouidens non solùm eruditis Græcis, vt existimantur, sed etiam reliquis, condescendit ad idioticum captum* auditura *multitudinis, vt consuetis verbis apud eos vtendo, imperitos* ad auscultandum *alliceret &c. Cuius enim est perspicuum, qui modo has* (Scripturas) legat, *quòd qui eas diligenter examinant, multò retrusiora inueniunt &c.* Infert Dorscheus: *Ergo Deus legendi imperitos ad legendum allicit &c.* Origenes de auditurâ multitudine loquitur, Dorscheus pro lectione concludit. Origenes examen Scripturarum commendat, modò quis legat; Origenes. NB. NB. NB.

gat; Dorscheus infert, *Ergo etiam his, qui legere nesciunt, Scriptura est accessibilis.*

Chrysostomus. Chrysostomus similiter testimonium ex Homil. 3. de Lazaro à se petitum contra Dorscheum sic concludit: *Apostoli verò, & Prophetæ omnia contrà fecerunt manifesta, claráq; &c, vt per se*
NB. *quisque discere posit ea, quæ dicuntur,* è solâ lectione. Infert Dorscheus, Ergo *qui legere nesciunt, possunt discere Scripturas ex lectione.*

Isidorus Pelusiota. Isidorus Pelusiota ep 67. l. 4. de Scripturæ simplici dicendi genere disserens ait: *Quæ causa quoq; est, quare Scriptura Sacra Veritatem pedestri sermone exposuerit, vt tam idiotæ, quàm Sapientes, quà pueri, quà fœminæ, eam cognoscerent.* Infert Dorscheus: Ergo etiam *idiotæ quà pueri, quà fœminæ Scripturam possunt per lectionem cognoscere.*

Ribera. Ribera Comment: in Nahum f. 478. dicit: *Nouum & veluti senile, aut regale scribendi genus inueniendum fuit, quò augusta Dei mysteria in oculis conspectúque omnium exponerentur.* Infert Dorscheus §. 88. *Ergo legere nesciis per lectionem Scripturæ sunt communicabiles.*

Alij. Eiusdem vel deterioris conditionis esse allegationes Autorum aliorum, quos jubet conferri, ex istis, quos posuimus facilè quiuis sibi persuadet. Falsum ergo est Antecedens, primi huius argumenti Dorscheani: quòd *S. Literæ ita sint diuinitus ordinatæ, vt per lectionem omnibus communicari possint*, & falsa sunt testimonia, quæ adducit.

---

§. V.

Argumentum Secundum Dorschei, *Quòd non sit necessarium ad certitudinem Fidei, vt Sacras Literas quis ipse legat*, refellitur.

DORSCHEVS.

16. Ad §. 89. Dorsch. ITa argumentatur Dorscheus: *Non est necessarium seclusâ licet infallibilitate Ecclesiæ, seu proponentis, vt ad consequendam certitudinem mysteriorum*

riorum fidei in S. Literis contentorum quis ipse illas legat. Ergo non est defectus S. Scripturæ, si maxima pars hominũ illas nesciat, sed ipsarũ. Anteced. probat: *Potest enim quis haurire ex ipsis S. Literis etiam ab alio propositis.* Rom. 10. v. 17. *Neq; enim aliam vim habent in audiendo quàm legendo.* Deinde verò sibi ipsi obijcit, *legere nesciũ posse dubitare de proponẽte, an sincerè secum agat, & non pro S. Literis aliud quidpiam proferat, quia eiusmodi proponens est fallibilis, neq; habet infallibilem assistentiam Regiminis diuini.*

Obiectio Dorschei, in caput ipsius reditura.

RESPONDETVR.

Ita est Dorschee, inuictum est argumentum aduersùs te, quod ab initio capitis vnà cum Kirchero præoccupauimus, & luculenter demonstrauimus §. 1. & 2. *Qui audit ab eo, cui deest infallibilitas, non scit infallibiliter, quod audit, quia potest dubitare de sinceritate proponentis, vt tùte fateris.* In tuum ergo caput illud retorquemus, cùm dicis 1. *Tum locum esse motiuis, quibus proponens aliquis* (legere scil. nescienti) *totum voluminum Sacrorum opus, illustret, explicet, & ita credibile faciat, vt qui Veritatem desiderat, nihil habere insuper possit, quod prudenter obijciat.* Semper enim literarum omnino rudis proponenti hæc motiua credendi Biblijs illud obijcere poterit: *se non scire infallibiliter, vtrùm hæc motiua insint Scripturis, eum enim, à quo illa audit, non esse infallibilem, & posse de illius sinceritate se dubitare.*

Idiota semper dubitare potest de infallibilitate prælegentis.

Cùm 2. eiusmodi idiotam, si nolit motiuis occupari, remittis ad *obuium quemq;, vnum, alterum, tertium, quartum, quintum, &c. doctum, indoctum, orthodoxos, heterodoxos, Germanos, Italos, Gallos, Hispanos, & deniq; ad Iudæos & Gentiles* (*eos* opinor intelligis, qui præter natiuum idioma etiam linguâ idiotæ norint) *vt sibi ab ijs curet prælegi diuinum Codicem, vt ex legentibus dissentientissimis lectionem consentientissimam deprehendat.* Illud idem idiota prudenter obijciet, *hi omnes & singillatim & collectim sunt fallibiles, neq; hoc aut illo modo sum de illorum sinceritate certus, non ergo infallibiliter scio, an hæc sint vera Biblia, aut quid illis contineatur?* Vbi tu nec hiscere quidem ausis Dorschee, quam tu enim infallibilitatem affinges his, inter quos etiam heterodoxos, Iudæos & Gentiles numeras, qui illam toti Ecclesiæ, antiquitati, omnibus Concilijs abiudicas?

Dorscheus frustra remittit ad plures, cùm omnes homines & ipsa Ecclesia sint ipsi fallibiles.

Neq;

17. Serarius Dorscheo non fauet.

Neq; tibi suffragatur Serarius c. 7. q. 7. §. *Primo.* Prolegom: Bibl: Etsi enim is asserit *ante fidei susceptionem non esse necessarium ad credendam Bibliorum autoritatẽ, vt proponatur & credatur prius Ecclesiæ, tanquam Spiritu S. afflata autoritas*, disertè tamen docet I. c. 4. q. 12. *Ijsdem motiuis, quibus Aduersarij contendunt credibile fieri, Scripturæ Autorem esse Deum, ijsdem rationibus generatim demonstrari Veritatem Religionis*, adeóq; & Ecclesiæ Catholicæ. II. c. 7, q. 8. §. IV. *Propositio.* affirmat, eos *qui fidem prædicant, Ecclesiæ quasi personam sustinere*, cuius videlicet Sanctitatẽ, antiquitatem, miracula, aliáque credibilitatis motiua proponunt; cùm autem ordinariè credi non possit sine auditu, neque fides audiri sine prædicante, sequitur, vt hâc ratione semper fides ab autoritate Ecclesiæ dependeat. III. deniq; ibid: addit, *hâc vnâ Ecclesiæ autoritate cogi posse, & ad Bibliorũ autoritatẽ credendã commoueri tam hæreticos, quàm Catholicos, de libris diuinis generatim aut singillatim inquirentes, dubitantes, ratiocinantes.* Hæc Serarius, longè diuersa à sensu tuo, quibus consentiũt omnes Catholici.

Quęuis fidei motiua virtute respiciunt Ecclesiã.

Vnde fatemur equidem, multos ad veram fidem conuerti lectione Bibliorum, aut miraculis, prophetijs, aliísq; particularibus motiuis, qui nesciant Ecclesiæ testificantis testimoniũ, aut de infallibili illius autoritate actu non cogitent, neq; de eâ sint instructi: sed hæc ipsa eiusmodi motiua, virtute respiciunt Ecclesiæ autoritatem, cui tanquam Magistræ, Columnæ, Firmamento Veritatis, implicitè se submittunt, qui tali modo fidem veram concipiunt. Quod vel maximè verum est de illis, qui Scripturarum lectione, vel autoritate conuertuntur. Etsi enim daremus, suppetere motiua, quibus generatim quis persuaderi queat, Bibliorum autorem esse Deum; at, qui libri verè sint Canonici & diuinis Scripturis accensendi, non nisi Ecclesiæ docet autoritas, vt demonstrat Serarius c. 8. q. 5. Neq; de legitimo eiusdem sensu absque eâdem autoritate constare potest, vt docet idem Serarius. c. 10. q. 2. 3. 4. perperam à Dorscheo in hac causâ allegatus.

Neque

Neque felicior est allegatio Tertulliani ex lib. de præscript. aduersùs hæreticos c. 36. Etsi enim is monet *pro curiositate in negotio Salutis exercendâ percurri posse omnes Ecclesias Apostolicas*, frustratorium tamen id est apud Acatholicos, qui sentiunt omnes Ecclesias & simul, & seorsim posse errare. Rursus igitur miser idiota habebit, quod obijciat Dorscheo ex ipsius verbis, se posse dubitare de omnibus his Ecclesijs, quas enumerat Tertullianus, quia *non sunt infallibiles, neq; habent infallibilem assistentiam Regiminis diuini.* Fallax igitur & vanum est secundum Dorschei Argumentum, quòd *seclusâ Ecclesiæ infallibilitate, non sit necessarium, vt Sacras Literas quis ipse legat.* Falsa est eiusdem probatio secundùm Euangelicos, *quòd S. Literæ non habeant aliā vim in legendo, quàm in audiendo.* Nam legere nesciens neminem habet apud Euangelicos, nec ipsam quidem Ecclesiam, de cuius infallibilitate certus esse possit, etsi illam, vel quoscunque alios audiat. Certus autem foret, si vti Tertulliano Carthagine in Africâ fuit, ita Dorscheo, eiúsq; idiotis quoque *Romanæ Ecclesiæ præstò esset autoritas.* Quibus verbis vtiq; Tertullianus, cùm eum librum scripsit, adhuc Catholicus, Supremam & infallibilem Romanæ Cathedræ autoritatem designauit.

Infelix Tertulliani allegatio.

---

§. VI.

Argumentum Tertium Dorschei, *Quia facultas legendi est facilis, & ignorantia eius inexcusabilis,* refellitur.

DORSCHEVS.

18. Ad §. 90. Dorsch.

VIs huius argumenti ex Dorscheanis verborum ambagibus euoluta est hæc: *Qui ipse legendi nescius, in incertitudine de sincerâ S. Literarum prælectione hæret, seipsum facultate legendi destituit, quæ neq; sumptuosa est, neq; tam operosa acquisitu, vt intermitti debeat ad animum Scrupulis liberandum.* Ergo, (quod spectat principale Dorschei argumentum n. 5.) *S. Literæ, non suâ, sed eiusmodi Idiotarum culpâ sunt ipsis inaccessæ, & insufficientes.* Hoc argumentum Dorscheus confirmat duplici ratione. 1. *Si Deus insuperabili difficultate proprios horum hominum oculos à Scriptura lectione*

ctione arcuisset, tum præsumendum de eius bonitate esset, quòd alio remedio tranquillandis eorum conscientiis prospexerit; sed hæc difficultas potest mediocri industriâ tolli, ergo, de alio remedio non prospexit, sed opus est, vt legere discant. 2. Ita ratiocinatur §. 93. Si *Deus voluisset non aliâ quàm Hebraicâ linguâ Res Religionis & Sacra omnia tractari, & explicari, nec non Hebraicè preces ad se fundi, hæc sanè voluntas non fuisset contra iustitiam & bonitatem Dei; & necesse habuisset homo ad Deum accessurus, hanc linguam addiscere*: Ergo multò magis nunc necesse est, vt addiscat legere Biblia in linguâ vernaculâ, quod est facillimum.

RESPONDETVR.

19. Duplex paradoxum. Omnes obligari, vt discant legere. Nisi faciant, maximam partem generis humani esse in statu damnationis.

Ex quibus emergit nouum Dorschei paradoxum, idq; duplex. 1. Illos, *qui legere nesciũt, teneri sub graui culpâ ad literas addiscendas, vt possint ipsi legere Biblia, saltem in linguâ vernaculâ*. 2. *Maximam partem generis humani ob hanc causam quòd legere non discant, esse in statu & periculo damnationis*. Prius eo ipso affirmat, quia negat, eiusmodi hominibus esse *de alio remedio tranquillandi conscientias in negotio fidei prouisum:* tenentur ergo medium Salutis, quod Deus concessit, apprehendere. Vnde necessariò consequitur posterius, maximam mortalium partem, cùm legere non discant, esse reos neglecti vnici remedij ad Salutis viam reperiendam sibi concessi.

Euangelici omnes necessariò dubitant de doctrinâ suorum Pastorum.

Neq; dicat Dorscheus, de his solùm se id affirmare, qui *fluctuant, vel dubitant & Scrupulis agitantur, de sinceritate & veracitate eorum, à quibus Sacras literas sibi prælegi, prædicari, & explicari audiunt, non item de alijs, qui nihil ambigunt*. Iuxta principia enim sua omnes Euangelici coguntur ambigere de doctrinâ suorum Pastorum, & omnium hominum, donec ipsam cum Scripturis contulerint, & in ipsis per ipsas veritatem indagauerint, ad quod omnes teneri adultos paulò infrà asserit Dorscheus n. 95. Hoc autem non posse eos, qui legere nesciunt, facere infallibiliter, constat ex dictis. Non *licet in causâ æternæ Salutis alienæ sententiæ ita inhærere, vt eam sine nostro ipsorum iudicio amplectamur. Ad vnumquemq; hominem priuatum pertinet, de doctrinâ Religionis judicare, & veram à falsâ internoscere*, ait Brentius

Brentius.

in Pro-

in Prolegom: aduersùs Petrum à Soto. Idem tradit in Confess. Wittemberg. cap. *de Script: Sacrâ.* Lutherus in præfat. suarum assertionum apertè nos remittit ad *Spiritum siue iudicium, quod quisq; habet, dum Scripturas diligenter legit:* idémque confirmat in assertionibus art. 27. 28. 29. Ergo vniuersim nulli Lutherani siue nuncupati Euangelici, qui legere nesciunt, certi esse possunt de doctrinâ fidei, nisi discant legere, ipsique legant Biblia; ex quorum lectione vnicè dependet iudicium de verâ falsâq; Religione; auditio enim sola est exposita multis ambiguitatibus. Lutherus.

20. Vtrumque autem, & teneri omnes homines ad discendas literas, & maiorem illorum partem ob imperitiam legendi Biblia, esse in statu damnationis, tam est paradoxum, quàm paradoxum foret solem non lucere in meridie, si tegatur nubibus. I. Quia huius obligationis & periculi damnationis nullum est vestigium in S. Literis, imò nec leuiter quidem reprehenduntur, qui legere nesciunt. *Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cùm dederint scienti literas, dicent: Lege istū; & respondebit: Non possum: signatus est enim: Et dabitur liber nescienti literas, dicetúrq; ei: lege: & respondebit: nescio literas.* ait Isa. c. 29. v. 11. & 12. neq; ideo, vti vellet Dorscheus, reprehēditur iste idiota, sed totus populus Israël, quòd *labijs appropinquet Deo, cor autē eius longè sit ab ipso.* v. 13. II. Nullus Patrū, vel Doctorū vnquam ita sensit. Allegat multos Dorscheus, quibus referēdis vt occupemur, non est operæ pretium, cùm nec verbulo patrocinentur huic duplici paradoxo. Appellamus sinceros oculos & bonam mentem illorum, qui legent, vt falsi crimine nos infamēt, si vel syllabam de his idiotis in allegationibus Dorscheanis repererint. III. Quid facerent illi, in quorum linguam Biblia needum sunt translata? Hi, enim omni saluificæ Veritatis remedio essent destituti, cùm non intelligant linguas sibi peregrinas, in quibus Biblia sunt scripta. IV. Non patitur *Iugum Domini suaue & onus leue.* Matth. 11. v. 29. vt hæc obligatio im-

Scriptura non obligat ad discendas literas.

Neque PP. vel DD. tale quid docent.

Quid facient linguæ ignari?

Iugum Domini suaue & onus leue.

ponatur omnibus Rusticis, operarijs, opificibus, militibus, feminis pariter & viris, mendicabulis &c. vt discant literas. Deficiunt Magistri, otium, occasio, minerual, licentia, facultas ingenij & indolis, quorum defectu innumeri à literis addiscendis impediuntur. Multò minùs veri speciem habet, Deũ nobis impositurum vnquam, stante solitâ suâ bonitate, legem addiscendæ linguæ Hebraicæ, nimis quàm peregrinæ & difficilis. Sed non est mirum talia de nouo fingere Dorscheum, qui dudum est assuetus Patri Misericordiarum affingere præcepta seruatu impossibilia.

Obnuntiat Lutherus.

V. Denique repugnat in hoc paradoxo adstruendo Dorscheus & Magistro suo Luthero, & Formulæ Concordiæ. Lutherus enim in præfat. primâ Catech. Maioris, (qui insertus est libro Concordiæ) asserit illum, *qui decem præcepta probè nôrit ac perdidicerit, totam etiam Scripturam scire, ac esse Iudicem omniũ doctrinarum, ordinum, Spirituum, Iuris & æquitatis, ac quidquid in mundo esse poßit &c.* Potest autem etiam qui legere nescit, decem præcepta probè nosse ac perdiscere. Et Formula Concordiæ in præfat. Epitomes articulorum controuersorum, mihi f. 571. n. 3. ait *Euangelicos etiam amplecti minorem & maiorem D. Lutheri Catechismos, vt ij Tomis Lutheri sunt inserti: quòd eos, quasi Laicorum Biblia esse censeant &c.* in minori autem & maiori Catechismo Lutheri instruuntur etiam illi, qui legere nesciunt; neque vigore libri Concordiæ videntur obligati ad legenda ipsa Biblia, cùm Catechismus Lutheri sit ipsis veluti loco Bibliorũ. Etsi hæc cum ijs, quæ aliàs de lectione Scripturæ cunctis necessariâ disputant, parùm cohæreant.

Formula Concordiæ.

Ergo, quod ex dictis sequitur, nulla est obligatio, nulla culpa idiotarum & legere nescientium, si legere non discant; sed ruit tertium Dorschei argumentum, quod *sine duplici grauissimo absurdo sustineri non potest.* Habent autem tam docti literati, quàm illiterati, præsens saluificæ Veritatis discernendæ remedium, in infallibili Ecclesiæ Catholicæ autoritate repositum.

§. VII.

§. VII.

Argumentum IV. Dorschei, ex *imaginario mandato diuino, quòd adultioribus praecepta sit lectio Scripturae* petitum, refellitur.

DORSCHEVS.

ITa scil. argumentatur. *Sacras literas legere incumbit adultioribus necessitate praecepti diuini. Ergo legere nesciens, & fluctuationis suae mouens querelas, suam potiùs incusare debet culpam, quàm requirere aliquam infallibiliter assistentem autoritatem.* Quasi diceret: *Ergo legere nesciens, quia legere non discit, reus est peccati; Scriptura autem seclusâ etiam Ecclesiae autoritate, sola est sufficiens.* Antecedens dicit se probâsse & euicisse ex Sacris literis in suis *praelectionibus de Sacrâ Scripturâ.* Allegat pro confirmatione S. Chrysost. ex hom. 3. de Lazaro, & indignatur Sixto Senensi, ac Bellarmino, quòd dicunt *Chrysostomum in asserendâ necessitate lectionis Scripturarum hyperbolicè locutum.* Tum ab exemplo ratiocinatur. *Regis primaria Regni sui monumenta, publicantis, eáq; seruantis incorrupta, & simul pollicentis in illustri aliquo loco, se omnes vitae commoditates ac delitias subditis dispensaturum, hâc tamen conditione, vt legant illa monumenta, & potissimâ ex parte memoriâ comprehendant: dubium enim non esse, quin omnes etiam idiotae facultatem legendi intelligendiq; eiusmodi monumenta sibi comparare niterentur, vt promissae felicitatis fierent compotes. Atqui maior Rex est Deus: maiorem promittit felicitatem, legentibus scil. Scripturas &c.* Subdit denique: *Quidquid sit de Regis nostri beneuolentiâ gratiâq; immensâ, qui etiam ex imbecillitate quâdam negligentibus Annalium suorum euolutionem propitius est, & salutem dat: Non tamen sine merito offensa Regia, & iactura tantae felicitatis contra praescriptum Regium agitur.* Subiungit denuo allegationes, Caesarij Arelatensis, Gregorij Magni, Laurentij Villauincentini, Huberti Sultteputtaei, Francisci Amerli. 21. Ad §. 96. Dorsch. Exemplum Dorschei.

RESPONDETVR.

Nos in primis dicimus, non minùs hoc argumentum, quàm proximum pugnare cum tertio. *Si enim non est necessariũ, vt Sacras Literas quis ipse legat*, ergo non *est mandatum, vt legat.* Deinde hoc argumentum coincidit cum priori, *teneri enim ad discendas literas, vt possis legere* Scripturam, *supponit, vel infert, teneri te, vt legas.* Porrò negamus Dorschee extare vllum mandatũ diuinum in Sacris literis, quod adultioribus incumbat illas le- 22. Argumenta Dorschei pugnantia.

gere. Negamus, id te aut tuos vnquam euicisse. Si ex vllo loco Scripturæ in bonâ formâ, aut ex vtrâq; præmissâ verâ, siue non ambiguâ, inferes hanc conclusionem: Ergo omnibus adultioribus præceptum *est à Deo, vt legant Scripturas*, tùm enim verò dabimus manus. Interim legemus: *Fides ex auditu Rom. 10. v. 17.* & ponderabimus nusquam legi, *Fides ex Scripturâ, siue Biblijs.* Legemus: *Quod Christus ascendens in altum dederit nobis Pastores & Doctores &c. Eph. 4. v. 11.* & ponderabimus, nullam mentionem ab Apostolo fieri Scripturæ, quæ si sola sufficeret ad Veritatem Fidei, hoc maximè loco eius facienda erat mentio. Omittimus alia decantata.

Deinde, paradoxum est, *omnes legere nescios sub culpâ, siue peccato obligari, vt discant legere*, vti monstrauimus § 6. per Regulas enim Logicorum *falsum & absurdum non sequitur nisi ex falso & absurdo.* Ergo & falsum & absurdum ac paradoxum est *omnibus adultioribus esse hoc præceptum impositum*, quod à maiori illorū parte impleri non potest, nec debet. Exemplum *Regis publicantis monumenta Regni sui, sub speciosâ conditione* à Dorscheo afflictâ, retorquemus. Nullus vnquam Princeps sapiens inter homines extitit, vel extabit, qui ponat hanc legem aut conditionem Subditis, vt omnes & singuli addiscant legere, cùm id moraliter fieri non possit ob varias difficultates suprà tactas, & per se manifestas; Ergo multò minùs id faciet Rex Regum, cuius *Sapientiæ non est numerus*, præsertim vt *mandet monumenta sua potissimâ ex parte memoriâ comprehendi.*

Exemplum Dorschei retorquetur.

Quis enim idiotis imponet, vt maiorem Bibliorum partem memoriter edifcant? Mirū verò est, quod addit: etsi *Regis nostri gratiâ, qui etiā ex imbecillitate negligentibus monumentorū suorū euolutionem est propitius, non tamen sine merito offensæ & iacturæ tantæ felicitatis id agi.* Si enim de Rege, quem pro exemplo affert, id asserit: non dixit ab eo obligari subditos. Si de Deo nostro glorioso, quâ ratione simul consistunt: *esse propitium negligentibus Scripturarum lectionem, & mereri illius offensam, & iacturam æternæ feli-*

næ felicitatis? Scilicet pænitebunt de hâc offensâ, quæ Fidem ipsam tollit. Sed quomodo pæniteant, qui non credunt sibi hâc de re quidquam esse præceptum? Eat Dorscheus, & roget Rusticos, Opifices, Plebeios, aliósque idiotas suos legere nescios, an credant, vel vnquam audiuerint, se sub culpâ obligari ad discendas literas? Nemo id sibi persuasit, nemo persuadebit, aut persuaderi patietur.

Denique Allegationes omnes sunt frustratoriæ & inanes. Nam I. Autorum horum nullus loquitur de illis, vel ad illos, qui careant fide Orthodoxâ, vel dubitent de illâ; sed suppositâ verâ fide, exhortantur illos, vt per lectionem Scripturarum assiduam, aut frequentem se excitent ad timorem Dei, fugam peccatorum, studium virtutum &c. Quod non est ad rem; id enim Dorscheo probandum erat: lectionem Scripturarum Adultis necessariam, aut præceptam esse ad reperiendam veram & Orthodoxam Religionem. 23. Allegationes inanes.

II. Fatendum est, Scripturas, quatenus continent exempla diuinæ Vindictæ in impios, pręcepta virtutū, res gestas Sanctorum, & piorū hominum &c. ad vitam Christianè & piè ducendā multū conducere, & necessarias moraliter posse dici, vt vel legantur ipsæ, vel vt in libris Spiritualibus (quos sub nomine generali etiam Chrysostomus hoc loco commendat) proponuntur. Qualem necessitatem non negant Catholici, quorum conciones & libri hæc accuratè persequuntur; imò & ipsam Bibliorum lectionem ad hunc finem suadent, & frequentant. Versiones duntaxat in linguâ vulgari, propter multas earum corruptelas passim non permittunt. Neq; verò negare potest Dorscheus, multa in concionibus sæpe exaggerari, ad ciendos animorum motus, non ad amussim Theologicam in dogmatibus fidei statuendam. Lectio Scripturæ, quâ ratione vtilis vel necessaria. Chrysostomus.

III. Nullus illorum, quos citat Dorscheus, legere nescios idiotas adhortatur, vel adigit, vt legere discant. Etiamsi aliquis (ait Cæsarius Arelatensis, prout illum Dorscheus citat ex homil. Cæsarius Arelatensis.

mil. 2. tom. 2. Bibl. Patrum edit. 2.) *nesciens literas, non possit legere, potest tamen legentem libenter audire &c.* idémq; paulò pòst repetit. Nihil ergo vllius momenti conclusit vel attulit Dorscheus aduersùs Idiotas legere nescios, pro suo paradoxo, quod teneantur ad literas discendas. A quâ obligatione, si vlla foret, saltem teneretur absoluere cæcos, illísque aliud medium reperiendæ infallibiliter Veritatis assignare.

---

§. VIII.

Argumentum V. Dorschei: *Sacras literas non indigere alterâ Autoritate, præter eam, quæ in ipsis est,* refellitur.

DORSCHEVS.

24. Ad §. 100. Dorsch. Sic disputat: *Sacræ literæ, cùm etiam non valentibus legere proponuntur per Doctoris, Pastoris, aut alterius ministerium, non indigent aliâ autoritate, præter eam, quæ in ipsis Sacris literis, & diuina ac inuicta potentia est.* Probat I. Sacræ literæ sunt *principium diuinæ cognitionis summum sub Deo, immutabile & infallibile;* idque ait, se *probâsse alibi* multis allegatis. *Principia autem Scientiarum non habent opus aliquo proponente infallibili, per aliam aliquam vim demonstratiuam, præter eam, quæ est in virtute principiorum.*

RESPONDETVR.

Super quo rursus nos remittit ad suas disp. Theol. Zach p. 2. d. 1. q. 1. pag. 47. & seqq. oblitus, quod paulò suprà §. 84. hoc ipsum argumentum de principijs Scientiarum produxerit. Ad quod respondimus abundè §. 1. & 2. vbi luce clarius ostendimus, quanta sit disparitas inter principia Scientiarum, ipsásq; scientias, & inter principia & mysteria fidei. Illa enim propter sui euidentiam non opus habent alio infallibili proponente. Ista verò propter sublimitatem supernaturalem & obscuritatem, non possunt credi, nisi per aliquam infallibilem propositionem fiant credibilia. Neq; id damus, Scripturam ita esse sub Deo summum principium, vt vel sola sit, vel Ecclesia in eâ proponendâ & interpretandâ non sit Magistra.

De principijs Scientiarum suprà responsum est.

DORSCHE-

DORSCHEVS.

Probat. 2. *Scriptura instar aliarum reuelationum, non solùm obiecta credenda, & articulos fidei, sed etiam seipsam animo insinuat instar lucis.* Quam contendit communem esse Scholasticorum doctrinam & ex Valentiâ ita proponi ait à Tannero tom. 3. Theol. Scholast. p. 36. n. 116. *Fateamur, quod verius & planius est, ipsum etiam reuelationem credi vt reuelatam, non quidem necessariò per aliam reuelationem, sed per seipsam, sicut lumen, aut lucem* (per quam videmus obiectum) *videmus per seipsam, non per aliud lumen &c.* Ergo legere nescius, & de Scripturæ propositæ certitudine dubitans, si malitiosè non repugnet, ipsâ illius sufficientiâ & efficaciâ corroborabitur ad illam amplectendam. 25. Tannerus.

RESPONDETVR.

RESP. 1. Sententiam Tanneri & Valentiæ, licet probabilem, imò certiorem, esse tamen priuatorum Doctorum, ideóq; cùm quæstio sit de certitudine fidei, nō rectè nobis à Dorscheo obijci. Vasq. enim teste ipso Tann. n. 72. & alij sentientes fidem esse discursiuam, asserunt reuelationes & obiectum reuelatum non credi per eundem actum, sed per diuersum, qui saltem naturâ prior sit assensu fidei circa propositionem reuelatam, ex quo illa per modum Conclusionis deducatur. Non est de Fide, eodem actu credi reuelationem, & obiectum reuelatum.

RESP. 2. Scripturam nec esse reuelationem, neque rectè talem dici, nisi per Metonymiam, quâ ratione signum appellatur nomine significati, aut continens nomine contenti. Complectitur Scriptura eas historias, mysteria diuina, & præcepta viuendi, quæ per reuelationem acceperunt Prophetæ, Apostoli, aliiq; Scriptores Canonici. Continet, inquam, verba, quibus reuelationes & inspirationes sibi factas ijdem Scriptores explicârunt. Aliud est signum, aliud significatum, aliud propositio reuelata, aliud ipsa reuelatio. Signa, siue verba & propositiones scriptas habent, vident, legunt innumeri, qui habent Biblia. Reuelationes de rebus significatis habuerunt soli Scriptores, *siue Sancti Dei homines*, qui teste Petro ep. 2. c. 1. v. 21. *Spiritu S. inspirati locuti sunt*, siue scripserunt. Nisi Dorscheus dicat, omnibus qui Scripturas legunt, fieri reuelationem eorum, quæ legunt. Scriptura non dicitur reuelatio, nisi per tropum.

Ingens luminis & Scripturæ disparitas.

Scripturam esse *luminis instar, cuius beneficio credenda applicantur animo*, tam clarè falsum est, quàm clarè sol lucet. Lumen enim sub sensum cadit, & naturale quiddam est. Occulta Bibliorum veritas naturalem intellectus vim transcendit & sensum omnem. Nulla de Scripturis locum haberet disceptatio, si verum diceret Dorscheus; sicut apud oculatos nulla est dissensio de luce solis, quatenus in oculos illorum cadit. Deniq; si Scriptura instar luminis credenda applicat, non solùm ergo nullis motiuis, quæ tantopere iactatis, opus habet, sed neque vlla admittit. Lux enim Solis, quæ applicat obiecta visibilia oculis, nullâ aliâ re indiget, vt illa exhibeat, nec vllis facibus iuuari potest. Nisi tam lucidam Scripturam Dorscheus facit, defectum illi instar Lunæ impingat necesse est.

DORSCHEVS.

26. Probat. 3. S. Literæ *non semel potentiam confortandi, conuertendi, atq; illuminandi exercuerunt immediatè sine vllo ministerio humano, idq; se alibi exemplis* confirmâsse dicit: Ad eum videl: modum, quo S. August. l. 8. Conf. c. 12. lectione S. Pauli se conuersum scribit. Ergo si Doctore, vel amico aliquo illas nobis prælegente, audiamus, eâdem ratione commoueri poterimus.

RESPONDETVR.

Non de exemplis, sed de sequelâ lis est.

Non litigamus de exemplis; Sequelam suam Dorscheus ipse tamdiu negare cogitur, quamdiu non reuocabit, quod suprà §. 100. sibi ipse obiecit: *legere nescium posse dubitare de proponente, an sincerè secum agat, quia est fallibilis, neq; habet infallibilem Assistentiam regiminis diuini.*

DORSCHEVS.

Probat. 4. *Existentia cœlestis Veritatis in Sacris literis non minùs est infallibilis, quàm eiusdem assistentia apud Pontificem Romanum (quam contra veteres Doctores suos comminiscuntur Papistæ) sed assistentia hæc infallibilis potest seipsam sufficienter proponere dubitantibus.* Ergo & illa &c.

Nec reuelatio, nec veritas reuelata seipsam proponit.

RESPONDETVR.

RESP. 1. Verissimam esse Maiorem, Minorem verò falsissimam. Non proponit seipsam infallibilis Spiritus S. assisten-

tia,

tia, quam habent Summi Pontifices & Concilia Generalia ſe-gitimè congregata: Nulla veritas reuelata, vel reuelatio, niſi immediata, ſeipſam proponit; & veritas reuelata à reuelatione, & reuelatio diſtinguitur à propoſitione. Ipſa quoq; Principia Scientiarum proponente indigent, & aliud eſt veritas eorundem, aliud propoſitio; ſed ſeipſum & omnia confundit Dorſcheus.

Nimis quàm latum diſcrimen eſt inter reuelationem diuinā & propoſitionem. I. Reuelatio immediatè ipſos fidei articulos ſiue myſteria pandit: Propoſitio reuelationem de his factā eſſe, per motiua quædam credibile facit. II. Aſſenſus fidei per ſe solùm nititur reuelatione Dei tanquam ratione formali; Propoſitio autem ſolùm eſt conditio, ſine quâ homo non poſſet applicare animum ad credendas res ſupernaturales, & nobis tam obſcuras; ideóque motiuis propoſitis, ipsâq; propoſitione, nititur quidem immediatè Iudicium credibilitatis, quod præcedit fidem: non autem ipſa fides: vide, quæ diximus ſuprà §. 2. n. 8. 9. 10. III. Reuelatio neq; debet, neq; ſolet fieri ſingulis credentibus; ſed ſufficit factam eſſe Prophetis, Apoſtolis, aliiſque Fidei Magiſtris, & eorum doctrinam ſiue ſcriptam, ſiue traditam in vſum publicum Eccleſiæ & fidelium, imò omnium hominum eſſe deſtinatam. Propoſitio autem fieri debet ſingulis credentibus, aut credituris, vt per fidē diuinam ijs myſterijs poſſint ac velint aſſentiri, quæ cùm rationem naturalē longè tranſcendant, non niſi per aliqua credibilitatis motiua nobis applicantur. IV. Deniq;, Reuelatio fit immediatè ab ipſo Deo per illuſtrationes & inſpirationes mentis, aut certè eius nomine & autoritate; Propoſitio autem fit ordinariè per homines juxta illud Rom. 10. *Fides ex auditu. Quomodo autem audient ſine Prædicante &c.*

36. Multiplex inter Reuelationem & Propoſitionem diſcrimen. 1. 2. 3. 4.

Quòd verò Dorſcheus contendit, Becanum eo loco, quem ex tom. 2. opuſculorum eiuſdem, de circulo Caluiniſtico adducit, in *causâ Fidei ſecundùm ſe, & eiuſdem acceptatione, nullam*

27. Becanus fallaciter allegatus.

aliam infallibilem autoritatem præter diuinam reuelantem, agnoscere, fallit: Ille enim totius *orbis consensus, Apostatarum à Fide Christianâ improbitas, miracula in eius confirmationem edita, quibus vt tot populi in errorem abducantur, non fert diuina prouidentia,* quæ enumerat Becanus, aliáq; similia (quibus *permotus aliquis Ethnicus Philosophus judicat prudenter credi posse, quæ in Euangelio scribuntur, & à Christianis prædicantur, ideóque vult deinceps credere, quæ antea non credebat,* vt ait Becanus,) non habent illa quidem infallibilitatem supernaturalem, sed naturalem valde perfectã, quæ sui euidentiâ intellectum bene dispositum conuincat. Qualis est infallibilis illa euidentia Diuinitatis, quæ ex *creaturis intellecta conspicitur*, & gentiles, qui Deum vnum & verum non agnoscunt, reddit *inexcusabiles.* Rom. 10. v. 19. 20. & seq. Non minùs imò magis infallibilis & euidens est credibilitas, quæ consurgit ex motiuis & notis veræ Ecclesiæ, vti diximus §. 2. n. 10. Etsi non sit supernaturalis, sed naturalis, & ad supernaturalem præuia.

Motiua Fidei faciunt infallibilitatem & euidentiam naturalem.

Quare nullus est circulus, cùm ex his infallibilibus motiuis demonstramus esse credibile, eiusmodi Ecclesiam, eiúsq; Pastores & Doctores, quorum supremus est Pontifex, esse diuinitus institutam: & ex hoc iudicio credibilitatis pio voluntatis motu concepto, transimus ad eandem Ecclesiam, eiúsque doctrinam, tanquam à Deo, qui suprema Veritas est, reuelatam, diuinâ fide credendam. In quâ reuelatione Fides nostra vnicè fundatur & acquiescit.

Non est circulus à motiuis Fidei præcognitis, transire ad Ecclesiam Fide diuinâ credendam.

Falsum verò est, quod Parenthesis Dorscheana habet fol. 377. nos *infallibilem assistentiam apud Pontificem Romanum contra veteres Doctores nostros comminisci.* Neq; id in præliminaribus §. 17. p. 73. quò Dorscheus remittit, vllatenus probauit. Nam I. allegat *Alphonsum à Castro aduersùs hæres.* l. 1. c. 4. & *Martinũ Marloratum Lotharingum*, homines nostri, vel superioris æui, non ergo veteres. Cuius nominis prærogatiuam maximè sibi vendicant Doctores primorum quatuor vel quinq; seculorum

Non comminiscimur infallibilitatem Pontificis. §. 17. Prælim. refellitur.

à Chri-

à Christo. Marloratus veluti procurator in causis politicis, inter Doctores Catholicos, vtpote profanus, nec Theologus, nequaquam locum meretur. Alphonsus à Castro lib. & cap. à Dorscheo allegato, in tribus exemplaribus, quæ penes nos sunt, verba illa non habet, sed hæc: *Omnis enim homo errare potest in fide, etiamsi Papa sit*; secutus videl: sententiam illorum, qui dicunt Papam absque Concilio errare posse. Illud autem, quod omnes Catholici tenent, Concilia generalia autoritate Pontificis legitimè congregata errare non posse, adeóq; præbere infallibilem fidei Regulam, idem Castro disertè docet c. 6. 7. 8. vbi illud insuper addit: *Sedem Apostolicam* (quam *nunquam errâsse* affirmat) *comprehendere tam Collegium, cuius consilio iuuatur Pontifex, quàm ipsum Pontificem. De hâc autem Sede non constat, eam aliquando errâsse. An autem totum Collegium Cardinalium errare possit, non differo: tamen credo, quòd Dominus nunquam permittet, totum Collegium hæresi maculari.* Non solùm ergo Pontifici cum Concilio generali, Castro omnem (quod omnes Catholici faciunt) sed etiam cum Collegio Cardinalium, vel eandem, vel saltem aliquam tribuit infallibilitatem, vt indignum sit, illum nobis obijci.

Marloratus profanus.

Alph. à Castro Dorscheo non suffragatur.

Falsum igitur est, cùm *nescientibus legere S. Literæ ab aliquo præleguntur, non requiri præter ipsarum autoritatem, aliam propositionis, vel proponentis infallibilitatem.* Neque illud Dorscheus vel autoritate, vel rationibus probauit, nisi friuolis, & inanibus, quæ nihil probant.

---

§. IX.

Argumentum VI. Dorschei, *si idiotæ dubitantes de Sacris Literis sibi prælectis ad Ecclesiæ autoritatem remittantur, maioribus illos difficultatibus implicari*, refellitur.

DORSCHEVS.

ITa vrget: *si dubitantem de Sacrarum literarum ritè prælectarum autoritate, ad infallibilem Ecclesiæ autoritatem deduxerimus, neq; illis medijs con-* Ad §. 101. Dorsch. 28.

ficiendi consummandique supernaturalem Fidei assensum contenti erimus, quæ subministrat ipsa Scriptura Sacra: maioribus *difficultatibus atq; ambagibus, adeóq; maiori incertitudine eundem implicabimus.* Non est ergo necessaria nescientibus legere, aliqua extra Scripturam ritè prælectam, infallibilis autoritas.

Gradus difficultatum à Dorscheo obiecti.

Anteced. probat gradatim, demonstrans scil. difficultatem vnã ex aliis nasci, si idiota ad Ecclesiam remittatur. 1. *Si laico legendi nescio, Biblia vel traditiones Pastor Pontificius referat, laicus dubitabit, an bonâ fide secum agat? Pastor enim & particularis illa Ecclesia falli potest.* 2. *Pastor remittet ad Episcopum, qui nec ipse infallibilis est.* 3. *Episcopus ad Archiepiscopum, & hunc quoq; non infallibilem.* 4. *Archiepiscopus itaq; remittet ad Papam, qui quidem dicitur infallibilis: sed multò maxima se hic ostendunt difficultates.*

Difficultates Papales.

Nam 1. *vnde constat Papæ infallibilitas? An quia ipse dicit? An quia Scriptura? sed de Papæ certitudine quæritur. An quia ex quibusdam motiuis id liquet? At quid si motiua non quadrarent? Aut nónne motiua assensum tantùm moralem, non verò supernaturalem causant?*

2. *Quis definiuit controuersiam de infallibilitate Papæ? si Conciliũ sine Papâ, iudicium incompletum erit; Concilium cum Papâ id nondum determinauit; Neq; aliquod Concilium Oecumenicum damnauit Scriptores Catholicos, qui in hàc re dubitant, aut negant. Si ergo necdum determinata est infallibilitas Papæ, quomodo assensum dubitantis infallibiliter determinabit?*

3. *Sunt inter Catholicos, qui dicunt istam propositionem non esse de fide:* Vrbanus VIII. (Innocentius X.) est summus Pontifex, teste Didaco Nugno Cabezudo tom. 2. in 3. p. q. 20. a. 5. disp. 1. Adde Tanner. to. 3. disp. 1. q. 4. n. 163. & seqq. Si igitur non est infallibile, quòd *Innocentius X. sit Papa, quomodo erit infallibile, quod dicit & docet?*

4. *Dubitari potest, an Canonicè ingressus sit? An non substantialis error in electione & approbatione eius inciderit? An pronunciet, vt Papa, vel vt priuatus Doctor? An debitas circumstantias ad infallibilem determinationem* (vt ex Valent. in Analysi li. 8. c. 3. §. *Respondeo sine*, apparet) *fortassis requisitas obseruet?*

5. *Quid si Papam accedendi neq; potestas sit, neq; occasio? Quid si Romam ingresso, non liceat propter occupationum confluxum, salutare Papam, & consulere?*

6. *Quid si incidat mors Papæ? & Cardinalium discordia, ad sex, septem, aut octo menses Electionem noui Pontificis prolonget? Et verò te interim ipsum de principio Salutis dubitantem, mors certissima vrgeat, vbi tum infallibilitas Papæ?*

Dicent,

Dicent, Papam ordinare hierarchiam & Pastores, ex his vnum esse consulendum, aut plures: At vocatio Pastoris potest esse erronea, simoniaca, illegitima; quoniam, vti in re facti, etiam Papa in eâ errare potest. Vnde tota Spiritualis potestas est in ancipiti. Deinde, nónne singuli Pastores errare possunt? nonne integræ Diœceses?

Vide igitur, quibus ambagibus circumducatur, qui aliter, quàm ad fontes Israël (vid. S. Literas) *ducitur? Quantò planius est legere nescium, si de legentis sinceritate dubitet, conquisitis adiutoribus & exploratoribus, ipsam lectionem iterare, tertiare, & ex diuinis verbis haurire, quod Salutem sitienti satisfaciat?*

RESPONDETVR.

Hæ sunt Dorschei nebulæ, & exploratissimæ Veritati affictæ ambages, vt persuadeat, legere nescientibus fidei certitudinem magis esse inaccessam apud Catholicos, quàm Euangelicos. Sed mox extra nebulas Sol lucebit. 29.

RESP. I. In his gradibus comminiscendis Dorscheum capitali vsum fraude. Ita proponit Infallibilitatem Summi Pontificis, veluti sententia Ecclesiæ Catholicæ, & de Fide definita esset, *solum Pontificem etiam sine Concilio Generali esse infallibilem*, cùm multi Catholici Doctores, (etsi improbabiliter) teneant Pontificem sine Concilio posse errare, prout videre Dorscheus potuit in Bellarm. quem toties habet in manibus l. 4. de Pont: c. 2. & l. 2. de Concilijs c. 14. Remittimus igitur dubitantem de infallibilitate propositionis sibi factæ, *non ad vnum vel alterum Episcopum, aut Archiepiscopum, vel Ecclesiam aliquam particularem, neq; ad solum Pontificem, sed ad Concilia Generalia autoritate Summi Pontificis congregata, celebrata, & approbata*, in *quibus infallibilitatem Ecclesiæ vniuersalis Catholici reponunt vniuersi.* Hic tu Dorschee Gerardi tui communes forulos euolue, &, si vir es, produc Romanæ Fidei Scriptorem, qui contrà sentiat, aut scribat.

Capitalis Dorschei fraus.

Dubitans remittitur ad Pontificem & Concilia, cum quibus errare non potest.

Quod ais, *esse inter Catholicos, qui hanc propositionem:* Innocentius X. est Summus Pontifex, *negent esse de fide*, esto. Sed nulli sunt, qui negent non esse tantæ certitudinis, quæ sufficiat, vt oblige-

Innocent. X. esse summũ Pontificem est infallibile.

obligemur ad agnoſcendum illum pro Chriſti Vicario, & obediamus ac ſubiaceamus illi, tanquam *peruigilanti & rationem redditurο pro nobis*, quod de omnibus Eccleſiæ Prępoſitis monet Paulus Hebr. 13. v. 17. & vel maximè quadrat in Pontificem tanquam Præpoſitum Præpoſitorum. Sunt (inter quos Tanner. l. cit. n. 166.) qui cenſeant eſſe de *fide dictam propoſitionem, non quidem immediatè, ſed mediatè, vtpote ex vnâ propoſitione reuelatâ, & alterâ euidente deductam.* Quales propoſitiones alij quidem negant eſſe reuelatas, ſiue de Fide, concedunt tamen eſſe Theologicas certas & infallibiles, adeóq; & iſtam: *Innocentius X. eſt Summus Pontifex.* Deducitur enim ex iſtâ: *Omnis Canonicè electus, ſiue promotus ad Cathedram Apoſtolicã eſt Summus Pontifex*, & hâc alterâ: *talis eſt Innocentius X.* Ergo &c. vel potiùs ex maiori iſtâ: *Omnis, quem acceptat vniuerſalis Eccleſia, eſt Summus Pontifex*, & hac minori: *talis eſt Innocentius X.* Ergo &c. Vbi maior eſt de Fide apud Catholicos, qui vnanimiter conſentiunt Eccleſiam vniuerſalem, *quæ eſt columna & firmamentũ Veritatis*, 1. Timoth. 3. v. 15. in ijs quæ pertinent ad totius Eccleſiæ ſtatum & regimen, qualis vel maximè eſt Summi Pontificis acceptatio, non poſſe errare. Minor autem eſt euidens, quia nemo Catholicorum electionem Innocentij X. impugnauit, aut ab eius Obedientiâ ſe ſubtraxit, vel ſubtrahit. Quin etiam, cùm olim electi fuêre Põtifices plures in aliquo Schiſmate, & ſubinde multi dubitarent, quis eſſet legitimus Pontifex, denique tamen ex vniuerſalis Eccleſiæ ſenſu & omnium (ſaltem deinceps) conſenſu patuit, quiſnam pro vero Pontifice fuerit, aut ſit habendus. Certum ergo & infallibile eſt apud Catholicos, *Innocentium X. eſſe verum ac legitimum Pontificem, cui ſecundùm Regulam Fidei Orthodoxæ ſit obediendum tanquam Vicario Chriſti, quiq; cum Concilio ſaltem Generali, non poſſit errare:* ſiue certitudine ac infallibilitate Fidei, ſiue deductionis Theologicæ conſtet, illum eſſe Summum Pontificem.

Infallibilitas hæc demonſtratur.

Pontifices etiam in Schiſmate certi.

Infallibi-

Infallibilitas & euidentia Motiuorum Fidei explicatur.

IN quo multùm errat Dorſcheus, quòd infallibilitatem & certitudinem naturalem, qualis cernitur in Concluſionibus Theologicis, & Motiuis Fidei, quæ faciunt Religionem & veram Eccleſiam credibilem, quæq; moralis dici poteſt, quia reſpicit mores, ſiue actus humanos, hic & ſuprà, *illo ſenſu velit eſſe moralem aut humanam, quo moraliter certum dicimus, quod eſt veriſimile, aut certè non infallibile.* Cui claré repugnat Apoſtolus ad Rom. 1. v. 20. dum gentiles oſtendit eſſe *inexcuſabiles*, quòd diuinitatem ex creaturis naturali ſolùm & morali potiùs, quàm phyſicâ euidentiâ eluceſcentem non agnouerint.

Dorſcheus non agnoſcens infallibilitatem naturalem errat.

Etſi enim ea argumenta, quæ ad probandum *Deum eſſe*, deſumuntur *ex rerum & cauſarum naturalium productione ac dependentiâ, ex earundem itidem contingentiâ, vnde concuditur eſſe ens aliquod independens ac neceſſarium,* videantur parere euidentiam phyſicam: Alia tamen, *ex creaturarum ſpecie, ordine, harmoniâ, proportione & operatione ad finem, ex manifeſtis ſupremæ alicuius prouidentiæ, potentiæ, iuſtitiæ exemplis, alteriuſque vitæ præter hanc, documentis: ex eo, quòd fides diuinitatis eſt cauſa omnis virtutis, probitatis, honeſtatis, atheiſmus contrà omnis vitij, improbitatis, turpitudinis; ex communi deniq; hominum ac gentium inclinatione, ſenſu, conſenſu ad credendum Deum*: Moralia ſunt, & plùs ac plures, fortiúſque vel æquè mouent, quàm quæ dicuntur Phyſica, neque rectè expenſa ſunt minùs infallibilia, cùm præſertim eſſentialis creaturarum ad Creatorem reſpectus, doctis quidem non item alijs, qui neſciunt, quid ſit eſſentia aut reſpectus, apertus ſit ac euidens.

Argumenta diuinitatis ex creaturis.

Parem imò maiorem, ſuppoſitâ diuinitatis fide, euidentiam moralem credibilitatis gignunt in animo capaci & rectè diſpoſito, Motiua Fidei Chriſtianæ Catholicæ & Orthodoxæ, quæ ad tria principalia reuocat Suar. diſp. 4. de Fide ſect. 3. & 4. *Doctrinam, teſtes, miracula.* I. *In Doctrinâ eminet Veritas ſine ad-*

 mixtione

mixtione falsitatis, Puritas absq; violatione vllius virtutis, Antiquitas, cui nulla meritò queat obijci nouitas; Sanctitas vitæ irrefragabilis eorum, qui hanc doctrinam moribus exprimunt &c. II. *Testes multitudine innumeri, autoritate omni exceptione maiores, Christus ipse & Apostoli, nisi eorum dicta & facta in obliquum distorqueãtur, Martyrum immensus exercitus, qui pro veritate moriendo, Ecclesiam non minuerunt, sed auxerunt, Ecclesiæ DD. qui continuâ ab Apostolis serie, hanc doctrinam tradiderunt, & contrariam damnârunt, tot Populorum ac gentium etiam sub persecutoribus, aut Principibus à fide alienis, in eiusdẽ professione consensus.* III. *Suffragium cæleste Miraculorum, quæ non reuocant in dubium, nisi illi, qui pro suâ doctrinâ simile è cælo suffragium habent nullum. Portentis accenseri potest, perpetua hucusque talis Ecclesiæ & regiminis, inter tot hæresum, persecutionúmque procellas, regnorum, Imperiorum, politiarum profanarum, imò & Ecclesiarum aliarum mutationes, ruinas ac interitum, perseuerantia & conseruatio: vt appareat portas Inferi nunquam aduersùs illam præualituras.*

Summa motiuorum fidei.

Hæc tot ac tanta, conglobata præsertim Motiua (quæ irrito conatu argumentis dudum solutis, tacitis solutionibus nostris, passim vt & alia, Euangelici impetunt) credibilitatem moraliter euidentem pariunt non *mere humanã, sed superiorem & perfectiorem,* quia, vt benè ponderat Suar. d. 4 de fide sect. 4 n. 2. ordinantur ad persuadendam *Fidem humanâ sine comparatione certiorem, quæ excludit omnem hæsitationem & falsi possibilitatem: & licet iudicium de hâc credibilitate, non sit supernaturale, neq; tam certum, quàm ipse fidei assensus, habet tamen in genere Euidentiæ moralis certitudinem infallibilem.* Sicut enim impossibile est, vt Creaturæ non dependeant à Deo veluti primâ causâ producente & conseruante, ita impossibile est, vt tam euidentes veræ Fidei ac Religionis proprietates & characteres, stante diuinâ prouidentiâ, sapientiâ, bonitate, iustitiâ, fidelitate, misericordiâ, reperiantur in falsâ Religione & superstitione. Quare verissimum est, quod ex Chrysostomo allegat Suar. l. c. *Sine*

magnâ

magnâ iniuriâ prouidentiæ diuinæ non posse hanc fidem falsam reputari, & , si per impossibile falsa esset, non posset hominibus imputari. Quò spectat & illud decantatũ ex Rich. de S. Vict. l. 1. de Trin. c. 2. *Si error est, quod credimus*(Domine) *à te decepti sumus.* Sunt ergo Motiua Fidei Catholicæ euidentia & infallibilia, quia euidens est & infallibile, Deum nec velle nec posse fallere, aut tam irrefragabiles Veritatis notas falsitati aptare, ac imprimere.

Neq; tamen hæc motiuorũ euidentia, impedit assensum Fidei, quæ obscura est & ineuidens: manent enim Mysteria Fidei in se ineuidentia & obscura, etsi fiant euidenter credibilia. Si aliqua credimus, quæ naturali ratione euidenter demonstrari possunt, vt Deum esse, & habere prouidentiam rerum humanarum: ea quatenus Fide diuinâ creduntur, habent diuersam rationem formalem, diuinam vid: reuelationem. Verissimum enim est, quod tradit Suar. disp. 3. de Fide sect. 9. n. 18. *Veritates diuinas per solam euidentiam naturalem non satis nobis apparere, quia nec videmus illas prout in se sunt, neq; per medium, quod præbeat summam certitudinem: & ideo talis euidentia relinquit sufficientem non apparentiam, vt ibi etiam locum habeat Fides intellectum magis certificando. Quæ certitudo necessariò inuoluit obscuritatem, cùm fundetur in testimonio Dei non euidenter cognito, & ideo sit libera.* Euidentia credibilitatis non impedit assensum Fidei.

Faciunt ergo Creaturæ respectu eorum, quæ naturali lumine ex illis de Deo cognosci possunt, Deum non tantùm scibilem, verùm etiam credibilem, quod clarè significat Apostolus Hebr. 11. v. 6. cùm ait, *sine Fide impossibile est placere Deo*, vtique etiam in lege naturæ, ex quâ profert Abel, Cain & Henoch. Mox autem subiungit, quæ credere necessarium sit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*, quæ ipsa naturali ratione cognita, credibile faciũt, Deum creaturarum suarum testimonium, à generis humani exortu, reuelatione quoque suâ & supernaturali testimonio confirmauisse ac stabiliuisse: cùm præsertim in confesso sit aliquod originalis peccati remedium, & qualemcunq; cul- **Creaturæ Deum faciunt & scibilem & credibilem.**

tum religiosum in eâdem naturæ lege diuinitus fuisse institutum, ac posteris deinceps traditum. Vt adeò gentiles sint futuri inexcusabiles, quia cognoscentes Deum per scientiam naturalem, eundem non glorificauerunt per Fidem, sine quâ est impossibile placere Deo.

Quali motiuorum euidentiâ ad credendum inducantur idiotæ?

30. Motiua fidei tollunt incertitudinē.

RESP. 2. Siue idiota sit, siue magis intelligens aut doctus, cui à Catholico Pastore vel quouis alio ad hoc idoneo, Fides Romano- Catholica proponitur, is audit ea motiua sibi proponi, quæ vel ipse aliquando obseruauit, vel certè obseruare potuit aut poterit, quæque omnem incertitudinem Religionis & Ecclesiæ, ad quam aspirat, tollunt: efficiuntque vt quidquid in doctrinâ Catholicâ contineri, siue in præsenti intelligit, siue deinceps intelliget: ita ipsi fiat credibile, vt veluti à Deo reuelatum fide diuinâ sibi amplectendum & credendũ concludat. Neq; opus est ambagibus, vt *quis Episcopos, Archiepiscopos, aut ipsum Pontificem accedat, aut eo mortuo noui Pontificis electionem expectet, aut Scripturam, Concilia, Patres euoluat, aut in ambigui sensus interpretatione hæreat.* Omnia enim, quæ ad Fidei integritatem, cultum Diuinum, præcepta Dei & Ecclesiæ, Sacramenta & alia, Saluti Fidelium necessaria, vel opportuna sunt, apud Catholicos dudum sunt à Pontificibus & Concilijs definita, explicata, stabilita: vt nec suspicio quidem locum habeat, ea ab isto vel alio Pontifice, vel legitimo Concilio aliter explicanda, vel definienda esse. Quorum Summa pro captu rudiorum in *Catechismo continetur, & in Formulâ Professionis Fidei, quam ex Concil. Trid. Pius IV. edidit,* clarissimè omnibus proponitur.

Non opus est ambagibus: summa Fidei Catholicis est explorata.

Non omnes ijsdem motiuis inducuntur.

RESP. 3. Non omnes ijsdem motiuis ad fidem acceptandam induci. Minora sufficiunt idiotæ, aut illiterato, aut cui plures

plures Religiones non innotuerunt, quàm literatis & doctis. Pueris ad vsum rationis primùm peruenientibus, *sufficit parentum & maiorum autoritas, qui fidem siue Religionem, in quâ viuunt, proponunt ipsis, tanquam diuinitus reuelatam, & à maioribus traditam, in quâ salutem quis consequi poßit.* Alij mouentur vno *alteróue audito, vel viso miraculo*, quod omnibus perpensis intelligunt esse supra vires naturæ. Alij *rituum Catholicorum in diuinis officijs pietate*, ad animos in rerum cœlestium & diuinarum memoriam ac amorem concitandos, maximè accommodatâ &c. Nempe verum est, quod dicit S. August. lib. 1. ad Simplicianũ q. 2. *Videmus alios aliter ijsdem rebus demonstratis vel significatis ad credendum moueri.* Sicut Simeon e. g. *in D. N. Iesum Christum adhuc infantem paruulum credidit, Spiritu ei reuelante cognoscens.* Sic Pastores Angelis, & Magi stellæ crediderunt. Nathanaël *ad vnam sententiam propheticam, priusquã te Philippus vocaret, cùm esses sub arbore fici, vidi te: respondit, Rabbi tu es filius Dei.* Sic Samaritana ad similem sententiam: *Bene dixisti, quia non habeo virum, quinq; enim viros habuisti &c.* Subdit plura August. Exemplis id. probat. S. Aug.

Alij contrà cum eodẽ August. non mouentur, nisi omnimodâ motiuorum, (qualia suprà diximus §. 3. n. 1. ab illo lib. contra ep. Fund. c. 4. recenseri,) comprehensione siue ab alijs proponantur, siue ab ipsismet obseruentur: diuinâ prouidentiâ, sicuti vnius & veri Dei cognitionem per creaturas in lege naturæ, ita & veræ Religionis & Ecclesiæ notitiam per eiusmodi motiua siue characteres proponente, quos nõ nisi diuina bonitas ac Sapientia falli & fallere nescia potuerit imprimere.

Vbi præterea obseruamus 1. Qualiacunque motiua ad persuadendam fidei credibilitatem proponantur, debere *hìc & nunc in ordine ad hominem* esse talia, quæ omnem dubitationem tollant, eiq; persuadeant esse infallibiliter siue euidenter credibile, quòd ea, quæ sic proponuntur, vel confirmantur, sint à Deo reuelata, adeóque se teneri illis assentiri propter diuinam reuelationem sibi euidenter factam credibilem. Motiua debent omne dubium tollere.

2. Etsi idiotæ aut simplices & pueri, nō inducantur per adæquata & vndequaque perfecta fidei motiua, neque sint omnium, principio præsertim, capaces: ipsa tamen particularia, vel qualiacunque motiua, quibus vera fides illis persuadetur, iisdem licet ignorantibus, referri reipsâ, & niti perfectâ illâ motiuorum complexione, ad quam reduci,& per quam possunt demonstrari: Deo interim (cuius donum est fides,) in simplicibus per habituale fidei lumen, & auxilia gratiæ voluntatem impellentis, defectum scientiæ & perfectæ cognitionis supplente. Neque eiusmodi homines, inducti v. g. autoritate parentum & maiorum, vt Religionem eorum, in quâ & ipsi nati sunt, bonâ mente sequantur & retineant, ita huic motiuo adhærent: vt si aliqua (etsi nunc nihil dubitationis occurrat) alia, eique grauiora motiua tali Religioni aduersari intelligant, non sint parati ad veritatem sententiæ & exemplo parētum ac maiorum præponendam, & persuasionem ex errore ortam deponendam. Quâ ratione teste S. Th. 2. 2. q. 2. art. 6. ad 3. *neq; fidei implicita simplicium*, (qui credunt quæcunque maiores credunt) *præiudicat*, si maiores errent, *nisi pertinaciter eorum erroribus in particulari adhæreant.* Ex quo simul intelligitur, quâ ratione inter hæreticos nati, atq; educati, bonâ fide in erroribus hærere, & fidem in baptismo sibi infusam retinere possint.

Motiua particularia referuntur ad perfectam motiuorum omnium complexionem.

Possunt ducere in errorem.

Etsi enim non assequantur idiotæ euidentiam, infallibilem credibilitatis, quam pariunt Motiua Fidei Catholicæ, si rectè & adæquatè penetrentur, *participant* iuxta Suarez. disp. 4. de Fide s. 5. n. 8. & 9. *tamen illam in Fide ac traditione Ecclesiæ & Sapientum*, etiam illi, qui inter hæreticos nati atque educati aut inter illos degentes, bonâ Fide in erroribus hærent, quamuis neque apud Catholicos, neq; apud Acatholicos habeant aut capiant eiusmodi motiua in se simpliciter infallibilia, sed potiùs ducantur talibus, quæ frequenter non sunt euidentia aut infallibilia, nisi in ordine ad hominem. In hoc verò latum discrimē, & mag-

& magnum chaos firmatum est inter nos & illos, quòd infallibilem credibilitatis euidentiam, quam dicto modo participant idiotæ, & quiuis bonâ fide, nec pertinaciter errantes, reperire nemo possit nisi in Ecclesiâ Catholicâ: quæ vt euidentibus notis infallibilis veritatis insignita, etiam idiotis proponitur, cùm Euangelici neq; idiotis neq, sapientibus eiusmodi veritatis, nisi quam ex solis Biblijs falsò prætendunt, in suâ Ecclesiâ Fidem aut spem faciant, vel facere possint.

3. Postquam *vera Christi Ecclesia* ex perfectis & adæquatis S. Augustini & similium vel sufficientibus certè motiuis, *tanquam à Deo instituta fidelium Congregatio, totiúsq; doctrinæ fidei & morum Magistra* (qualis de fide Catholicâ deliberanti proponi solet ac debet) euidenter saltem in ordine ad hominem, facta est credibilis: tam docti & sapientes, quàm illiterati & simplices, propter diuinam reuelationem & illam, & illi fide diuinâ credunt, amplectentes omnia, quæ veluti à Deo reuelata, credenda proponit. Inter quæ principem locum Sacra Scriptura obtinet, quæ totius Ecclesiæ, siue diuinæ huius Reipublicæ *legem & veluti Ius* continet. Vnde etsi daremus, esse aliqua motiua, quæ Sacræ Scripturæ diuinam autoritatem seorsim faciant credibilem, hæc ipsa tamen principaliter redundant in Ecclesiam: cuius videlicet leges & jura appareat esse cœlestia, & diuina, & quorum interpretatio non minùs sit penes ipsam, quàm legum politicarum interpretatio penes singulas Respublicas aut Principes, autoritate non quidem propriâ, vt apud hos, sed diuinitus demandatâ, vt deinceps magis elucescet.

Ecclesia qualis nobis proponatur.

Motiua Biblica redundant in Ecclesiam.

Laicis legere nescijs apud Catholicos ambages nullæ, sed apud Euangelicos inextricabiles se offerunt.

NVllæ ergo ambages laicis nescijs legere, neq; vllis de fide Catholicâ cogitantibus, nulli labyrinthi se offerunt, vel 31.
offeruntur: sed viâ ducuntur Regiâ *ad Pontificem & Concilia, qui Ecclesiam repræsentant vniuersam, & à Spiritu S. in viam veri-*

tatis

tatis diriguntur infallibiliter, conſpirantibus omnibus Catholicorum retrò vſq; ad Apoſtolos calculis. Non opus eſt ad *Epiſcopos, Archiepiſcopos, Pontificem excurrere, mortui expectare Succeſſorem, diſcutere, an ex Cathedrâ, vel vt priuatus Doctor pronuntiârit, vtrùm Canonicè ſit ingreſſus? &c.* Totam Fidei Romanæ-Catholicæ ſummam ſaluti æternæ neceſſariam & congruam dudum à Pontificibus & Concilijs definitam, exhibent Catechiſmi veteres & noui, Concilium Tridentinum, & vel accuratiſſimè Profeſſio fidei, à Pio IV. juxta eiuſdem Concilij definitiones edita, vt iam ſuprà diximus n. 30.

FidesRomano-Catholica dudum definita.

Neque mi Dorſchee, vacillat apud nos Hierarchia, & vocatio Paſtorum. Vt fieri poſſit, vnius alteriúſue eſſe erroneam, ſimoniacam, illegitimam, nemo, niſi inſanit, dicet vel multorum, vel omnium eſſe talem. Neque tu dices; ne regeramus, apud vos quoq; Euangelicos, Paſtorum vocationem eſſe ſimiliter vitioſam. Et, vt in aliquo caſu ſpiritualis poteſtas ſit in ancipiti, vniuerſim talis non eſt. Neque poteſtas Paſtorum confundi debet cū doctrinâ. Etiam Paſtor non legitimè vocatus veram poteſt fidem proponere & docere, non aliter, quàm laicus peritus & orthodoxus. Et vt errare poſſint Paſtores ſinguli, & ſingulæ Eccleſiæ, non tamen errare poteſt Eccleſia vniuerſa, cuius doctrinam proponunt, Catechiſmis & publicæ fidei propoſitionibus comprehenſam. Quæ vtrùm fideliter proponatur ab hoc vel altero Paſtore ſi dubitat idiota, ex Concordiâ Catholicorum Paſtorum & laicorum, (quæ apud Acatholicos in doctrinâ Fidei paſſim vacillat) facilè hoc ſibi dubiū eximet; & vel inde, quòd non ſit ſanæ, nec bonæ mentis, de alterius, in proponendâ publicâ doctrinâ fidelitate ambigere, vbi nulla ſubeſt cauſa ſuſpicionis, (quæ perpetua eſt apud Euangelicos, quia nullius Eccleſiæ publicam licet doctrinam, in cauſâ Fidei concedunt eſſe infallibilem,) niſi omnem fidem humanam è medio tollamus. Præterquam quòd ſimplices *miraculorum, cultus diuini ad pietatem facti, lapidum ex fabricis Eccleſiarum,*

Hierarchia Paſtorum non vacillat.

Nec dubitandum de eorum fidelitate.

clesiam, quæ ante 500. 600. 700. 800. 900. 1000. & amplius annos in ritum Catholicum consecratæ sunt, vociferantium &c motiuis, ita aguntur, vt ipsis dubitandi locum non relinquant. Aut si dubium vllum occurrat, mox Ecclesiæ, quam infallibilem credunt, autoritati acquiescunt: ad illam, antequam fidem acceptarent, motiuorum euidentiâ & infallibilitate pertracti, & postquam acceptârunt, in eâdem eiusdem à Deo reuelatâ infallibilitate, retinendi ac confirmandi.

Non ergo, vti malè argumentatur Dorscheus, *si legere nesciũ & de Sacrarum literarum autoritate dubium, ad motiuorum, (quibus vera Christi Ecclesia credibilis redditur) euidentiam, ipsiúsque Ecclesiæ diuinâ fide creditæ, infallibilem autoritatem* deduxerimus: maiori incertitudini implicamus, quàm si ad solam Scripturam eundem remitteremus. Quinimò è contrà inextricabiles sunt ambages, & inexplicabiles difficultates, in quas conijciuntur omnes, & vel maximè illiterati & legere nescij, quibus sola Scriptura pro Regulâ fidei & morum proponitur.

Inextricabiles in solis Scripturis difficultates, ad quas remittit Dorscheus.

Nam I. imponit Dorscheus illis *onus legendi ex mandato diuino*, §. 95. de quo nos diximus §. 7. quantæ hìc ambages, vt omnes idiotæ credant se ad hoc teneri, & discere velint ac possint? 32.

Onus legendi & discendi legere.

II. Iubet conquirere *adiutores & exploratores certæ* Bibliorũ lectionis. Sed si totum mundum circumeat, nusquam tales reperiet, de quorum sinceritate dubitare non cogatur: cùm tota Ecclesia & omnes homines juxta Euangelicos *sint fallibiles, neq; habeant infallibilem aßistentiam Regiminis diuini*, vt sibi objecit §. 49. neque dissoluit Dorscheus. Nos remittimus literatos & illiteratos ad *Pastores & Doctores* Ecclesiæ, quorum indubiam autoritatem adstruit Apostolus Ephes. 4. v. 11. imò per ipsos ad ipsam Ecclesiam, quæ est *columna & firmamentum veritatis*, 1. Timoth. 3. v. 15.

Conquisitio adiutorum, qui infallibiles nusquam.

III. Neq; in confessione Augustanâ, vel formulâ concordiæ, magis quàm in Scripturâ, licet millies prælectâ, acquiescere pos-

Nec in Cõf. Aug. nec in Form. Concord. posse acquiescere.

re possunt idiotæ. Non solùm quia non sunt certi de sinceritate prælegentium, verùm etiam quia coguntur dubitare, vtrùm eiusmodi Confessionum & formularum conditores, absq; errore sensum Scripturæ intellexerint, & expresserint? cùm vtique multò minùs isti, quàm Sancti Patres præsertim in Concilijs Generalibus (quæ juxta Euangelicos errare possunt & de facto errârunt) habeant *infallibilem diuini Regiminis assistentiam.* Apud nos è contrà simplices & rudes habent rem confectam in Catechismis & formulis professionis fidei, quæ continent doctrinam infallibilem, dudum à Pontificibus & Concilijs definitam.

Labor Biblia sæpius audiendi vel legendi.

IV. Non minùs imò magìs laboriosum & ambagibus expositum, est Biblia audire quàm legere, faciliùs enim & tenaciùs hærent, quæ oculis sunt subiecta fidelibus, quàm quæ immissa per aures. Neq; obliuiosis sufficiet legisse semel vel audiuisse; sæpius ergo audire vel legere Biblia oportebit idiotam. Neq; satìs est partem legere, vel audire; tota oportet, ne fortè in aliquâ parte lateat articulus saluti necessarius. Catholici in breuem Catechismum, quem infantes propè addiscunt, & claram exegesin, siue expositionem totam fidei doctrinam redigunt; neque de autoritate Ecclesiæ, quæ talem doctrinam proponit, dubitare sinunt.

Sustinere onus Iudicis supra Ecclesiam, & omnem doctrinam quorumcunque.

V. Denique, cùm Euangelici extra Biblia, nullam infallibilem in rebus fidei autoritatem concedant, nec Ecclesiæ *quidem suæ vniuersæ, quatenus visibilis est, & docere potest, neq; vllis Concilijs, neq; Pastoribus aut ministris suis, neque Principibus aut Magistratibus:* per immensas ambages miser idiota se ipsum iudicem constitutum credere debet, *totius Ecclesiæ, omnium Conciliorum, Patrum, Doctorum, Pastorum, ipsorùmque Principum suorum, quorum formulis fidei prouincialibus* (den LandsFürstlichen Kirchen-Ordnungen) *credere & submittere se non potest, nisi æquè illis contenta, atq; prædicta omnia, cùm Scripturis conferat, & per Scripturã in Scripturis veritatem exploret.* Quam iudicandi potestatem in-

præfat.

præfat. primâ Catech. maioris, omnibus Lutherus tribuit, *qui decem præcepta probè norunt.* Hâc potestate vti tenentur omnes Lutherani, cùm sine illâ veram Fidem, quæ omnem incertitudinem excludit, habere non possint: certitudinem autem, non nisi per examen Scripturarum obtineri credant.

Ecce mi Dorschee, quàm longè tuos idiotas & maximam humani generis partem abducas à *fontibus Israël*, quos bibunt intrepidè,& de veritate securi Catholici vniuersi, in illâ Ecclesiâ, quam Christus *ædificauit supra Petram, portis inferi nunquam aduersùs illam prævalituris.* Matth. 16. v. 18. Tu autem tuos circumducis per infinitas errorum ambages, & immergis in cisternas *dissipatas, quæ continere non valent aquas*, solidæ & infallibilis doctrinæ.

§. X.

Argumentum VII. Dorschei, *ex hypothesium Pontificiarum de efficaciâ gratiæ, incertitudine,* refellitur.

DORSCHEVS.

Sic infit: *Quia Pontificius admissis obseruatisq; suis hypothesibus de efficaciâ gratiæ, etiam stante autoritate infallibili Ecclesiæ, non potest incertitudinem tollere in eo, qui de Sacrarum literarum lectione, dogmatibúsq; diuinis ambigit.* Vnde inferre ad scopum suum deberet: *Ergo Scriptura secundùm se est sufficiens, & sine suâ culpâ incommunicabilis idiotis legere nescijs.* Ad quam conclusionem, etsi fortassis in speciem emungi queat, ambagibus opus est. Antecedens firmat allatis varijs de gratiæ efficaciâ sententijs. *De Molinistis* ait, *se nihil dicere.* Affert eos, *qui in morali voluntatis determinatione efficaciam reponunt*; item illos, *qui infallibilitati efficiendi consensum, vt subest scientiæ diuinæ mediæ, eandem efficaciam assignant*; denique quos appellat *Thomistas, in prædeterminatione physicâ idem mysterium collocantes.* Inde infert, *in nullâ harum hypothesium, certum esse posse dubitantem de Scriptura, aut rerum diuinarum autoritate: an habiturus sit aliquod tale gratiæ auxilium ad fidei assensum supernaturalem necessariũ?* 33. Ad §. 102. Dorsch. Dorscheus recenset sententias Scholasticorum.

In margine f. 388. iubet *conferri*, quæ dixit *in præliminaribus* §. 7. & 8. vbi §. 7. producit *Claudium Aquauiuam, decernentem, quomodo gratiæ efficaciam in Societate suâ explicari velit.* Deinde *Tannerum asserentem* Refert se ad §. 7. & 8. prælim.

Catholicos hâc in materiâ esse in quinq; diuisos sententias. Porrò §. 8. exaggerat, *à pluribus magni nominis Catholicis asseri, eandem esse Bannis & Caluini sententiam &c. Clementem ad definiendam hanc de gratiâ efficaci controuersiam animum adiecisse, contrà nitente Bellarmino, quem aliqui conjiciant ideo sub specie collati Archiepiscopatus Capuani ab aulâ submotum. Clementem verò morte impeditum negotium Paulo V. Successori, hunc autem id in suspenso reliquisse.*

Commendat suum & suorum à Pelagio & Caluino dissensum.

Vt denique se & suos commendet, eodem §. 8. f. 29. & 30. *Notum Kirchero*, ait, *quomodo Pelagio, & Caluino, & Banni nuntium mittamus. Impium nimirum dicimus, gratiæ efficaciam à concursu liberi arbitrij suspendere. Non agnoscimus aliam aliquam & secretam vocationem, quæ peculiari motu & virtute conuersis influat, non conuersis non adsit, nec offeratur. Non agnoscimus aliam gratiæ cœlestis potentiam, quæ sit piorum propria, aliam, quæ adhibeatur impijs. Dicimus vnam eandémq; viuificam Euangelij potentiam, impios, quos tangit, omnes tangere, & ex illis quosdam acquirere, quosdam non: non quia illi se determinârunt &c hi verò non. Sed quia hi malitiosâ repugnantiâ pertinaci restiterunt: illi, cùm solius gratiæ beneficio determinarentur, secernerentur, subordinarentur, nullam contrariam, inuincibilem, & pertinacem actionem opposuerunt.*

RESPONDETVR.

34\. Dorscheus Theologorum subtilitates objicit idiotis.

RESP. 1. Iniquum & ridiculum se ostendit Dorscheus, cùm in causâ Idiotarum & simplicium de fide deliberantium, nobis Theologorum de gratiæ efficaciâ inter se diffidentium subtilissimas sententias objicit: quasi eiusmodi hominibus, cùm de verâ fide agitur, incertæ sententiæ Theologorum & Scholarum dissidia explicari soleant, debeant, aut possint: aut inde fidelium salus & infidelium conuersio pendeat! Non ausit Dorscheus Symmystarum suorum dissensiones in grauissimis rebus, suis idiotis aperire: & quâ fronte nobis in hâc re quidpiam exprobrat?

Sufficit posse credere & benè agere, etsi modum nesciamus.

RESP. 2. Sufficit idiotis in proposito credere, quòd Deus *velit omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 1. Timoth. 2. v. 3. quòd, *si velint ad vitam ingredi, seruare debeant mandata.* Matth. 19. v. 17. quòd *bona opera exercentes ibunt in vitam æternam, eadem negligentes in supplicium æternum,* ibid. c. 25. v. 46.

25. v. 46. quòd, *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*, ibid. c. 10. v. 22. & c. 24 v. 13. In quo autem consistat efficacia gratiæ ad hæc facienda vel obtinenda necessaria? & quis sit operandi modus? nos solicitos habere non debet, cùm sciamus nos credere, sperare, & diligere posse, si Dei gratiâ vti, non abuti velimus. Hoc sciebat Mater illa, quæ *nesciebat, qualiter filij eius in vtero suo apparuerint, neq; enim ipsa spiritum & animā donauit illis, sed creator mundi &c.* Machab. 7. v. 22. & tamen verè filios illos concepit ac peperit. Nugas agit, qui ab actibus siue naturalibus, siue supernaturalibus se aut alios impediri causatur, quia Theologi aut Philosophi de modo & naturâ principiorum agendi, ipsarúmque actionum plurimùm dissident.

Resp. 3. Dissensiones, & acriores, imò & acerbiores Theologorum Catholicorum hâc in materiâ contentiones, frustratoriè obijci. Feruor disputantium, & opiniones ambiguas ex vtrâq; parte defendendi stabiliendíq; studium, immoderatiores censuras aliáq; subinde extorquēt, quæ minùs ad rem sunt. Veritati tamen & Vnitati Fidei Catholicæ nihil præiudicant, cùm definitum nihil sit. Proferat exemplum Dorscheus de pugnantibus Catholicorum Sententijs in ijs rebus, quæ à Pontificibus & Concilijs definitæ sunt, & tum labyrinthum nobis obijciat. Quousq; Ecclesia nihil in alterutram partem decernit, integrum est in vtramque, etiam coram Pontifice disputare, aut niti; hâc libertate vsus est Bellarminus.

Disputantiū feruor non præiudicat fidei, in ijs, quæ definita non sunt.

Resp. 4. Non tam procul abesse à Regno Caluini Dorscheum, quàm iactat, si secum & cum formulâ Concordiæ Lutheranæ consentire velit. I. Quod impium dicit *gratiæ efficaciam à concursu liberi arbitrij suspendere*, vtique eo sensu dicit, quo formula Concordiæ in declarat. art. de lib. arbit. mihi fol. 661. ex sententiâ Lutheri dicit, *hominem in rebus spiritualibus esse instar statuæ salis & trunci ac lapidis, nullámq; vel operationem, vel cooperationem homini concedi debere.* Quod ipsum, est vnà cùm Caluino, omnem liberi arbitrij facultatem & vsum in rebus spiri-

35. Dorscheus non longè à regno Caluini. Negat liberum arbitrium in spiritualibus.

 tualibus

Negat secretam vocationem contra formulam Cõcordiæ.

tualibus tollere. II. Ait, *se non agnoscere secretam vocationem & peculiarem motum pro conuersis & non conuersis, neque aliam gratiæ potentiam pro pijs quàm pro impijs &c.* Contrà dicit formula Concordiæ *in epitome art. controu.* art. 11. n. 3. mihi f. 618. *Prædestinationem, seu æternam Dei electionem* NB. *tantùm ad bonos & dilectos filios pertinere, & hanc esse causam ipsorum salutis, etenim eorum salutem procurat, & ea, quæ ad ipsam petinent, disponit &c.* idẽ repetitur *in declar. eiusdem art.* mihi f. 799. Est ergò secundùm Lutheranam Concordiam, *secreta quædam vocatio, secundùm quã Deus auxilia & dona gratiæ electis procurat & disponit, quæ non procurat reprobis,* alioqui prædestinatio non duntaxat ad electos pertineret. III. Ait, *viuificam Euangelij potentiam quosdam acquirere Deo, non quia illi se determinârunt, hi verò non, sed quia hi malitiosâ repugnantiâ pertinaci, restiterunt: illi, cùm diuinitus & solius gratiæ beneficio determinarentur, nullam contrariam, inuincibilem & pertinacem actionem opposuerũt.* Atqui formula Concordiæ loco cit. supra f. 662. ait, *hominem in hâc parte deteriorem esse trunco* (cui paulò antè in spiritualibus illum comparârat) *quia voluntati diuinæ rebellis est & inimicus, nisi Spiritus S. in ipso sit efficax &c.* Repugnant ergo etiam boni, antequam conuertantur, *Deo malitiosâ & pertinaci repugnantiâ,* juxta formulam Concordiæ. Sed malè Dorscheus pertinacem cum inuincibili confundit; nam multi pertinaces vincuntur.

Iterum ab eâdem Concordiâ discordat.

Hypothesis Lutheranorum durior hypothesibus Catholicorum.

IV. Denique expende mi Dorschee, an sub hypothesi Lutheranâ comparantis hominem *in spiritualibus statuæ salis, lapidi, vel trunco,* non magis quiuis siue idiota, siue alius de Scripturarum autoritate, aut verâ Religione dubius, esse anxius possit ac debeat: an Deus instar artificis, *se veluti lapidem ac truncum efformare velit, aut non velit in vas honoris, aut filium Abrahæ, quàm sub vllis Catholicorum hypothesibus?* quorum nemo hominem in negotio Salutis statuæ, trunco, aut lapidi ita proiectè hactenus comparauit. Non plùs ergo hoc tuo argumento, quàm prioribus, id est, nihil euicisti ad persuadendam *idiotis*

legere

legere nescijs solius Scripturæ sufficientiam, seclusâ proponentis, aut propositionis alicuius infallibilitate.

---

§. XI.

Defectum infallibilitatis, quo Ecclesiam suam eiusq; Pastores laborare idiotæ intelligunt, ideóq; de contentis in Scripturâ hæsitant, per operationem S. Spiritus non suppleri.

DORSCHEVS.

COgit nos Dorscheus ordine peruerso redire, ad Capitis Principiû, vbi cùm n. 3. dissereremus *legere nescios non posse infallibiliter scire, quid Sacris literis contineatur per lectionem*, vt per se euidens est; Nec *per auditionem*, quia vt argumentatur Kircherus, Lutherani negant *vniuersim toti Ecclesiæ, adeóq; omnibus, à quibus audire possunt, infallibilitatem*; Nec denique, quod solum superest, *per operationem Spiritus S. extraordinariam*, quia loquimur de viâ ordinariâ; *Vel ordinariam supplentem videlicet in simplicibus his, quod deest infallibilitati: & cùm audiunt verbum Dei, vel vtuntur Sacramentis, accendentem in ipsis immotam quandam cordis fiduciam.* Quod inde redarguit Kircherus, quia eiusmodi *fiducia in voluntate, supponit in intellectu infallibilem assensum, dependentem à diuinâ & infallibili autoritate*, quæ secundùm Euangelicos hauriri non potest, nisi ex Sacris literis, in quibus quid contineatur, legere nescijs infallibiliter constare non potest. 36. Ad §. 102. Dorsch. Dorscheus redit ad capitis principium.

Hoc postremum Kircheri de Spiritus S. operatione membrum suprà à se omissum, hìc demum oppugnat Dorscheus: asserens, *S. Spiritum in eiusmodi homine legere nescio, esse efficacissimum per Scripturas alterius lectione cognitas. Neque necesse esse, vt priùs cognoscat: Verbum hoc esse infinitæ & infallibilis veritatis, quàm dogmata ipsa amplectatur; sed hoc vel ex ipsâ rerum Maiestate & sublimitate conuinci; vel cùm rebus reuelatis ipsâ credi reuelationem. Quam eruditi quidem ab illis præscindunt; simplices autem istâ formalis à materiali secretione se non fatigant, quibus sub vtriusq; quasi inuolucro, sese insinuat infallibilis proponens Spiritus S.* Peculiarem Spiritus Sancti operationem in idiotis adstruit. Et credi reuelationem cum releuatis.

Visibilem autem ordinarium proponentem negat Dorscheus *ad assensum supernaturalem esse necessarium tum propter rationes indicatas, quia scil multoties infallibilis assensus productus fuit sine infallibili proponente; tum quia infallibilis propositio non operatur formalem assensum, cuius formale principium est veritas reuelata; tum quia plurimi Papistæ putant etiam aliquod falsum posse sufficienter proponi tanquam fide diuinâ credendum; tum quia secundùm* Et visibilem ordinarium proponentem non esse necessarium.

Papistas

Papistas priuata propositio, quæ non necessariò est infallibilis, fidem & fideles gignit, & Spiritualem illam operationem ad consummationem fidelium perficit. Multa millia Papistarum credunt traditionibus, neq; tamen formaliter assensum terminant, in illam infallibilem autoritatem Ecclesiæ, quam iactant.

RESPONDETVR.

37. Operatio Spiritus S. asserta, non fundatur in Scripturâ.

RESP. I. Efficaciam S. Spiritus, qualem respectu idiotarũ hic adstruit vniuersim Dorscheus, nullum habere fundamentum in Verbo Dei. Ordinaria enim via veniendi ad veram fidem, est *ex auditu & per prædicationem*, juxta Apostolũ ad Rom. 10. v. 17. Sicut *Deus primum hominem & animalia per seipsum fecit, postea verò non nisi per animantia sui generis propagauit: ita quosdam, videl. Prophetas, Apostolos, & alios aliquos, per seipsum fidem docuit, cæteros non nisi per homines.* Quòd autem argumentatur Dorscheus, *cùm rebus reuelatis ipsam credi reuelationem, neq; simplices inter hæc discernere*, nihil est ad rem. Non enim hic agimus de ratione formali fidei, quæ vtiq; non est alia quàm reuelatio, sed de propositione motiuorum, per quæ fides fiat credibilis, quæ toto cœlo differunt, vt ostensum est n. 26.

Propositio infallibilis ante fidem necessaria.

Hanc prærequiri ante assensum fidei, Dorscheus licet pernegét, efficaciter probauimus §. 2. n. 8. 9. 10. Eámq; debere esse infallibilem & certam, saltem juxta proportionem eius, cui fides proponitur, inde confirmatur, quia alioqui non obligabitur ad credendum; nemo enim tenetur aliquid credere tanquam à Deo reuelatum, nisi certò & euidenter ipsi priùs credibile fiat, quòd Deus reuelârit, vide, quæ diximus n. 10. Cum quo non pugnat, quod diximus n. 30. à Deo per internam vocationem, & auxilia gratiæ in simplicibus suppleri defectum scientiæ & motiuorum, quæ non sunt nisi in ordine ad hominem euidentia; quia etiam hæc in eiusmodi hominibus excludunt hæsitationem. Illud solùm negamus, quòd stante hæsitatione, quam idiotæ secundùm principia Lutherana necessariò concipiunt, S. Spiritus, defectum certitudinis suppleat.

Dorschei obiecta refelluntur.

Nec quæ obiectat Dorscheus, sunt alicuius momenti. Non primum,

primum; quia etsi multoties sine infallibili proponente visibili, assensus infallibilis fuerit productus, vt in Prophetis, Apostolis & alijs quibusdam Sanctis: non est tamen hæc via ordinaria & communis toti generi humano, aut maiori illius parti. 1.
Non secundum; quia non dicimus quòd propositio hæc operetur formalem assensum, sed quòd sit *conditio sine quâ non, reuelationem & obiectum reuelatum applicans.* Non tertium; quia etsi demus, posse aliquid falsi sufficienter proponi tanquam fide diuinâ credendum: nequaquam inde concluditur, non requiri propositionem externam, vt vera fidei mysteria credantur. Quare nec Apostolus, qui sciuit multa falsa olim ab hæreticis prædicatũ iri, inferri patitur: Ergo *fides vera non est ex auditu*, aut *fideles de lege ordinariâ poterunt audire, aut credere sine prædicante.* Non deniq; quartum; Etsi enim non necesse est, vt qui priuatim fidem proponit, sit aut habeatur secundùm se infallibilis, necesse tamen est, vt non credatur hîc & nunc fallere: & vt talia motiua proponat, quæ audienti iuxta eius captum (vt suprà n. 31. explicauimus,) proportionatâ quâdam euidentiâ persuadeant, ea quæ proponuntur, esse credibilia, & se teneri illis, tanquam à Deo reuelatis, assentiri. In quo Catholici omnes conuenimus; neq; enim agnoscimus fidem diuinam temerariam, aut imprudentem, quæ assentiatur mysterijs à Deo reuelatis, antequam credituris sufficienter factum sit credibile, ea fuisse reuelata: cùm tam reuelatio ipsa, quàm res reuelatæ intellectum nostrum longè transcendant. 2. 3. 4.

Catholici fidem non terminant in autoritatẽ Ecclesiæ.

Non solùm non multa, sed nulla millia Catholicorum, imò nulli omninò *formaliter assensum fidei terminant in autoritatem Ecclesiæ*, quia non hæc, sed diuina reuelatio & prima veritas constituunt formale Fidei obiectum. Sed hoc inter alia diuinitus reuelata credimus Catholici vniuersi, Ecclesiam *esse infallibilem, Magistram & interpretem omnis Veritatis reuelatæ*; hoc in Catechesi siue infantes, siue pueri discimus & docemur, ac profitemur literati & illiterati, vt interrogati: *Quis est dicendus*

Christianus Catholicus? respondeamus: *Ille, qui Iesu Christi veri Dei & hominis salutarem doctrinam in eius Ecclesiâ profitetur, & veluti diuinitus reuelata credit, quæ eadem Ecclesia credenda proponit, siue scripta sint, siue non sint.* Etsi enim hoc initio fortassis non omnibus tam distinctè proponatur, aut innotescat, quandocunq; tamen dubium de credendis occurrit, aut eorum explicatio, aut distinctior notitia quæritur: non minùs nostros remittimus ad Ecclesiam, quàm Euangelici suos ad Biblia. Quæ Ecclesia postquam per motiua particularia, aut generalia & adæquata sufficienter aut euidenter facta est credibilis, tum fide diuinâ creditur & recipitur, tanquam immobilis *columna & firmamentum veritatis*, præeunte Apostolo 1. Timoth. 3. v. 15. Falsum igitur est, quod contendit Dorscheus, *per operationem Spiritus S. in idiotis legere nescijs, fidem generari, sine præuiâ infallibilitate propositionis aut proponentis.*

Anacephalæosis.

38. EX huc vsque igitur Capite isto dictis, inconuulsum manet Kircheri argumentum: *Quòd Ecclesia siue Euangelicorum, siue Lutheranorum careat infallibili autoritate dirigendi Fidem & mores secundùm vnicam, quam prætendit, Sacræ Scripturæ Regulam; quia maxima pars generis humani constat idiotis, qui literarum & legendi omninò rudes, certò non sciunt, nec scire possunt, quid in Scripturâ contineatur.* Quod argumentum retulimus n. 1. & 3.

Distinctionem autem Dorschei, quòd eiusmodi idiotæ non certò sciant contenta in Scripturis, ideóque ex illis infallibiliter dirigi non possint *culpâ suâ, non autem Scripturæ*, esse friuolam & inanem, demonstrant septem friuola argumenta, quæ pro illâ tuendâ produxit, multis absurdis & falsiloquijs referta.

Nam I. Quòd *Sacræ Literæ omnibus per lectionem sint communicabiles*, reclamant multa millia cæcorum. Quòd ignorantia legendi *penes* NB. *aliquos tantùm* resideat idiotas, reclamat maxima pars generis humani. vide n. 12. & 13.

II. Quòd

II. Quòd negat, *necessarium esse, vt Sacras Literas quis ipse legat, eandem enim illas vim habere in audiendo & legendo*, seipsum refellit: quia audiens semper potest dubitare de sinceritate aut errore legentis, cùm juxta Dorscheum *nulli homines sint in mundo, qui siue singuli, siue vniuersi sint infallibiles, aut habeant infallibilem Assistentiam Regiminis diuini*; quod ipse sibi obijcit, neq; soluit. vide n. 16.

III. Ex eo, quòd ait: *legere nescios seipsos facultate legendi neq; sumptuosâ, neq; valde operosâ destituere &c* emergit duplex paradoxum. 1. *Omnes illos teneri ad literas addiscendas*. 2. *Nisi faciant, esse in statu damnationis, cùm conijciant in periculum salutem suam, quæ verâ fide* nititur. vide n. 19. & 20.

IV. Quòd ait: *omnibus adultis incumbere necessitate præcepti, vt legant Sacras Literas*, contradicit argumento secundo, vbi dixit *non esse necessarium, vt quis Sacras Literas ipse legat*; vnde consequens est, *neq; esse necessarium, vt ideo legere discat*, adeóq; etiam argumentum tertium pugnat cum eodem secundo. Sed neq; ex Scripturâ in bonâ formâ tale præceptum potest deducere. vide n. 21. & 22.

V. Quòd ait: *Sacras Literas non indigere auctoritate alterâ, præter eam, quæ ipsis inest, sicut nec principia Scientiarum egent aliâ vi demonstratiuâ alicuius proponentis infallibilis, præter eam, quæ est in ipsis*, est comparatio absurditatis plena: principia enim Scientiarum sunt euidentia intellectui humano, mysteria autem Fidei sunt obscura & ineuidentia, longè supra captum naturalem posita. vide dicta à n. 5. vsq; 11. §. 1. & 2.

VI. Quòd ait: *Idiotas, cùm remittuntur ad Ecclesiam, maioribus inuolui difficultatibus, quàm si remittantur ad solam Scripturam*, refellitur inde, quia Regiâ viâ illos deducimus *ad Pontificem & Concilia*; & ex quinque inextricabilibus ambagibus, in quibus hærent Lutherani. vide n. 32.

VII. Quòd ait: *Per hypotheses diuersissimas Catholicorum de efficaciâ gratiæ, non posse incertitudinem idiotæ dubitantis tolli*, ini-

quus est & ridiculus, qui idiotas & illiteratos amandat ad dissentientes scholarum subtilitates: & cùm certi sint se posse credere, ac bene operari, de modo operandi litem nobis mouet: cùm præsertim Lutheranorum hypothesis *certa & definita in libro Concordiæ*, multò magis perplexos reddat, quàm omnes Catholicorum hypotheses sub opinione positæ. vide n. 34. & 35.

Denique, etsi multas cumulauit allegationes, nulla tamen quidquam concludit, vti ostendimus.

Non est ergo *sola Scriptura nobis à Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire 1. Tim. 2. v. 3., pro vnicâ veritatis & virtutis Regulâ propôsita: cùm idiotæ legere nesciÿ, qui maximam partem generis humani conficiunt, non possint* per illam certò & infallibiliter dirigi.

CAPVT II.

In Scripturâ solâ non posse fundari Fidem & Salutem, quia seclusâ Ecclesiæ autoritate infallibiliter certi non sunt Lutherani, in Bibliÿs contineri ipsissimum Verbum Dei.

KIRCHERVS.

39. Ad §. 106. Dorsch. Nullo argumento probant Lutherani, in Bibliÿs certò contingeri Verbum Dei. Kircheri enumeratio partium.

Cogimur argumentum Kircheri referre fide Dorschei, prout verba & sensum illius repræsentat. Quod ita facimus: Si absque Ecclesiæ autoritate infallibiliter certi essent Lutherani, ipsissimum Dei Verbum in Biblijs contineri: eam certitudinem haberent vel ex stylo Scripturarum, prophetijs, mysterijs, præceptis, promissionibus, miraculis ibi contentis, aliisq; criterijs & motiuis, vel ex S. literarum efficaciâ, & internâ persuasione & testimonio S. Spiritus. Nihil horum dici potest. Ergo &c *Maior videtur adæquata, cùm nihil preterea queat assignari.*

Minor de stylo aliisq; motiuis probatur; quia pars maior illorum, qui Scripturas tractant, ad conscientiæ forum prouocati, vt ingenuè dicāt, cur assentiantur Scripturæ tanquam infallibili Dei verbo? nullam ex his assignant causam, sed potiùs, quia compertum habent Codicem illum in maximâ semper apud omnes (*Christianos vtiq; illorúmq; Ecclesias*) veneratione fuisse. *Multi deinde sunt*, qui quotidie legunt Biblia, & omni veneratione prosequuntur, nec semel cogitârunt vel de stylo Scripturarum,

rarum, vel de miraculis & vaticinijs, aliísque motiuis, vt inde autoritatem Scripturæ sibi persuaderent. Deniq; multa illos offenderent, quæ ibi recensētur, nisi nefas cogitarent esse, dubitare de eo, quod tantâ veneratione & sine dubio, alij omnes (*vtique veri Ecclesiæ Christianæ filij*) amplectuntur.

Internam deinde Scripturæ efficaciam, persuasionem, & testimonium Spiritus S. quo inducti credunt infallibile Dei Verbum Scripturis contineri, *pluribus argumentis oppugnat Kircherus. Quæ cùm Dorscheus in obiectiones diuersas infrà diuidat, ibi ponemus & formabimus; hìc chartæ parcimus, ne opus sit eadem repetere.*

Dorscheus n. 107. paulo aliter syllogismum Kircheri sic format: Illi, qui nullum infallibile principium possunt ostendere, propter quod vnico Religionis suæ principio (*Scripturæ scilicet*) fide diuinâ assentiantur, in perpetuâ incertitudine hærent. Lutheranorum etiam doctissimi hâc vrgentur ἀδυναμία ex causis, quas suprà ex Kirchero posuimus. Ergo &c. *Sed aliud est verbum Dei in Scripturis contineri, aliud nos diuinâ fide illi assentiri. Verùm, cùm tandem hæc in idem delabantur, Dorschei responsa aggrediamur; qui nec maiorem, nec minorem initio distinctè oppugnat, sed totum Kircheri discursum aliquot argumentis nititur euertere.*

---

§. I.

Argumento Kircheri nec Fidem Christianam euerti, nec Atheismum introduci, sed Ecclesiæ autoritatem vel maximè stabiliri.

DORSCHEVS.

Respondet Dorscheus I. in genere, *hunc discursum Kircherianum communem esse pro infelici* (vt ipse infeliciter appellat) *migratione ad castra Papalia, eóq; omnē omnino Fidem Christianam euerti, Atheismum introduci, atq; adeò Ecclesiam, cui asserendæ datus est, destrui.* Probatio est confusissima, & ex varijs allegationibus præposterè consarcinata, quam sic in ordinem redigimus. 40. Ad §. 108. Dorsch. Probatio I. Dorschei confusissima euoluitur.

I. *Infallibilis Ecclesiæ Pontificiæ, tanquam principij Verbum Dei proponentis maiestas, indoles, natura, vix à millesimo quoq; intelligitur, & multa millia hominum sine eâ saluantur, non est ergo necessaria.* Antecedens ex assertione Dorschei, extra dubium est; sequela patet: alioqui sine hoc principio intellecto non saluarentur homines. Et probatur ampliùs: *hæc cognitio non est necessaria necessitate medij, nec præcepti, ergo nullo modo.* Ecclesiæ autoritas paucis intellecta non est necessaria

Antecedens de necessitate medij probatur, quia *nemo Papistarum il-* Necessitate medij.

 lam

lam asserit. Imò teste Tannero tom. 1. col. 400. n. 44, multi absolutè docent, etiam post promulgatum Euangelium, fidem explicitam etiam Christi Redemptoris, multóq; magis Sacrosanctæ Trinitatis, non esse necessariam necessitate medij ad salutem. Huc spectant, qui præter Fidem generalem Ecclesiæ solùm exigunt, vt quis explicitè credat Deum esse, & benefacta præmijs afficere, malefacta supplicijs punire &c. Et illi, qui olim absolutè docuerunt, satis esse generatim credere ea, quæ credit Mater Ecclesia &c quam sententiam ipse Tanner cum Valent. probabilem censet.

Neq. præcepti. *Sed neque necessitate præcepti necessariam esse istius infallibilis autoritatis Ecclesiæ fidem, Papistarum quisquam statuit. Tanner tom. 1. col. 405. & seqq. tradit, quid in statu legis Euangelicæ omnes teneantur credere, videlicet 1. Mysteria Trinitatis & Incarnationis &c 2. Articulos Fidei in Symbolo Apostolorum contentos, saltem quoad substantiam &c 3. Quæ communiter Christianis omnibus, & cuiq; iuxta suum statum necessaria sunt, ad rectè viuendum, vt sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, legitimus orandi modus, Præcepta Decalogi & Ecclesiæ. &c.*

RESPONDETVR.

41. Placet prolixitatem Dorscheani argumenti intersecare, & solutiones nostras, prout res poscet, inserere. Ad præmissa igitur.

Nulla sunt millia Catholicorum, qui Ecclesiæ autoritatem ignorent. RESP. I. In Ecclesiâ Pontificiâ ***multa millia hominum*** (si infantes ante vsum rationis mortuos excipias) ***saluata esse vel saluari, quibus Ecclesiæ proponentis infallibilitas non fuerit, aut non sit nota, non solùm non est extra dubium, sed nimis clarè falsum.*** Ratio aperta est, quia non solùm non multa, sed fortassis nulla sunt millia eorum, qui Catechismum Catholicum non didicerint, aut discant, vel præcipuam eius doctrinam explicari non audierint. In ipso autẽ Catecheticæ doctrinæ vestibulo, id quod suprà diximus, à pueronobis proponitur: ***Eum deniq; esse Christianum Catholicum, qui omnia credit, quæ Ecclesia proponit credenda, siue scripta ea sint, siue non.*** Hinc querela vestra ab initio hucusque est, iuuentutem & populũ traditionibus humanis apud nos decipi ac dementari. En Ecclesiæ proponentis maiestatem Catholicis omnibus notam! Non minùs in hoc sumus diligentes, quàm Euangelici, qui nunquam concedent multa inter

illos

illos esse hominum millia, quibus non à puerili institutione, (licet falsò,) sit persuasum, solam scripturam esse Regulam credendi.

Resp. II. Non esse opus ad Ecclesiæ infallibilem Maiestatem tuendam, vt necessitate medij credenda asseratur: quia tū demum hæc fides necessariò est exercenda, quando distincta credendorum notitia quæritur, aut dubia vel controuersiæ de Religione incidunt. De quibus cùm fieri possit, vt multi non cogitent, quin neq; illorum sint capaces, non ideo salutis æternæ incapaces censeri debent. Quamuis Dorscheus, *dum à nemine Papistarum id asseri contendit*, seipsum falsi conuincit. Nam ex Tannero illos allegat, qui NB. *præter fidem generalem Ecclesiæ, solùm explicitam diuinitatis, eiusdémq; iustitiæ in bonis remunerandis, & malis puniendis fidem* exigunt; & vel maximè illos, *qui absolutè docent, satis esse, generatim credere ea, quæ Mater credit Ecclesia.* Hi ergo vtrique, non infimi nominis Papistæ, vel solam Ecclesiæ fidem, vel *præter illam* paucula adstruunt necessitate medij esse credenda. Aut dormiens, aut non intelligens, hæc tam suis verbis repugnantia exscripsit Dorscheus.

Non requiri necessitatem medij.

Dorscheus sibi contrarius.

Resp. III. Non solùm neminem Catholicorum *in credendâ Ecclesiâ* inficiari necessitatem præcepti, sed omnes Catholicos in eâ asserendâ consentire. Credimus enim, præceptum nobis esse, vt fide diuinâ amplectamur *omnes Symboli Apostolici Articulos*, inter quos est *Sancta Ecclesia Catholica.* 2. Quæ *Christianis omnibus & cuique iuxta suum statum sunt necessaria*, inter quæ vel maximè est Ecclesia, quæ in Catechismo omnibus proponitur tanquam Magistra & Regula, tum credendorum, tum etiam agendorum. 3. Seruanda nobis esse præcepta non solùm Decalogi, sed etiam *Ecclesiæ.* Mi Dorschee, interroga balbutientes infantulos nostros, siue domi, siue in templis in Catechesi instructos, & mox dicent: præceptum sibi esse, vt credant Ecclesiam sanctam Catholicam, & omnia, quæ illa proponit credenda.

In necessitate præcepti asserendâ Catholicos conuenire.

Infantuli nostri testes.

Sed

Obiectio Dorschei.

Sed ais: *hoc non esse, perspectam habere rationem infallibilis in Ecclesiâ præter Sacras literas principij: quia non intelligunt, se credere, quia credit Ecclesia. Et falsum est, huius fidei, quâ credo Ecclesiam: eandem Ecclesiam, vt autoritate infallibili assistente præditam, obiectum esse.*

Refellitur.

Non euadis Dorschee. Nam I. Qui *credunt omnia, quæ Ecclesia credenda proponit, siue in Biblijs scripta sint, siue non sint*, clarè & expressè credunt, Ecclesiam esse principium infallibile præter Biblia: alioqui non crederent illa, quæ in illis scripta non sunt. II. Ecclesia nihil proponit credendum, quod ipsa non credit: credimus ergo, quia proponit, & quia credit. III. Huius fidei, quâ nos Catholici credimus Ecclesiam, obiectum materiale siue reuelatum, non minùs est Ecclesia, vt autoritate infallibili diuinitus prædita: (neque enim agnoscimus aliam Ecclesiam) quàm obiectum fidei, quâ credimus Sacrosanctam Trinitatem, sunt tres SS. Personæ, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Formale autem obiectum vtriusq; Fidei tam de Ecclesiâ, quàm de Sacrosanctâ Trinitate, est ipsa diuina Reuelatio. Verum igitur est, quod Dorscheus hìc dicit esse falsum.

DORSCHEVS.

Chaos probationis secundæ Dorschei itidem euoluitur.

42. Altera Probatio à paginâ 413. vsq; ad 425. chaos est confusione & repetitione earundem quæstiuncularum & ratiuncularum intricatissimum, vt facilè appareat, tenebras errorum nihil posse aduersùs ordinatissimam Catholicæ veritatis lucem. Sic igitur totum Dorschei argumentum euoluimus. *Si maximè concedatur, à Pontificijs vel nullis, vel paucis ignorari hanc prætensam Ecclesiasticæ autoritatis infallibilitatem: de eâ tamen certò, ineruditis præsertim, constare non potest, sicuti ad fidei diuinæ assensum necessarium est. Quod sic probatur. Si constaret, vel 1. ex exemplois & motiuis, qualia plurima sub notis Ecclesiæ coacervare solent Pontificij, id constaret. Vel 2. ex veneratione, quam omnes, & tot præsertim Reges, Principes, Archiepiscopi, Episcopi &c deferunt Pontifici. Vel 3. ex Scripturis, quibus Primatus Petri super Apostolos & omnem Ecclesiam confirmari dicitur. Vel 4. ex Ecclesiæ de suâ infallibilitate proprio testimonio. Vel deniq; 5. Ex sensu interno, quo homo fulgore maiestatis Pontificiæ & autoritatis Ecclesiasticæ conuictus, nullam aliam causam, nisi ipsam, pro fundamento fidei*

Maior hypothetica, quinq; membrorum.

fidei supernaturalis habet. Nihil horum dici potest. Ergo Pontificijs de prætensâ Ecclesiasticæ autoritatis suæ infallibilitate, neutiquam constat.

Maior videtur irrefragabilis ex sufficienti partium & membrorum enumeratione. Vbi maiorem partem hominum, qui Pontificem venerantur, ad conscientiæ suæ forum prouoco &, vt ingenuè dicant, obsecro: cur, aut vndénam assentiantur Pontifici, tanquam infallibili verbi diuini propositori, dictatori cœlestis doctrinæ, conditori dogmatum &c. Minor singulorum membrorum probatione demonstratur. Dorscheus ad Conscientiæ forum nos prouocat.

Non I. *constare id potest ex κριτηρίοις siue motiuis fidei. videlicet autoritate Conciliorum, Patrum testimonijs, vsu & praxi veteris Ecclesiæ, eiusdem amplitudine, successione, conspiratione, vnione, sanctitate doctrinæ & vitæ, lumine prophetico, gloriâ miraculorum &c.* Etsi enim concedamus, *ista omnia multum posse ad inducendum animum, sed assensum posse gignere infallibilem, illud verò pernegamus: vt Kircherus quoque contra nos argumentatur, & ipsi Pontificij hâc in re consentiunt. Ista videlicet credibilitatem solùm, non autem fidem diuinam facere, & nasci inde discursum quendam humanum, non nisi doctissimis satis peruium; tandem, vtcunque sit firmus, iudicio tamen humano nixum, varijs instantijs atq; exceptionibus obnoxium &c, vt aduersùs motiua pro infallibilitate Scripturæ, arguit Kircherus.* Refellit 1. membrum de motiuis.

Non II. *ex veneratione & Maiestate Pontificis, vt illius autoritati prædicta, aliáq; motiua applicantur. Nam* 1. *innumeri illum audiunt, vident, venerantur, qui de throni Papalis infallibilitate, & eiusmodi characteribus nunquam cogitârunt. Confer.* §. 24. *in præliminaribus p.* 116. *vbi habes titulos Pontificis planè diuinos. Confirmatur. Sunt, vt obijcit Kircherus, qui diuinum Codicem tractant quotidie, & ex inaduertentiâ, eius diuina verba, mysteria, solatia non agnoscunt, atq; nec semel quidem de miraculis & vaticinijs euidentissimis cogitent. Quis negabit, idem accidere posse quotidie Pontificem meditantibus, & venerantibus?* 2. *Si aliqua in Sacris literis de alijs gesta recensentur, quæ offenderent multos legentes, vt autumat Kircherus, nisi nefas cogitarent esse dubitare de eo, quod tantâ veneratione, & sine omni dubio alij omnes amplectuntur: Quid ni & ea, quæ de Papis vel videntur actione, vel lectione cognoscuntur offenderent, nisi similis veneratio obstaret? Confer.* §. 25. *in prælimin.* 3. *Nónne fuerunt plurimi sanctissimi Patriarchæ & Episcopi, siue Alexandriæ, siue Antiochiæ, siue Constantinopoli, siue Hierosolymis, siue etiam alibi: erga quos incomparabiliter maior animorum plurimorum inflammatio fuit, quàm erga plurimos Romanos Episcopos? Ergóne illi eandem habuerunt cum Papâ Romano autoritatem?* Refellit 2. membrum de Maiestate Pontificis.

Non III. *ex Scripturis. Nam* 1. *Scripturæ testimonia multi aliter explicant, atq; à Iesuitis fieri solet.* 2. *Scripturæ de Petro Apostolo loquuntur. An* Refellit 3. membrum de Scripturis.

autem Petro Iure diuino Papa Romanus successerit, nondum inter ipsos constat, teste Tannero f. 3. d. 1. q. 4. dub. 4. assert. 1. & 2. 3. Scriptura sine autoritate Ecclesiæ nobis infallibilem assensum ingenerare nequit, vt discurrit Kircherus.

Refellit 4. membrum de Ecclesiæ proprio testimonio.

Non IV. Ex Ecclesiâ de suâ infallibilitate proprio testimonio. Non enim constat, vnde Ecclesia habeat hanc infallibilem non solùm de alijs fidei mysterijs, sed etiam de seipsâ testificandi autoritatem? Vel enim habet illam à seipsâ tanquam primum principium, quod instar primorum Principiorum in scientijs supponi oporteat, non probari. Atqui prima principia scientiarum supponuntur propter euidentiam, quam habent naturalem; talis autem euidentia non conuenit Ecclesiæ, quæ & ipsa à Pontificijs infallibilis credi debet fide diuinâ: vti contra rationem primi principij, quam nos tribuimus Sacræ Scripturæ, argumentatur Kircherus. Deinde si Ecclesia seipsam proponere, siue de seipsâ testari potest ad infallibilem assensum, cur non etiam Scriptura? Quæ diuersitatis ratio? Scriptura immobilis est omnium seculorum Magistra. Vel infallibilem hanc autoritatem tribuunt Ecclesiæ ex Sacrâ Scripturâ; atqui hæc ex se sufficienter iuxta Pontificios sese insinuare non potest, vt gignat infallibilem assensum. Vt autem proponitur ab Ecclesiâ, quæstio est, vnde constet eius autoritatem in proponendâ Scripturâ esse infallibilem?

Refellit 5. membrum de sensu interno.

Nec deniq; V. ex sensu quodam interno, quia huic fidere nolunt Pontificij, nam vt arguit Kircherus, contra Scripturæ certitudinem ratio ista lubrica est, neq; à fanatismo multùm aliena, & Satanas se aliquando transformat in Angelum lucis. Nisi ergo aliud quid afferant Pontificij, non potest apud illos esse infallabilis animi fundatio, sed perpetuam necesse est esse fluctuationem & animi incertitudinem.

Habes parodiam discursus tui, Kirchere: quidquid Scripturæ obijcis, Ecclesiam grauat. Ita Scripturam, ita Ecclesiam deprimis. Ita fundamenta supernaturalis fidei & assensus destruis. Ita fidem, ita Ecclesiam euertis.

RESPONDETVR.

48. Vicit Dorscheus, si nihil vitij, aut falsi est in huius argumenti phalange. Sed *Veritas Domini manet in æternum*, neq; obmutescit. Non est legitima in maiori partium, siue membrorum enumeratio; nec in minori veritas, quod vt planum fiat respondebimus ad singula.

Motiua efficiunt credibilitatem euidenté ap-

Ad I. RESP. 1. Motiua, siue κριτήρια Ecclesiæ non efficere ipsam fidem diuinam, sed solùm credibilitatem, verum est, & in hoc conueniunt Catholici. vide dicta n. 8. 9. 10.

RESP. 2.

RESP. 2. Nasci ex dictis motiuis, quæ summatim hic recenset Dorscheus, *discursum humanũ, solùm vtcunq;*, & non infallibiliter ac euidenter *firmum*, falsum est. Etsi enim is discursus necdũ est supernaturalis, sed naturalis, ideóq; moralis aut humanus dici potest: est tamẽ infallibilis & euidens, *cui non obstantibus vllis exceptionibus aut instantijs*, intellectus bene dispositus assentiri possit ac debeat. Quia nititur prouidentiâ, bonitate, misericordiâ, iustitiâ Dei, aliísq; attributis & moribus diuinis, immutabilibus, ad quæ motiua Ecclesiæ collectim præsertim ponderata, euidentem dicunt respectum. Fatetur Tanner. tom. 1. disp 1. q. 5. dub. 4. n. 2. *Certitudinem moralem non consistere in indiuisibili, nec vnius planè esse modi ac rationis, sed magnam habere latitudinem ac varietatem.* Et n. 6. *Asserit moralem euidentiam posse esse tantam, vt non minùs ferè obfirmet intellectum ad assensum, nec minorem certitudinem pariat, quàm ea, quæ in plerisq; scientificis assensibus Physicæ aut Ethicæ cernitur.* toritatis Ecclesiæ.

Moralis verò euidentia Motiuorũ Fidei collectim præsertim sumpta, nõ solùm non minorem, sed parẽ, imò maiorẽ videtur certitudinem parere. Quia certum est æquè vel certius, Deum stãte bonitate & infinitâ perfectione suâ, non posse per motiua, siue characteres Veritatis inducere in falsitatẽ quàm certa est in demõstrationibus scientificis connexio causæ cùm effectu, aut vicissim. Neque obstat, si dicas: stantibus his motiuis posse Physicè subesse falsum; hæc enim physica possibilitas, per immutabilem & fallere nesciam Dei prouidentiam, fidelitatem, misericordiam, iustitiam &c ita extrinsecè redditur impossibilis: vt non minùs impossibile sit talem Religionem esse falsam, quàm foret, etiamsi physicè quoque id impossibile esset. Quia videl. impossibile est, Deum non habere prouidentiam nostri, non esse bonum, fidelem, misericordem, iustum, qualis si non esset, neque Deus esset, quo argumento sæpius vtitur S. Chrysost. in quinque Orationibus de prouidentiâ siue fato. Vnde deniq; res tota resoluitur in irrefragabile illud principiũ: *Impossibile est idẽ esse, & nõ esse.* Eáque euidentia declaretur accuratiùs.

Fit ergo ex his motiuis euidenter nobis credibilis vera Ecclesia, eiúsq; infallibilis autoritas, sicut *ex creaturis* gentilibus euidenter fit credibilis *Deus, eiúsq. sempiterna virtus ac diuinitas.* Rom. 1. v. 20. Et sicuti gentiles fuerunt, ac sunt inexcusabiles, nisi suppositâ euidenti ex Creaturis credibilitatis huius cognitione, credant in Deum vnum & verum, *eúmq. vt Deum glorificent:* ita non minùs illi, quibus per fidei motiua euidenter credibile est, à Deo *institutam & reuelatam esse veram Ecclesiam Fidei & Religeonis Magistram*, sunt inexcusabiles: nisi propter reuelationem diuinam, fide supernaturali ac diuinâ (Deo interius lumen fidei actualis & habitualis, vltrò & semper ministrante) eandem Ecclesiam amplectantur. Vnde sicut discursus credibilitatis prærequisitæ nititur euidentiâ naturali motiuorum: ita assensus supernaturalis consequens nititur solâ reuelatione, tanquam ratione formali, intellectui per motiua credibilitatis applicatâ: ideóque rectè dicimus, infallibilitatem Ecclesiæ ex diuinâ reuelatione nobis constare.

Dispar est ratio Scripturæ & Ecclesiæ.

Rationem autem disparitatis, cur Scriptura, *maximè quoad Canonem librorum sacrorum, & sensum*, non reddatur aut reddi possit per vlla motiua euidenter credibilis, sicut Ecclesia: elucidabimus in decursu huius capitis & toto libro, prout Dorscheus aurem vellet.

Motiua Ecclesiæ valere quoq. respectu Pontificis.

Eadem est ratio motiuorum respectu Pontificis,

Ad II. RESP. 1. Idem dicendum de motiuis Ecclesiæ, (inter quæ est ipsa Sedis Apostolicæ veneratio,) quatenus applicantur Pontifici, tanquam eiusdem capiti & Vicario Christi: qui si non solus, (vt multi probabiliùs quidem, sed non dogmaticè, tanquam id fide certum foret, sentiunt) vnâ cum Concilio generali tamen, infallibilem habet Spiritus S. assistentiam.

RESP. 2. Esse innumeros, qui *Pontificem videant, audiant, venerentur, & de eius supremâ autoritate, non confusè saltem cogitent,*

tent, falsum est quia omnes Catholici de hâc re instituuntur à puero. Vt distinctè omnia intelligant, & singulos characteres penetrent, sicuti Doctores in scholarum cathedris, non est necesse. Ab innumeris Euangelicis legi Biblia qui *siue ex stylo, siue miraculis, prophetijs, mysterijs alijsq; ibi contentis, nisi ex Christianorum consensu id ipsis constaret, sibi persuaderi posse, illud esse verbum Dei, non cogitent*, credimus. Biblijs enim non competit ea motiuorum euidentia, quâ fulgent Pontifex & Concilia.

De cuius autoritate Catholici instituuntur à puero.

Iubet conferri in margine, quæ scripsit in prælimin. §. 24. à fol. 115. vsq; ad f. 130. vbi accumulat imprimis *50. titulos in Pontificem ab Abrah. Bzouio collatos; multorum deinde aliorum elogia eidem Pontifici tanquam supremo post Christum Ecclesiæ Capiti, eiusdémque Vicario dicta & scripta.* Præcipua sunt, *quòd quidam Pro- aut Vice Deum, supremum Numen in terris &c* appellant. Hinc Catholicis insultat, veluti Antichristi instar Papam colerent: cùm si bonæ mentis esset, fateri deberet, hæc pro subiectâ materiâ rectè intelligi posse. Transigat Dorscheus cum Dauide, quòd ps. 81. v. 6. *Iudices & Principes terrarum dicat Deos*, & tum litem nobis intendat, quòd Pontifici hæc nomina non alio sensu tribuamus, quàm quo Dei & Redemptoris nostri Vicario conuenire possunt. Aranearum est, ex floribus virus colligere.

Dorscheus allegat §. 24. prælim.

RESP. 3. Quæ offendere possint in Scripturis, non sunt improbè gesta *impiorum sponte peccatium: sed ea quæ similia* vel *flagitio, vel facinori Deo autore* facta ibi narrantur, *vt occisio filij, quam præcepit Deus Abrahæ* Gen. 22. v. 2. *Spoliatio Ægyptiorum eodem iubente facta fraudulenter ab Israëlitis petentibus & auferentibus vasa argentea & aurea, vestémque plurimam.* Exod. 12. v. 35. *Occupatio terræ Chanaan*, quæ videtur iniustè antiquis possessoribus, innocentibus pariter & nocentibus vsque ad internecionem deletis erepta, eodem Deo mandante. Numer. 33. v. 35. Deut. 2. v. 34 & 20. v. 17. *Adulterium putatitium Oseæ, cùm accepit iubente Deo vxorem fornicariam, & fecit sibi filios fornicationum.*

44. In Scripturis offendere possunt, quædam à Deo mandata.

cationum. Oseæ 1. v. 2. *Polygamia* antiquis Patribus vsitata &c. Quæ inter alias causa fuit, vt S. Aug. olim deficeret ad Manichæos, vt ipse testatur lib 3. Conf. c. 7. Vita autem improba Pontificum non dicitur à Catholicis habere autorem Deum, sed reprehensorem & vindicem Vnde hâc in re magna est disparitas Pontificum & Sacrarum literarum, cùm præsertim nos illæ *aduersùs Scribas & Pharisæos sedentes in Cathedrâ Mosis*, & à paritate rationis, *aduersùs malos Pontifices sedentes in Cathedrâ Petri* clarè præmuniant, Matth. 23. v. 3. *Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite, secundùm verò opera eorum nolite facere.*

Sanctiores licet Pontificibus multi Episcopi, potestate pares nulli fuerunt.

RESP. 4. Non inficiari nos, fuisse alibi sanctissimos Patriarchas & Episcopos, qui fuerint incomparabiliter in maiori veneratione, sanctitatis aut doctrinæ intuitu: quàm siue plurimi, siue multi Pontifices Romani, quorum vita fuit illaudabilis, aut doctrina & Virtus non perinde celebris. Potestatem autem eiusmodi aliorum Episcoporum, & Patriarcharũ quantumuis sanctissimorum & doctissimorum, potestati Romanorum Pontificum, licet vitiosorum, nemo Orthodoxus æquauit: Sanctitas non confert potestatem, neq;, si habeatur, illã auget.

Resp. ad §. 25. & 26. prælim.

RESP. 5. Ad ea, quæ in margine iubet conferri ex prælimin. §. 25. de improbâ vitâ multorum Pontificum: quæque §. 26. subiungit de Episcopis, à f. 131. vsque ad f. 152. & antiquam cramben continent.

Baronius falsò allegatus.

1. Bonam fidem appello, mi Dorschee! Baronius *Bonifacium* (quem vocant VII.) *sceleratum, sacrilegum, duorum Pontificum crudelissimum interfectorem*, *An. C. 985. n. 1. successorem vocat nunquam:* sed constanter negat fuisse legitimum Pontificem. Vnde ait l. cit. (non in præfat. Anni 900., quam tu allegas) *parum consulere eos veritati, minúsq; pietati, & S. R. E. dignitati, qui hunc inter Romanos Pontifices referunt &c* Cur ergo obijcis Pontificibus non Pontificem?

Genebrardus.

2. Gilbertus Genebrardus, vir cœteroqui doctissimus, & fastigio

fastigio Episcopali dignus, in calculo errauit, dum à Ioanne (vt ipse vocat VIII.) vsq; ad Leonem IX Pontifices circiter quinquaginta numerat: cùm non intercesserint nisi tres & triginta, vt Pontificum Catalogus, quem exhibet Bellarm. in Chronologiâ, docet. Ex horum infamiâ subducit ipse Genebrardus *quinque, Martinum II. Agapetum II. Ioannem XVII. Sergium IV. Gregorium VII. tanquam (licet tenuiter,) laudatos Pontifices.* Remanent igitur viginti octo. Ex quibus ipsis quatuordecim fuêre, qui aliquot solùm diebus, aut mensibus, vel vix vltra annum sederunt, vt spatium non habuerint tot & tanta patrandi, quanta vellet Dorscheus, & verum videri possit, quod ex Adamo Conzen l. 6. Polit. c. 20. §. 7. adducit, neque oppugnat: *Summum sex aut octo fuisse, quorum in tam sanctâ functione vita improba fuerit.*

3. Cur non addis causam, cui hæc Pontificum monstra Genebrardus adscribit? *Reos videlicet tanti sceleris esse* ait, *Germanicos Impp. qui ita premebant Ecclesiam, vt sublatis Canonicis electionibus, pro libidine, & sæpius pecuniâ & pactis, summos darent Pontifices &c.* Quam eandem causam attigit Baronius in ingressu sæculi Noni. Dorscheus causam à Genebrardo tactam silet.

4. Nullus ex his Pontificibus sceleratam vitam in doctrinam transtulit, vt facienda doceret, quæ ipse faciebat. Audi August. ep. 165. *In illum ordinem* ait *Episcoporum ab ipso Petro vsque ad Anastasium,* (dicamus nos pari iure, vsq; ad Innocentium X.) qui *nunc super eandem cathedram sedet, etiamsi quispiam traditor* (vel alius improbus aut sceleratus) *per illa tempora subrepsisset, nihil præiudicaret Ecclesiæ, neq; innocentibus Christianis. Quibus Dominus præuidens de malis propositis* ait: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite: vt certa sit spes fidelibus, quæ non in homine, sed Deo collocatur.* Augustinus, de Pontificibus vitiosis respondet.

5. Deniq; confer sceleratos Principes, & Magistratus huius mundi, qui vnquam extiterunt, reperies sine comparatione & numero plures, & vitiorum grauitate sceleratiores, quàm fuerint Cõparatio Pontificum vitiosorum, cum sceleratis Principibus.

rint

rint inter Romanos Pontifices, aut Ecclesiæ Catholicæ Episcopos. Neq; tamen audes impugnare illorum potestatem, quæ à *Deo est*; aut abrogare ius gladij, quem *portant* tanquam *Dei ministri*. Rom. 13. v. 1. & 4. Quo ergo iure claues Petri damnas, quia in successores degeneres subinde inciderunt? Vix sesqui seculum infame Sedi Apostolicæ obijcere potes: cùm omnia secula sceleratis Principibus & Magistratibus (licet successu temporis Christianis,) redundârint. Aut cum Pontificibus etiam Principes & Magistratus abijce, aut in vtrisq; etiam inter vitia, ordinatam à Deo potestatem venerare.

Iesuitæ in labores aliorum ingressi ijsdem armis pugnant, quibus pugnârunt alij.

Ad III. RESP. 1. A nullis Romano-Catholicis Scripturæ testimonia, quæ Ecclesia pro definiendo Pontificis primatu producit, aliter explicari, quàm à Iesuitis. Neque tibi res est cum Iesuitis, sed cum M. Ioanne Kirchero, qui Iesuita non est. Card. Bellarm. in Præfat. Librorum de summo Pontifice, quam habuit in Gymnasio Romano Anno 1577. *triginta sex Autores* enumerat, qui ante ipsum pro autoritate summi Pontificis scripserunt; inter hos non sunt nisi Iesuitæ duo *Franciscus Turrianus, & Gregorius de Valentiâ*, tum à prælo madentes. Vt videas ijsdem armis ante Iesuitas aduersùs Lutherum & Caluinum, aliósq; Sectarios, à fortissimis doctissimísq; bellatoribus fuisse pugnatum, quibus se postea Iesuitæ accinxerunt: in labores aliorum ingressi, & eorundem cum laude facti adiutores, eadémq; cum illis *prælia Domini* hodiéque, sed non soli, feliciter præliantes.

Dorschei Fides vacillat.

RESP. 2. Rursus vacillare Dorschei fidem, cùm dicit: *An Petro Iure diuino Papa Romanus successerit? nondum apud nos Catholicos constare*, quasi videlicet ideo fide diuinâ non constaret: Pontificem Romanum esse Petri successorem, & Christi Vicarium. Neque hoc asserit Tannerus, vel Catholicus quisquam. *Nam licet fortè non sit de Iure diuino*, ait Bellarm. l. 2. de Pontif. c. 12. *Romanum Pontificem vt Romanum Pontificem, Petro succedere, tamē id ad fidem Catholicam pertinere. Non enim est idem aliquid*

Etsi Episcopus Ro. non succedat iure diuino, est de Fide illum succedere Petro.

aliquid esse de fide, & esse de Iure diuino. Nec enim de Iure diuino fuit, vt Paulus haberet penulam, est tamen hoc ipsum de fide, Paulum habuisse penulam, (quia Scriptura id asserit. 2. Tim 4. v. 13.) *Etsi autem Romanum Pontificem succedere Petro, non habeatur expressè in Scripturis, tamen succedere aliquem Petro, deducitur euidenter ex Scripturis. Illum autem esse Romanum Pontificem, habetur ex traditione Apostolicâ, quam traditionem Concilia generalia, Pontificum Decreta, & consensus Patrum declarârunt.* Scripturæ [illegible], quæ de Petro loquuntur, eique à Christo commissam [illegible]; gubernationem ostendunt, pro Pontifice Romano, [illegible] Petri successore militant: siue Iure diuino summus Eccle[illegible] niuersalis Pontificatus sit Episcopatui Romano annexus, siue ex solâ Petri ordinatione, qui potuerit Ecclesiæ Antiochenæ, in quâ priùs sedit, vel cuiuis alteri eundem annectere.

Ecclesia à priori non demõstratur ex Script.

Resp. 3. Ecclesiam à priori demonstrari non posse ex Scripturis, tum quia est antiquior & prior libris noui testamenti, in quo potissimùm de Christi Ecclesiâ agitur, etsi per figuras & prophetias veteris quoq; testamenti præfigurata & adumbrata fuerit; tum quia de illius veritate, Canone, & sensu sine autoritate Ecclesiæ constare infallibiliter non posset, vt rectè Kircherus, & Catholici omnes sentiunt, nósq; Dorscheo deinceps dilucidè demonstrare pergemus. Perhibet nihilominus Scriptura efficax testimonium Ecclesiæ infallibili autoritati. Tum in ordine ad hominem, illos inquam, qui hanc Ecclesiæ autoritatem negantes, eandem Sacris literis in solidum assignant. Contra hos ex concessis solidè argumentamur, ea testimonia producentes, quæ Ecclesiæ infallibilitatem cuiuis non pertinaci meritò persuadeant. Tum veluti à posteriori, cùm, postquã Ecclesiam omnis reuelatæ veritatis Magistram & interpretem esse diuinâ fide credimus, Sacras literas tanquam Verbum Dei scriptum ab eâdem accipimus: & propter reuelationem diuinam, quæ ab Ecclesiâ proponitur, omnem illis fidem adhibentes, eiusdem Ecclesiæ infallibilem autoritatem in eâdem affir-

Sed in ordine ad hominem.

Et velut à posteriori.

mari & confirmari, clarè deprehendimus: indéque pro eâdem argumenta desumimus, velut à posteriori.

Simile, à Constitutionibus Imperij.

Quo ferè pacto Ius publicum Imperij Romano-Germanici, Constitutionibus Imperij comprehensum, nullam vim habet vél autoritatem, nisi à Cæsaribus & Imperij statibus. Vicissim tamen eorum autoritatem ac potestatem explicat, declarat, confirmat. Vbi illud inter Scripturam & constitutiones Imperij nostri (seu cuiusuis alterius Regni) discriminis interest, quòd constitutionũ Imperij, Cæsares & Status non solùm sint interpretes & custodes, verùm etiam conditores. Scripturæ autem autor solus Deus est, etsi eius custodiam & interpretationem Ecclesiæ commisit, eámq; in isto munere *veluti columnā & firmamentum Veritatis 1. Tim. 3. v. 15.* stabiliuit: multò aliter quàm terrarum Principes & Proceres, qui in legum suarum interpretatione errare, aut fallere, & falli possunt, ac solent.

Ecclesiam, non Scripturam esse primum principium in rebus fidei.

46. Ecclesia primum principium supernaturale.

AD IV. RESP. 1. Ecclesiæ infallibilem autoritatem in se ipsâ, aliisq; fidei articulis proponendis niti diuinâ reuelatione, nobis per motiua fidei applicatâ: & habere illam rationem primi principij non naturalis, vel euidentis, sed supernaturalis & reuelati, quod per dicta motiua fit euidenter credibile; & ex quo, cùm quæstio, aut dubium incidit, omnes veritates reuelatæ deducuntur, aut per illud explicantur & confirmantur. Vnde Ecclesiam per aliud principium reuelatum à priori non probamus, sed supponimus.

Non item Scriptura.

RESP. 2. Scripturam verò instar primi principij supponi non posse. Non equidem instar principij euidentis, qualia sunt principia scientiarum naturalium, quia est de rebus supernaturalibus credendis fide diuinâ, quæ etsi infallibilis sit ac certa, non est euidens, sed obscura. Neq; verò instar primi principij reuelati. 1. Quia non est à Deo aliter instituta aut condita,

quàm

quàm veluti Lex, aut Ius fidelium & Christianorum. In nullâ autem hominum societate, Republicâ, aut principatu, leges aut iura sunt aut fuerunt suprema iudicandi & agendi regula, sed Principes & Magistratus: penes quos leges & iura proponendi, explicandi, exequendi, suprema residet facultas & potestas: aut penes illos, quibus illud commiserunt, vt Christus commisit Ecclesiæ. 2. Non apparet, quâ ratione Diuina Sapientia, *quæ attingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter* Sap. 3. v. 1. congruenter rerum naturis, & vel maximè humanæ conditioni, debuerit verbis, sermonibus, ac sensibus hominum vsui & societati attemperatis (quibus vti voluit) legem condere, aut Scripturas de rebus tam sublimibus: quæ non ambiguæ subiacerent interpretationi, eóq; ipsò Magistro siue interprete indigerent diuinitus instituto, & inspirato, quem nos dicimus esse Ecclesiam. Accedunt plures causæ, ob quas diuina prouidentia Scripturas voluit esse difficiles & obscuras, quas ex Patribus septem adnumerat Serarius in Proleg. Bibl. c. 22. q. 2. Eò verò ipsò, quia ita placuit diuinæ Sapientiæ, eiusdem fuit prouidere de infallibili interprete, & Controuersiarum ex obscuritate nascentium Iudice.

Quę est Lex, siue Ius Fidelium.

Et ex naturâ rei eget Magistro & interprete.

3. Ne vnum quidem ex Scripturâ proferri potest testimonium, quo in bonâ formâ euincatur conuenire illi supremum, in Fidei & Religionis Controuersijs discernendis Magisterium. E contrà complura Catholici proferunt, quibus apertè remittimur ad Ecclesiam, eiúsque Pastores & Doctores. Matth. 16. v. 18. ibid. 18. v. 17. Luc. 22. v. 32. Ioa. 14. v. 17. Ephes. 4. v. 11. 1. Tim. 3. v. 15. Cur non apertis & numeratis, aut æquiualentibus verbis Scriptura dicit: *Veritatem Fidei & Religionis per me solam, in me solâ, ex me solâ, quærite, discite, dijudicate?* Cur illi tribuamus, quod ipsa sibi nuspiam tribuit?

Quod munus Scriptura sibi non tribuit.

4. Deniq; prætensa Scripturę in dijudicandis Fidei controuersijs suprema autoritas, nullis nobis motiuis euidenter fit credibilis, sicuti autoritas Ecclesiæ. Quâ ergo ratione instar

Neq; vllis motiuis fit credibile, ipsi conuenire.

primi principij reuelati, illam fide diuinâ amplecti possumus, quibus euidenter credibile nemo fecit, talem de ipsâ extare reuelationem? Etsi daremus, aliqua fortassis afferri motiua, quæ generatim (neq; enim Catholicus quisquam plus illis tribuere potest, quidquid fingant Acatholici.) suadeant, in Biblijs contineri Verbum Dei: vt verò credamus, illos solùm libros esse in Canone, quos recipiunt Euangelici, illúmq; esse legitimum Scripturæ sensum, quem ijdem nobis obtrudunt, nulla sufficientia, nedum euidentia potes Dorschee, proferre motiua. Non suffragatur *Canonis & sensus vestri Autoribus, Sanctitas vitæ aut doctrinæ, non antiquitas, non vnio siue concordia, non ab Apostolis deducta successio, non miraculorum gloria &c.* Pugnant verò hæc omnia, & longè plura pro Canone & sensu, quem proponit ac tenet Ecclesia Romana Catholica. vt c. 4. & 5. magis patebit. Hanc vt verissimam Verbi diuini rectè intelligendi Magistram & interpretem diuinitus reuelatam, eiúsq; doctrinam irrefragabilia argumenta euidenter efficiunt credibilem, vt tanquã primo principio reuelato propter reuelationem diuinam illi meritò assentiamur. Propter quam eandem reuelationem assentimur omnibus articulis fidei ab illâ propositis. Etsi necesse non est, vt initio statim huius principij suprema autoritas prorsus sit perspecta. Sicuti accedenti ad Physicam, aut Metaphysicam non statim in vestibulo proponuntur prima illa principia: *Quodlibet est, vel non est, Impossibile est idem esse, & non esse:* sed tum demum, cùm ea incidunt, propter quæ ad eá recurrere expedit, vel oportet.

Præsertim quoad Canonem & sensum.

Habes igitur, Dorschee, rationem diuersitatis inter Scripturam & Ecclesiam, cur ista tanquam infallibilem Magistram, & Iudicem Controuersiarum se vniuersim proponat, non item illa. Etsi Scriptura quoq; iuxta Ecclesiæ propositionem & interpretationem, lecta & intellecta, infallibilem fidei assensum ijs in rebus nobis ingenerat, quæ illâ continentur. Atq; ex his etiam vides, Ecclesiæ infallibilem autoritatem à priori ex Scri-

Potest ergo vniuersim seipsam proponere Ecclesia, non item Scriptura.

pturis

pturis non probari, sed solùm eo modo, quem paulò antè explicauimus. Scriptura in se est *immobilis omnium seculorum Magistra*, non inficiamur: sed quoad nos; sub Magistrâ, custode, & interprete Ecclesiâ, quæ est immobilis omnium seculorũ, *columna & firmamentum veritatis* teste Apostolo, 1. Tom. 3. v. 15.

Ad V. deniq; Resp. Sensum internum ex *peculiari illustratione ortum, quem sibi in dijudicandis & interpretrandis Scripturis quisq; sibi priuatim tribuit sine ipsius Scripturæ autoritate, aut vllis necessarijs aut sufficientibus argumentis* (de quo plura infrà) meritò à Kirchero fanaticum censeri: & à nobis non magis ad Ecclesiæ infallibilitatem demonstrandam, quàm Scripturas intelligendas, id est, nunquam, admitti vel adhiberi. Illum tamē sensum internum non repudiamus, de quo Dauid psal. 4. v. 6. & 7. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* quis demonstrat nobis veram Ecclesiam? Audiant: *signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Naturalis videlicet ratio, quâ ex creaturis facta est euidenter gentilibus credibilis diuinitas, & quia non crediderunt, sunt *inexcusabiles.* Quâ eâdem ex clarissimis motiuis & signis, quæ non possunt nisi à te esse Domine, euidenter fit credibilis vera Ecclesia tanquam suprema fidei Magistra diuinitus reuelata: cui qui non credunt, non minùs, imò magis erunt inexcusabiles, quàm gentiles. Nihil ergo in conscientiâ, ad quam nos prouocâsti, apud nos fluctuat, Dorschee, nihil anceps est. Non vacillat *columna & firmamentum Veritatis.* Sed de sensu interno plura infrà.

47. Sensus internus quis reijciendus? Qualis admittendus? Nihil apud Catholicos fluctuat.

Habes parodiam non discursus Kircheriani, sed responsionis tuæ. Quidquid ille Scripturâ abutentibus obijcit, Ecclesiā firmat. Dum Scripturæ tribuit, quod legi: & Ecclesiæ, quod Magistræ conuenit; neque hanc, neq; illam deprimit, sed suo loco collocat vtramque. Tu, dum supremæ autoritatis infallibilitatem Ecclesiæ negas, nec in Scripturis solis illam reperire potes: omnia fundamenta supernaturalis assensus amittis, nec inde, neq; illinc fidei tuæ certus. Poteras sine ambagibus

primi principij reuelati, illam fide diuinâ amplecti possumus, quibus euidenter credibile nemo fecit, talem de ipsâ extare reuelationem? Etsi daremus, aliqua fortassis afferri motiua, quæ generatim (neq; enim Catholicus quisquam plus illis tribuere potest, quidquid fingant Acatholici.) suadeant, in Biblijs contineri Verbum Dei: vt verò credamus, illos solùm libros esse in Canone, quos recipiunt Euangelici, illúmq; esse legitimum Scripturæ sensum, quem ijdem nobis obtrudunt, nulla sufficientia, nedum euidentia potes Dorschee, proferre motiua. Non suffragatur *Canonis & sensus vestri Autoribus, Sanctitas vitæ aut doctrinæ, non antiquitas, non vnio siue concordia, non ab Apostolis deducta successio, non miraculorum gloria &c.* Pugnant verò hæc omnia, & longè plura pro Canone & sensu, quem proponit ac tenet Ecclesia Romana Catholica. vt c. 4. & 5. magis patebit. Hanc vt verissimam Verbi diuini rectè intelligendi Magistram & interpretem diuinitus reuelatam, eiúsq; doctrinam irrefragabilia argumenta euidenter efficiunt credibilem, vt tanquã primo principio reuelato propter reuelationem diuinam illi meritò assentiamur. Propter quam eandem reuelationem assentimur omnibus articulis fidei ab illâ propositis. Etsi necesse non est, vt initio statim huius principij suprema autoritas prorsus sit perspecta. Sicuti accedenti ad Physicam, aut Metaphysicam non statim in vestibulo proponuntur prima illa principia: *Quodlibet est, vel non est, Impossibile est idem esse, & non esse:* sed tum demum, cùm ea incidunt, propter quæ ad eà recurrere expedit, vel oportet.

Præsertim quoad Canonem & sensum.

Habes igitur, Dorschee, rationem diuersitatis inter Scripturam & Ecclesiam, cur ista tanquam infallibilem Magistram, & Iudicem Controuersiarum se vniuersim proponat, non item illa. Etsi Scriptura quoq; iuxta Ecclesiæ propositionem & interpretationem, lecta & intellecta, infallibilem fidei assensum ijs in rebus nobis ingenerat, quæ illâ continentur. Atq; ex his etiam vides, Ecclesiæ infallibilem autoritatem à priori ex Scri-

Potest ergo vniuersim seipsam proponere Ecclesia, non item Scriptura.

pturis

pturis non probari, sed solùm eo modo, quem paulò antè explicauimus. Scriptura in se est *immobilis omnium seculorum Magistra*, non inficiamur: sed quoad nos, sub Magistrâ, custode, & interprete Ecclesiâ, quæ est immobilis omnium seculorũ, *columna & firmamentum veritatis* teste Apostolo, 1. Tom. 3. v. 15.

Ad V. deniq; Resp. Sensum internum ex *peculiari illustratione ortum, quem sibi in dijudicandis & interpretrandis Scripturis quisq, sibi priuatim tribuit sine ipsius Scripturæ autoritate, aut vllis necessarijs aut sufficientibus argumentis* (de quo plura infrà) meritò à Kirchero fanaticum censeri: & à nobis non magis ad Ecclesiæ infallibilitatem demonstrandam, quàm Scripturas intelligendas, id est, nunquam, admitti vel adhiberi. Illum tamē sensum internum non repudiamus, de quo Dauid psal. 4. v. 6. & 7. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* quis demonstrat nobis veram Ecclesiam? Audiant: *signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Naturalis videlicet ratio, quâ ex creaturis facta est euidenter gentilibus credibilis diuinitas, & quia non crediderunt, sunt *inexcusabiles.* Quâ eâdem ex clarissimis motiuis & signis, quæ non possunt nisi à te esse Domine, euidenter fit credibilis vera Ecclesia tanquam suprema fidei Magistra diuinitus reuelata: cui qui non credunt, non minùs, imò magis erunt inexcusabiles, quàm gentiles. Nihil ergo in conscientiâ, ad quam nos prouocâsti, apud nos fluctuat, Dorschee, nihil anceps est. Non vacillat *columna & firmamentum Veritatis.* Sed de sensu interno plura infrà.

47. Sensus internus quis reijciendus?

Qualis admittendus?

Nihil apud Catholicos fluctuat.

Habes parodiam non discursus Kircheriani, sed responsionis tuæ. Quidquid ille Scripturâ abutentibus obijcit, Ecclesiā firmat. Dum Scripturæ tribuit, quod legi: & Ecclesiæ, quod Magistræ conuenit; neque hanc, neq; illam deprimit, sed suo loco collocat vtramque. Tu, dum supremæ autoritatis infallibilitatem Ecclesiæ negas, nec in Scripturis solis illam reperire potes: omnia fundamenta supernaturalis assensus amittis, nec inde, neq; illinc fidei tuæ certus. Poteras sine ambagibus

intelligere, vnde nobis constet Ecclesiæ infallibilitas, ita potiùs obijciendo: *Si fide diuinâ vobis constat, Ecclesia Biblia tanquam Verbum Dei proponentis, infallibilis autoritas, aliunde non constat, quàm ex diuinâ reuelatione; sed ex hac constare non potest.* Ergo &c. Verissima est maior, non item minor, quam tuâ partium, siue membrorum enumeratione, imò potiùs confusione minimè probâsti, aut probare potes, vti demonstratum est.

---

§. II.

Argumento Kircheri, quo certitudinem Bibliorum in Ecclesiæ autoritate fundat, neq. Prophetarum neq. Apostolorum neq. SS. Patrum, neq. vllorum Pontificiorum Veterum aut Recentiorum, methodum euerti.

DORSCHEVS.

48. Ad §. 109. Dorsch. Dorscheus respondet II. *Primùm à Kirchero methodum deducendi ad verbi diuini amplexum, siue fidem supernaturalem, à Prophetis & Apostolis vsurpatam, euerti.* Probat, *quòd non aliam methodum vsurpârint, quàm ad Criteria siue motiua verbi diuini* (vbi solùm scriptum intelligit) *deducendo, & credibilitatem inde illi conciliando.* Quæ criteria, licet hic recenseat summatim, rectiùs differimus ad responsionē illius quartam, vbi de his ex instituto.

Affert exemplum S. Petri. Affert exemplum ex S. Petri 1. ep. 1. v. 19. vbi dicit *velut in fasciculo hæc exhiberi.* Ponit is inprimis *aliquid extraordinarium,* visionem in monte Thabor. Deinde *ordinarium,* nempe Scripturam, eiúsque κριτηρια. 1. *Antiquitatem, dum vocat sermonem propheticum.* 2. *Maiestatem rerum, non enim doctas fabulas Apostolus secutus est.* 3. *Sermonis singularitatem, videlicet prophetici, eiúsq. lucidissimi: non obiecta solùm aptè & dilucidè proponendo, sed etiam mentem ad lucem obiectorum accommodando.* 4. *Summam harmoniam, dum omnia ad illuminandum, omnia ad diem, omnia ad Phosphorum conspirant.* Hic nulla verba Apostoli allegat. 5. *Vaticiniorum certitudinem,* de quâ rursus hic nullum verbum Petrus. 6. *Visionum sublimitatem,* pro quâ allegat v. 10. in quo nec syllaba. 7. *Doctrinæ efficaciam, instar lucernæ lucentis in caliginoso loco.* ex v. 19.

RESPONDETVR.

RESP. 1. Dorscheum, cùm generatim methodum Prophetarum

phetarum & Apostolorum obiectat, non vnius Petri, sed aliorum quoque debuisse afferre. 2. Neq; ipsum S. Petrum has Scripturæ proprietates, quas ex hoc loco inuitâ Mineruâ, Dorscheus exsculpere laborat, ita assignare, vt dicat *seclusâ autoritate Ecclesiæ, ad veritatem Scripturæ probandam*, illas sufficere. 3. Dorscheus sermonem propheticum vocat lucidissimum ipso Apostolo repugnante; comparat enim illum *lucernæ lucenti in caliginoso loco*, non soli illustranti terram in meridie. Tenue est lumen lucernæ, neque tenebras tam tollit, quàm minuit; neq; ipsum hoc facit, nisi debito modo ac loco appensa. Tenue est lumen verbi diuini, quia *videmus per speculum quasi in ænigmate*, 1. Cor. 12. v 13. & *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, Heb. 11. v. 1. Neq; Verbũ diuinum lucet etiam in obscuro, nisi ab Ecclesiâ legitimè propositum & appensum. 4. Speciatim Apostolus testatur in *Epistolis carissimi fratris sui Pauli esse quædam difficilia intellectu &c.* Ergo non omnia in *Scripturis ad illuminandum, ad diem, & Phosphorum conspirant*, nec quidem in summis & necessarijs fidei articulis, *vt de iustificatione, gratiâ, peccato originali &c* de quibus in suis epistolis tractat Paulus, & præter quæ in illis nihil magnopere habet difficultatem. Cùm itaque Petrus Scripturas fatetur difficiles, vtique ad interpretem aliquem nos remittit, & quem illum, nisi Ecclesiam? Non euertit Kircherus Propheticam & Apostolicam methodum, sed sequitur & confirmat.

Non debuit solum adferri.

S. Petrus Dorscheo non fauet.

DORSCHEVS.

49. Dorscheus contendit III. *à Kirchero methodum deducendi ad fidem verbi cælestis siue Patribus vsitatam euerti.* Producit 1. exemplum Iustini Martyris in parænesi ad Græcos, quos hortatur vt *ex ipsis profanis historijs agnoscant Mosen & Prophetas, omnibus qui apud ipsos habiti sunt sapientes, fuisse antiquiores, & Prophetarum diuinis libris vacent &c.* Concludit deniq; NB. *nullo planè pacto aliter, aut aliunde de Deo, aut de rectâ Religione disci quidquam posse, quàm à Prophetis solis, qui diuinâ inspiratione inflati nos docent, & instituunt.*

Ad §. 110. Dorsch. Iustinus.

2. Eandem methodum iniuit Tatianus Alexandrinus in orat. aduers.

Tatianus.

uerſ. Græcos, vbi contra Gentiles Chriſtianiſmum tuetur, 1. *Quia Chriſtiani ſua dogmata proferunt ex diuinis eloquijs.* 2. *Quia Scripturæ ſtylus nec phaleratus, nec obſcurus eſt: continet itidem prophetias, promiſſiones, & vnius Dei cultum.* 3. *Quia noſtra Philoſophia Græcorum & profanarum Religionũ diſciplinis antiquior eſt, vt conſtat ex Beroſo, hiſtorijs Phænicũ &c.*

Theophilus Antiochen. 3. Eandem vſurpat Theophilus Antiochenus contra Autolycum, vbi lib. 2. *vrget* 1. *harmoniam propheticorum ſcriptorum.* 2. *Antiquitatem.* 3. *Sanctitatem doctrinæ lib.* 3.

Origenes. 4. Origenes eodem argumentorum ordine vtitur lib. 4. περὶ ἀρχῶν c. 1. *vbi Scripturas diuinitus eſſe inſpiratas probat ex vaticiniorum claritate, doctrinæ victorioſâ conſtantiâ, antiquitate, propagatione, miraculorum gloriâ &c.* Idem agunt Lactantius l. 4. Inſtit. c. 4. & alij.

RESPONDETVR.

Hæ allegationes vanæ. RESP. Has allegationes Dorſcheanas eſſe vanas, & nullius ponderis 1. Nullus dicit, ex his characteribus Scripturæ diuinæ Veritatem agnoſci poſſe ſecluſâ Eccleſiæ autoritate. 2. Loquuntur in ordine ad hominem, & Gentilibus, qui ſuorum Philoſophorum, Hiſtoricorum, Poëtarum libris ineſcati erant: quibus opponunt Scripturas antiquitate, doctrinæ Sanctitate, rebus admirãdis &c. illuſtres. Et quidem ſi de libris agendũ ſit, ex nullis alijs libris veram Religionem rectiùs peti, quàm ex Scripturis ſacris Chriſtianorum, veriſſimum eſt; quæ ipſa Iuſtini mens. 3. Idem verò Iuſtinus ſub finem *ſecundæ Apologiæ pro Chriſtianis*, vbi quædam ijſdem vſitata recenſet, quæ in Scripturâ non continentur, ſubiungit: *Chriſtum poſtridie Saturni, qui ſolis dies eſt, cùm Apoſtolis diſcipuliſq; ſuis apparuiſſet, hæc illis tradidiſſe* &c. Non ergo Iuſtinus ſoli Scripturæ tribuit ſummam Religionis.

Tatianus parui momenti. 4. Tatianus inprimis, ſibi *legum apud Gentiles diuerſitatem, impietatem, & repugnantiam diſplicuiſſe* teſtatur, vtique Chriſtianorum per totum orbem in legibus & moribus concordiâ captus. Tum ſe *Sacris literis fidem adhibuiſſe*, quarum ſtylum commendat &c; poſtea verò, de *Philoſophia Chriſtianæ*, (quam placitis tam ſcriptis, quàm non ſcriptis contineri minimè inficiatur)

tur) *antiquitate & prærogatiuis* differit. Sed neq; tanti est illius autoritas, cùm in eâdem oratione circa immortalitatem animæ grauiter erret, & post *Martyrium S. Iustini præceptoris sui à fide defecerit, Encratitarum factus Princeps* teste Bellarm. de Script. Ecclesi. & Seuer. Binio tom. 2. Bibliothecæ Patrum, vbi hanc orationem ponit.

5. Theophilus Antiochenus l. 2. contra Autolycum ante medium, clarè Scripturis Ecclesiæ autoritatem coniungit. *Mundum* enim comparat *mari*; *Scripturas aquis dulcibus fontium & fluminum, quæ in mare influunt, & salsugine dilutâ, illud conseruant, ne intercidat. Ecclesias autem* comparat *insulis habitabilibus, frugiferis, & quibus est aqua salubris, nec non naualia, & portus commodi, quò se naufragi receptent. Sic Deus,* ait, *dedit mundo, qui peccatorum tempestatibus & naufragijs iactatur, Synagogas, quas Ecclesias nominamus: in quibus NB. Veritatis doctrina feruet, ad quas* (non ad sola Biblia) *confugiunt Veritatis studiosi omnes, NB. quotquot saluari, Deiq; iudicium & iram euitare volunt.* Causam itaq; tuam iugulat, non iuuat iste Theophilus. Theophilus Antiochenus pro nobis.

6. Origenes ex Dorscheanis κριτηρίοις seclusâ Ecclesiæ autoritate, Scripturas diuinas discerni non posse, apertè significat in Prologo in Canticum Canticorum aduersùs illos, *qui sic titulum libri accipiebant, quasi Canticum hoc esse dixerit Canticorum Salomonis, vt ex plurimis suis Canticis hoc vnum esse signauerit. Sed nos,* ait, *quomodo recipiemus huiusmodi intelligentiam? cùm NB. neque Ecclesia Dei vlla extrinsecùs Salomonis Cantica legenda receperit; neque apud Hebræos (à quibus eloquia Dei videntur ad nos esse translata,) aliquid præter hos tres libellos Salomonis (qui & apud nos sunt) amplijs habeatur in Canone.* Origenes pro autoritate Ecclesiæ.

Non ergo methodum Veritatis Scripturarum ex Ecclesiæ autoritate accipiendæ Sanctis Patribus vsurpatam, sed methodum illi contrariam, & Dorscheo familiarem, euertit Kircherus.

DORSCHEVS.

50. Ad §. 115. Dorsch. Dorscheus audacter pugnat. IV. *methodum ad infallibilem fidei, atq; adeò ad supernaturalem assensum perueniendi ipsis etiam veteribus ac Recentioribus Pontificijs vsurpatam à Kirchero euerti.* Probat 1. ex *magno illorum numero, quos in alijs dissertationibus produxerit, & suprà etiam nominârit.* Addit nunc Ambrosiū Cathar. in clauibus Sacrarum Scripturarum p. 1. vbi deniq; ita disserit: *Deum cogitâsse, quòd ijs* (Prophetis & Apostolis) *quibus ab initio* (Verbum Dei) *reuelatum fuit, non erat datū perpetuò manere super terram, vt quæ à Deo accepissent, omnibus futuris generationibus ipsi contraderent; & quòd non esset bonum ac tutum, in singulis generationibus renouare reuelationes; neq; item tutum, quæ iam facta essent, eas quasi per manus à maioribus tradi, cùm multiplicata essent nimis: sanè perspicies ad ea seruanda & custodienda, nihil aliud iam superesse commodius, tutius, fideliúsq; quàm Scripturam. Hæc est prima clauis &c.*

RESPONDETVR.

RESP. 1. Allegationibus Dorscheanis alibi factis, nos non plus tribuere posse, quàm illis, quas hactenus attulit, quarum nulla vllius momenti est, & nominatim illorum, quos dicit se suprà nominâsse. vide dicta n. 14. Ambrosius Catharinus, si intellexit, *nullam omnino reuelationem extra vel præter Scripturas, per traditionem Maiorum ad nos peruenisse,* vt in multis alijs, ita & hoc errauit; si de maiori reuelationum parte locutus est, verum scripsit. Credimus autem, illum Ecclesiæ Catholicæ, (in quâ vixit & mortuus est) supremam in Scripturis discernendis & interpretandis autoritatem simul agnouisse. Si aliter sensit aut docuit, *priuati Doctoris errores*, frustra Catholicæ Veritati obijcit Dorscheus.

Catharinus in multis errauit.

RESP. 2. Nullum omnino Doctorem aut Scriptorem verè Catholicum vnquam nisi errando contra Ecclesiam, cuius se filium profitebatur, aut profitetur, asseruisse aut asserere posse, *nos seclusâ Ecclesiæ autoritate, fide diuinâ certos esse ex solis Biblijs, quòd in illis Verbum Dei contineatur.* Frustra igitur Dorscheus (qui hîc κερτόμησα sua paulò pòst penitus cribranda ad nauseam repetit, & inculcat) methodum Kircheri hactenus oppugnauit.

Nullus Catholicus autoritatem à Biblijs secludit.

§. III. Me-

§. III.

Methodum Kircheri, *vt per autoritatem Ecclesiæ assequamur infallibilem certitudinem, in Biblijs Verbum Dei contineri*, non solùm non esse inutilem, sed vnicè necessariam.

DORSCHEVS.

Affert Doctrinam Becani.

Dorscheus III. Duplici doctrinâ Kircherum oppugnat, & vtramq; petit ex Scriptoribus Pontificijs, quorum Nomen in controuersijs Fidei Catholicæ explicandis celebratur. Priorem ex Becano, posteriorem ex Serario affert, quos rectè intelligi & explicari, ad Catholicam de fidei propositione, & Ecclesiæ autoritate doctrinam, multùm conducit. Ex Becano allegat. p. 1. Theol. Scholast. tom 2. tract. 1. c. 8. q. 8. Vbi quærit: *Quomodo resoluatur Actus Fidei?* Summa est. *Fidem quatuor modis resolui, dispositiuè, directiuè, formaliter, effectiuè.* 51.

Doctrina Becani.

I. Assensus fidei dispositiuè resoluitur in motiua extrinseca, quæ sunt miracula, consensus populorum ac gentium &c. *Declarat id hâc interrogatione & responsione.* Credísne omnia, quæ Ecclesia Catholica ad credendum proponit? Credo. Nunquid antea fuisti hæreticus, vel Gentilis, vel Iudæus? Fui. Quid te primùm induxit, vt velles fieri Catholicus? Miracula, vel consensus populorum &c. Et hìc sistitur in hoc genere Resolutionis.

Resoluit fidem dispositiuè in motiua.

II. Assensus fidei directiuè resoluitur in autoritatem Ecclesiæ proponentis, & decernentis, quid credendum sit. *Quod sic explicat:* Quare credis hunc articulum, non istum? Quia Ecclesia proposuit mihi hunc ad credendum, & non istum. *Addit.* Propositionem Ecclesiæ dupliciter spectandam. 1. Quatenus est quædam applicatio credendorum. Sicut enim ligna non possunt comburi ab igne, nisi igni applicentur per motum localem: ita articuli fidei non possunt credi ab homine, nisi illi applicentur per auditum, iuxta illud Rom. 10. v. 17. Fides ex auditu &c. 2. Quatenus est quædam infallibilis directio circa credenda. Nam Ecclesia infallibiliter decernit, quid credendum aut non credendum sit &c.

Directiuè in autoritatem Ecclesiæ.

Si quis autem dicat: Autoritatem Ecclesiæ videri pertinere ad motiua, quæ inducunt hominem ad credendum. *Respondet*, Ecclesiam dupliciter considerari posse. 1. Quatenus est collectio multorum hominum,

Quæ consideratur dupliciter.

num. sic pertinet ad motiua. Nam (*quod omittit Dorscheus*) consensus eorum hominum, qui sunt in Ecclesiâ, inducit alios, vt velint fidem Christianam amplecti. 2. Quatenus est infallibilis in proponendo & iudicando, propter autoritatem & assistentiam Spiritus S. *Addit Dorscheus* pertinere ad directiuum resolutionis fidei, *quæ verba non habet l. c. Becanus.*

Formaliter in primam veritatem.

3. Assensus fidei formaliter resoluitur in primam veritatem reuelantem, vel in autoritatem Dei reuelantis. Nam si quæram, quæ est Ratio formalis, propter quam credis articulos fidei? Respondebis, quia Deus, qui est prima Veritas, reuelauit. Et hîc sistitur.

Effectiuè in Deum & habitũ Fidei.

4. Assensus fidei effectiuè resoluitur in Deum, & habitum fidei infusum. *Addimus ex eodem Becano, quod omittit Dorscheus:* Deus & habitus infusus sunt duo principia, quæ cum intellectu effectiuè concurrunt ad actum Fidei. Dices, ad primum actum Fidei, quem elicit Gentilis, vel hæreticus quando conuertitur, non concurrit habitus à Deo infusus. Nam habitus non infunditur homini adulto, nisi præuio actu fidei, tanquam dispositione. Resp. verum est. Nihilominus in tali casu necessaria est gratia actualis, quæ suppleat vicem habitus.

Ad §. 118. Dorsch. Eiusdem probatio I. contra necessitatem autoritatis Ecclesiæ.

Ex hâc doctrinâ obijcit Dorscheus I. quòd *inde liqueat, infallibile directorium Ecclesiæ non esse necessarium ad assensum Fidei supernaturalem, & NB. Theologicum.* Probat I. *Si quis per motiua ad reuelationes diuinas deduceretur, vt in illis autoritatem Dei reuelantis agnosceret, sine intuitu Ecclesiæ proponentis, vt infallibilis est; certò consequeretur assensum de rebus in Scripturâ reuelatis.* Nam motiua *disponerent. Autoritas reuelantis Dei corroboraret. Gratia habitum fidei infundens, tanquam intrinsecum motiuum & productiuum operaretur. Ecclesia ministerium applicationis præstaret. Respectus infallibilis assistentiæ Spiritus S. apud Ecclesiam, separatus à reuelationibus diuinis, quæ Spiritu S. semper prægnantes sunt, non attenditur.*

RESPONDETVR.

52. Concedimus totum.

RESP. I. Concedendo totum, quod hic dicit Dorscheus, *posse sine intuitu Ecclesiæ eiusq; infallibilis autoritatis, perueniri per motiua ad assensum diuinarum reuelationum*, non quòd assensus motiuorum, assensum fidei diuinæ efficiat, sed reuelationes applicet, illásq; euidenter credibiles faciendo, intellectum disponat, vt pio voluntatis motu accedente, & gratiâ Dei intus operante, propter solam reuelationem rebus reuelatis assentiatur. Hócque ipsum est, quod suprà n. 30 tradidimus, & explica-

explicauimus, non omnes ijſdem motiuis induci ad fidem acceptandam.

Resp. 2. Quòd verò addit Dorſcheus, *reſpectum infallibilis aßiſtentiæ Spiritus S. ſeparatum à reuelationibus diuinis non attendi*, concedimus de reſpectu actuali, negamus de virtuali. Virtute enim ſingularia & inadæquata motiua, quibus aliqui inducuntur ad veram Religionem, nihil de Eccleſiâ cogitantes, referuntur ad motiua perfecta, & adæquata, quibus demonſtratur vera Eccleſia, vt diximus cit. n. 30. obſ. 2. Et quãuis omnes reuelationes diuinæ in ſeipſis ſint *Spiritu S.* tanquàm autore ſuo *prægnantes*, in ordine tamen ad nos, reſpiciunt reuelationem illam generalem *de aßiſtentiâ Spiritus S. Eccleſiam dirigentis in reuelationibus ſingulis proponendis*, vt (cùm quæſtio aut dubium incidit) ſine errore recipiantur ac intelligantur. Sicut in ſcientijs naturalibus omnes concluſiones & principia inferiora, non quidem actu, ſed virtute ſemper referuntur ad principia prima, prout paulò antè explicauimus n. 46. Malè ergo hîc concludit Dorſcheus, *methodum Kircheri eſſe inutilem aut non neceſſariam.* Motiua & reuelationes particulares, virtute reſpiciunt autoritatem Eccleſiæ.

DORSCHEVS.

53. Sed probat II. *Directrix autoritas Eccleſiæ non facit aſſenſum diuinum & ſupernaturalem; Ergo eſt inutilis aut non neceſſaria, & aſſenſus ille à motiuis, vel Scripturis, peti debet.* Antecedens probat ex Becano l. c. vbi poſtquam dixit, *aſſenſum Dei reſolui in primam Veritatem reuelantem, & hîc ſiſti*, duo obijcit: Probatio 2. Dorſchei.

Primò adhuc, *ait*, vlteriùs poſſumus progredi hoc modo: Quare credis Deum hoc modo reuelâſſe, quia Eccleſia dicit. Reſpondeo, ſi credis propter autoritatem Eccleſiæ, non eſt aſſenſus fidei NB. Theologicus, (Theologicæ *habet textus Becani*) ſed alterius inferioris ordinis. *Eſt* enim triplex aſſenſus fidei. Vnus fidei diuinæ, ſeu Theologiæ (*textus habet* Theologicæ) vt, credo articulos fidei propter autoritatem Dei reuelantis, credo Deum hoc vel illud reuelâſſe, credo Deo reuelanti. Alter fidei humanæ, vt: credo articulos fidei propter autoritatem huius vel illius Doctoris (Lutheri vel Caluini, *habet textus*) Tertius fidei, quæ nec purè diuina, nec purè humana eſt, ſed quæ (quaſi *habet textus*) Ex Becano præſumpta. Dorſcheus mutat textum.

media est, vt: credo articulos fidei propter autoritatem Ecclesiæ.

Secundo. Sicut Deus, *ait*, est infallibilis in reuelando, sic etiam Ecclesia in proponendo. Ergo assensus, qui nititur autoritate Ecclesiæ, tam est infallibilis, quàm qui nititur autoritate Dei: Ergo vterque est assensus fidei diuinæ, seu Theologicæ. *Resp: Deus* ex se & naturâ suâ est infallibilis: Ecclesia non ex se, sed ex assistentiâ & directione Spiritus S. Vnde infallibilitas Dei est altioris ordinis, quàm infallibilitas *Ecclesiæ.* Nam hæc est creata & ab aliâ dependens, illa increata & independens. Idem dico de assensu. Nam assensus, qui nititur autoritate Dei, est infallibilis infallibilitate increatâ & independente. Assensus autem, qui nititur autoritate Ecclesiæ, est infallibilis infallibilitate creatâ & dependente. Prior pertinet ad fidem diuinam, posterior non item.

Ecclesia infallibilis dependenter à Deo.

Clarè itaque Becanus sentit, quòd Autoritas Ecclesiæ non facit ad assensum diuinum & supernaturalem.

RESPONDETVR.

Doctrina Becani explicatur & defenditur.

Ad §. 119. Dorsch. Dorschei fides in Becano referendo desideratur.

RESP. I. Nos in referendis Becani verbis desiderare Dorschei fidem: Becanus enim non dicit: *si credis propter autoritatem Ecclesiæ, non est assensus fidei Theologicus*, sed: *non est assensus Fidei Theologicæ.* Neque, cùm distinguit triplicem assensum fidei, dicit: *vnus fidei diuinæ, seu Theologiæ.* sed: *vnus fidei diuinæ, siue Theologicæ.* Quæ faciunt sensum valde diuersum. Per Fidē enim Theologicam, intelligimus primam ex tribus illis virtutibus infusis, de quibus præcipuè agit Theologia (vnde Theologicæ dicuntur) & Apostolus scribit 1. Cor. 13. v. 13. *Nunc autem manent, Fides, Spes, Charitas, tria hæc: Maior autem horum est Charitas.* Huius Fidei assensus est prorsus supernaturalis, & nititur immediatè diuinâ reuelatione absque alio discursu. In quo differt à discursu, quo assentimur rebus reuelatis propter autoritatem Ecclesiæ, qualis est iste: *Quidquid Ecclesia, quam Magistram & interpretem esse veritatis reuelatæ credimus, proponit credendum, Deus reuelauit. Purgatorium* v. g. *aut Sacrificium Missæ &c Ecclesia, quam talem esse credimus, credendum proponit, Ergo Purgatorium* v. g. *aut Sacrificium Missæ Deus reuelauit.*

Assensus fidei Theologicæ, & Theologicus longè differunt.

Discursus Theologicus de autoritate Ecclesiæ.

Iste

Iste discursus, eiúsque assensus non est quidem fidei diuinæ, siue *Theologicæ*, non enim immediatè nititur reuelatione diuinâ, sed deductione legitimâ ex vnâ propositione reuelatâ, & alterâ, quæ euidenter nota est, *ex Catechismis, Symbolis, Concilijs, praxi Ecclesiæ Catholicæ:* Est tamen verè ac propriè Theologicus, & ad Theologiam spectat, adeóque certus & infallibilis. Nequaquam autem, (quod transformandâ voce *Theologicæ* in *Theologicus* dolo non bono Dorscheus Becano videtur affingere) *alterius inferioris ordinis*, id est, Fidei humanæ, cui possit subesse falsum. Etsi enim iste assensus (cui nomen *Fidei* Becanus tribuit, quia pendet ex autoritate Ecclesiæ) sit *nec purè diuinus*, vtpote non immediatè reuelatus; *nec purè humanus siue naturalis*, vtpote contentus in propositione reuelatâ, ex quâ per assumptionem propositionis naturalis quidem, sed euidentis, in formâ infallibili deducitur: Non est tamen eo sensu medius, quasi sicuti participat infallibilitatem supernaturalem, ita quoque participet fallibilitatem fidei humanæ. Ideóque fidem in hâc acceptione Becanus non vocauit absolutè *mediam*, sed quasi *mediam*, cùm plus accedat ad Fidem diuinam & supernaturalem, quàm ad assensum naturalem & Fidem humanam. Eò ipsò enim, quòd assensus Theologicus nixus autoritate Ecclesiæ, vel creatâ, dependet à veritate increatâ independenter infallibili, necessariò & ipse est infallibilis, quia si fallibilis vllatenus esset, error & falsitas in Veritatem Dei reduceretur. Sicuti si conclusiones ex scientiarum naturalium primis principijs legitimè deductæ possent esse falsæ, id in prima principia, quæ non sunt nisi infallibilia, referri deberet; quod apertè repugnat.

Assensus Theologicus est infallibilis.

Est ita medius, vt plus accedat ad assensum supernaturalem, quàm naturalem.

Resp. 2. Rectè à Becano asseri, quòd *autoritas Ecclesiæ non faciat assensum diuinum & supernaturalem Fidei Theologicæ*, vt explicauimus, sed negamus, ideo methodū, quæ deducit per autoritatem Ecclesiæ ad credenda mysteria Fidei, esse *inutilem aut non necessariam*. Neq; enim sola Reuelatio tanquam Ratio formalis

Ecclesiæ autoritas necessaria.

malis

malis est necessaria ad assensum fidei diuinæ, sed etiam conditio siue applicatio reuelationis, & directio in ijs rectè intelligendis, imò & defendendis, quæ reuelata sunt. Ad vtrumque necessaria est infallibilis Ecclesiæ autoritas, vt rectè disserit Becanus.

DORSCHEVS.

54. Ad §. 120. Dorschei. Obijcit Ecclesiam non posse à seipsâ dirigi.

Sed instat Dorscheus III. *Autoritas Ecclesiæ se ipsam dirigere nequit. Si enim quæro de Fide, quâ credo Ecclesiam infallibiliter dirigere, quomodo illa resoluatur? 1. Ponamus, illam dispositiuè resolui in motiua, quæ persuadeant in ipsâ Ecclesiâ præter reuelationes diuinas peculiarem quandam infallibilitatem esse sitam. 2. Ponamus, illam formaliter resolui in autoritatem reuelantis Dei, quamuis nondum reuelatio diuina id conuincens, ostensa sit, vt patebit. 3. Ponamus, illam effectiuè resolui in Deum & habitum fidei, quamuis nullum sit principium, vnde effectio illa queat demonstrari. Quæstio nihilominus est, quorsum hæc Fides credens autoritatem Ecclesiæ infallibilem resoluatur directiuè?*

Anne in ipsam autoritatem Ecclesiæ? Qualis est hæc Analysis? Quomodo dubitans de autoritate Ecclesiæ ad assensum supernaturalem promouebitur? Aut, si etiam directiuè Fidei autoritatem infallibilem credens, in ipsam autoritatem Ecclesiæ resolui potest, cur non ita Sacra Scriptura? Confer. 2. Petr. 1. v. 19.

RESPONDETVR.

Sicut Magistri & Legislatores dirigunt seipsos, ita & Ecclesia.

RESP. 1. Negando, quòd autoritas Ecclesiæ seipsam dirigere nequeat. Sicut enim Magistri scientiarum naturalium, non solùm discipulos, sed seipsos quoque dirigunt per earundem principia & conclusiones inde deductas; & sicuti Principes & legislatores, per bonas leges non solùm dirigunt mores subditorum, sed suos quoque; vnde communiter tradunt Doctores, *Principes teneri suis legibus quoad vim directiuam, etsi non teneantur quoad vim coactiuam:* ita nihil repugnat Pontificem & Concilia, siue Pastores & Doctores Ecclesiæ, penes quos residet infallibilis Ecclesiæ autoritas, per eandem autoritatem, quam habent ex infallibili assistentiâ S. Spiritus ad dirigendos fideles, dirigere quoq; seipsos in rebus fidei proponendis, interpretandis, definiendis, defendendis. Imò hoc vel maximè necessa-

necessarium est, vt veritates reuelatæ, rectè in omnes fideles possint deriuari. Nodum in scirpo quærit Dorscheus, dum hoc negat. Ad cuius quæstionem, *quomodo resoluatur Fides infallibilitatis Ecclesiæ?*

RESP. 2. Fidem hanc dupliciter sumi posse, juxta primã & tertiam acceptionem Beeani suprà n. 53. 1. *Pro assensu supernaturali*, quo credo infallibilem Ecclesiæ autoritatem, quia Deus illam reuelauit. 2. *Pro assensu Theologico* n. 53. in responsione 1. explicato, videlicet: *Quidquid Ecclesia credendum proponit, Deus reuelauit; Hoc vel illud Ecclesia credendum proponit, Ergo &c.* Priori modo verum est 1., Hanc fidem resolui *dispositiuè in motiua*; quæ persuadeant non præter reuelationes diuinas, sed NB. *inter ipsas* hanc etiam reuelationem contineri: *Ecclesia est infallibilis Magistra, & interpres omnis veritatis reuelatæ à Deo instituta.* Verum est 2., illam *formaliter* resolui in autoritatem Dei reuelantis, quæ reuelatio non debet ostendi per aliã reuelationem, sed indiget solâ applicatione, quæ fit per motiua eius credibilitatem euidenter demonstrantia. Neque opus est, aliam rationem conuincentem afferre (quin si pressè loquamur, talis de nullâ reuelatione dari potest,) est enim *conuincens* idem, quod *euidens*, atqui reuelatio non est euidens, sed obscura. Verum est 3., illam *effectiuè* resolui in Deum, & habitum fidei; falsum autem, quod dicit Dorscheus, *nullum esse principium, vnde effectio illa demonstrari queat.* Est enim principium euidens, actum supernaturalem, qualis est ista Fides, non habere nisi causam supernaturalem, qualis est habitus supernaturalis, & Deus.

Fides supernaturalis Ecclesiæ resoluitur dispositiuè in motiua.

Formaliter in reuelationem diuinam.

Effectiuè in Deum & habitum Fidei.

Frustratoria est 4. quæstio Dorschei, *quorsum eiusmodi fides credens autoritatem Ecclesiæ infallibilem, resoluatur directiuè?* Verum enim & clarum est ex dictis respõsione prima, resolui in ipsam autoritatem Ecclesiæ; sicut assensus scientificus Magistri in scientijs naturalibus resoluitur in eandem scientiam, per quam dirigit & instruit discipulos; & autoritas legislatiua Prin-

Directiuè in autoritatem ipsius Ecclesiæ.

cipis, quâ suis legibus vitam suam dirigit, in eandem potestatem legislatiuam, quâ dirigit subditos. Etsi hæc non est tam resolutio, quàm distinctio aliqua actuum, quibus dirigens seipsũ, & alios per eandem scientiam, siue potestatem vel autoritatem dirigit. Cùm Dorscheus deniq; quærit, *Quomodo dubitans de autoritate Ecclesiæ, ad assensum supernaturalem possit promoueri?* est quæstio impertinens. Quæritur enim hìc, *quorsum fides credens autoritatem Ecclesiæ infallibilem resoluatur?* qui verò dubitat, non credit. Sed breuiter hoc quoque dubium tollimus. Non dubitat de autoritate Ecclesiæ, qui credibilitatis motiua rectè percepit; hæc enim reuelationem diuinam nobis applicant, quâ applicatione positâ, & voluntate se pio motu in obsequium fidei inclinante, assensus supernaturalis mox sequitur. Sicuti ligna igne applicato mox inardescunt: & ineptè queritur de frigore, aut de ignis calore dubitat, qui illum non admouet, vel accedit: ita inexcusabilis est, qui de autoritate Ecclesiæ dubius, motiua, per quæ euidenter fit credibilis, negligit considerare, sibique applicare. Cur autem Scriptura non perinde, vt Ecclesia taliter resolui, siue seipsam & alios per infallibilem suam autoritatem dirigere possit, suprà diximus n. 46. Summa est, *quia non fuit à Deo sic instituta, & est contra naturam legis & iuris scripti, vt seipsam lex discernat, vel interpretetur, neq; habeat iudicem vel Magistratum, qui de illâ, eiusque sensu sententiam ferat.* Et hæc pro doctrinâ Becani.

Qui dubitat, non credit, nec motiua rectè percepit.

DORSCHEVS.

Affert doctrinam Serarij.

55. Ad §. 121. Dorschei. Doctrina Serarij.

2. *Serarij doctrinam affert ex prolegom. Biblic. c. 7. q. 7. Vbi quærit,* An ad Bibliorum respectu nostri autoritatem credendam, necessarium sit Ecclesiæ testimonium? *Respondet:* Sic opinantur 1. quidem Theologi, qui ad fidei formale obiectum requiri putant, vt veritas prima per autoritatem Ecclesiæ reuelet, siue loquatur. Caiet. 2. 2. q 5. a. 3. Dom. Soto de naturâ & gratiâ c. 11. Canus l. 12. c. 3. & 4. 2. Illi, qui censent, Ecclesiæ autoritatem esse conditionem sine quâ non, vt significare videtur idem Canus l. 2. c. 8. & hoc tempore etiam alij. *Sera-*

Serarius autem sic decidit: Bibliorum quoad nos autoritatem, & Ecclesiæ autoritatem atque testimonium posse tripliciter comparari. 1. Ante fidei susceptionem, siue actum primum. 2. In susceptione, siue actu primo. 3. postea. Autoritas Ecclesiæ & Scripturæ tripliciter consideranda. Ante Fidei susceptionē.

Quoad 1. Si hæc duo ante fidei susceptionem conferantur, habere se vtrumque tanquam obiectum ideo credendum, quia Deus reuelauit, & ad vtrumque inducere ac mouere possunt ea, quæ fidei motiua dicuntur. Itaque necessarium non esse ad credendam Bibliorum autoritatem, proponi & credi Ecclesiæ tanquam Spiritu S. afflatæ autoritatem. Rationes Serarij suprà c. 1. exposuimus.

Quoad 2. *ait:* In ipso fidei actu primo & susceptione, vtrumque illud vel credi implicitè in toto fidei obiecto, vel vtrumque distinctè, vel certè alterum. Et tum non vnum propter alterum, sed prout vtrumq; vel vnum rectè propositum est, ita tum credi. In fidei enim obiectis credendis non necessariò teneri ordinem, qui inter obiecta illa esse, aut cōsiderari fortè posset: satis esse, credi hoc vel illud, quia Deus reuelauit. In ipsâ.

Quoad 3. *ait:* Post fidei susceptionem vel vtrumque illud adhuc æquè ignotum esse, & implicitè creditum, vel vtrumque æquè cognitum, & creditum, vel alterum tantùm. Si vtrumque æquè incognitum: non est necessarium, nec fieri potest, vt vnum propter alterum credatur. Si vtrumque iam cognitum & creditum, posse tantummodo vnum propter alterum vel faciliùs, vel firmiùs atque intentiùs credi. Vel certè nouum Fidei explicitæ actum circa alterum iterari: sícque non simpliciter alterum ad alterum credendum posse dici necessarium. Si alterum est magìs cognitum, & iam explicitè creditum, alterum verò non, tunc per illud prius posse hoc posterius probari, v. g. per Ecclesiæ autoritatem, & contrà. *Hæc Serarius.* Postea. Non simpliciter fides vnius necessaria ad Fidem alterius.

Ex quibus contra Ecclesiæ autoritatem ita concludit Dorscheus: *Quod neque ante fidei susceptionem ad eliciendum assensum supernaturalem, neq; in amplexu fidei, siue primo illius actu, neq; postea necessarium est, id non est necessarium ad methodum certitudinis circa Codicem Sacrum consequendæ. Suppositio infallibilis autoritatis Ecclesiæ, neq; ante fidem, neque cum eâ, neq; post necessaria est. Itaq; ad methodum certitudinis siue literarum non est necessaria.*

RESPONDETVR.

Pro Serarij doctrinâ. 56.

RESP. I. Quæ differit Serarius de Scripturâ & Ecclesiâ, Quâ ratione verum dicat Serarius.

 qua-

quatenus per motiua præcisè credibiles fiunt, & poſtea per aſſenſum ſupernaturalem propter ſolam reuelationem diuinam creduntur, vera eſſe; quia ſic actus credibilitatis & credendi nullum inter ſe neceſſarium habent ordinem. Et quamuis ſi v. g. Scripturæ, vel aliquis fidei articulus non ſcriptus, vt Numerus librorum Canonicorum &c confirmetur per Eccleſiæ autoritatem, eiuſmodi autoritas non mutet fidei, ſiue aſſenſus ſupernaturalis naturam, ſiue rationem formalem, quæ eſt ſola diuina reuelatio: facilè tamen intelligitur, quomodo propter Eccleſiæ propoſitionem vel confirmationem talis actus ſit intenſior, firmior, vel perfectior, quàm foret abſq; illâ.

Dorſcheus voluntariè peccat in fidem bonam.

RESP. 2. Dum Dorſcheus ex Serario impugnat neceſſitatem & vtilitatem methodi Kircherianæ, imò Catholicæ, *abſque vllâ neceſſitate peccat in fidem bonam.* Nam poſtquam ea allegauit, quibus modo explicato Serarius oſtendit, *autoritatem Scripturæ & Eccleſiæ, vt præcisè reuelationi diuinæ immediatè ſubſtant, à ſe mutuo non dependere:* omittit ea, quæ idem Serarius mox §. ſequenti ſubiungit à nobis ſuprà n. 17. allegata, *Eccleſiæ quaſi abſtractè ſumptæ autoritatem, tam ante quàm poſt fidei ſuſceptionem quoad nos eſſe neceſſariam*, quod ita explicat.

1. *Ante quidem, tanquam fidei motiuum* (vel potiùs præcipuũ credibilitatis obiectum, ad quod non minùs, quàm ad Religionem, quæ non in abſtracto, ſed in Eccleſiâ, ſiue hominum eandem profitentium Societate conſideratur, omnia motiua fidei referuntur, (vt infrà magìs patebit) *poſtea verò tanquam Fidei obiectum.*

Serarij doctrina de neceſſitate Eccleſiæ autoritate quoad nos à Dorſcheo omiſſâ.

2. *Quia qui Fidem prædicant, Eccleſiæ perſonam ſuſtinent, credi autem non poteſt, niſi ex auditu* Rom. 10. v. 17. Audientes autẽ exiſtimant, vel ſupponunt, eos, quos audiunt, mitti ab Eccleſiâ, vel à Deo per Eccleſiam, quæ fallere nec velit, nec poſſit, iuxta illud ibid. v. 15. *Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur?*

3. *Quia Eccleſia eſt Scripturis antiquior* (vt ipſe Serarius teſtatur, ſe indicâſſe c. 5. q. 2. & 3.) *& notior ex Symbolo, ac latiùs patens,*

tens, ad omnia scilicet fidei obiecta, tam scripta quàm non scripta se extendens.

4. *Ad probandum facilior, & simplicioribus accōmodatior.* Ideóque in Catechismo iuuentuti Catholicæ, mox veluti clarissimum Catholicorum & Acatholicorum discrimē ab initio proponitur: *Catholicum illum demum dicendum esse, qui audit omnia, quæ Ecclesia credenda proponit, siue scripta sint, siue non sint.* Certè ordinatiùs ad Fidem perueniunt, qui autoritate illius per motiua euidenter factâ credibili inducuntur, & eidem autoritati tanquam diuinitus reuelatæ primùm assentientes, ab eâdem actus Fidei diuinæ auspicantur.

Ordinatior ad Fidem via per Ecclesiam.

5. Denique, *quia hâc vnâ cogi possunt, & ad Bibliorum autoritatem credendam commoueri tam hæretici, quàm Catholici de libris diuinis generatim, aut singillatim inquirentes, dubitantes, ratiocinantes. Et sic S. August. inquirens dicebat: Ego Euangelio non crederem, nisi Ecclesiæ Catholicæ me commoueret autoritas*, de quo idem Serarius ibid. differuerat paulò suprà q. 5. & 6.

Quâ doctrinâ egregiè explicat omnium Catholicorum sententiam, illorum etiam, quos initio quæstionis veluti sibi aduersantes videbatur allegâsse: Etsi, inquam, ad assensum Fidei supernaturalis, *quatenus præcisè nititur reuelatione diuina, tanquam ratione suâ formali*, non requiratur assensus præcedēs, aut concomitans, aut sequens, quo credamus autoritatem Ecclesiæ vel Scripturæ, vel quemcunq; alterum articulum fidei: requiri tamen ad Fidei orthodoxæ integritatem, inquisitionē, dubiorum vel controuersiarum incidentium solutionem, veritatis deniq; aduersùs hæreticos defensionem: vt per discursus & assensus Theologicos, juxta ea, quæ diximus n. 53. ad §. 119. Dorschei, infallibilis Ecclesiæ autoritas omnia hæc efficiat, conficiat, & perficiat. Vnde n. 17. meritò diximus, *motiua quæcunq; particularia virtute respicere autoritatem Ecclesiæ.* Quā eandem similiter respicit quiuis Fidei assensus supernaturalis, circa quodcunq; Fidei obiectum, quatenus illud per Ecclesiæ auto-

Serarius sententiam Catholicam egregiè explicat.

Quiuis assensus Fidei virtute respicit autoritatem Ecclesiæ.

autoritatem, si quæstio aut dubium incidat, proponi, explicari, & defendi potest: eâq; ratione rectè explicantur rationes Serarij, ad quas se refert Dorscheus. Hoc sensu credimus locutos illos autores, qui ad *fidei formale obiectum Ecclesiæ autoritatem requirunt, aut censent* esse *conditionem sine quâ non:* Virtute scilicet, non semper actu, quem tamen actum publica Ecclesiæ necessitas & vtilitas ferè semper, priuata autem singulorum fidelium, sæpissimè & innumeris modis requirit.

Nihil ergo, Dorschee, ex Serario (etsi priuati Doctoris autoritas Fidei minimè præiudicaret) contra Kircherum vel Catholicos euicisti, sed omnia clariùs explicandi præbuisti ansam, simúlque malam fidem tuam in mutilandâ Serarij doctrinâ illaudabiliter demonstrâsti.

DORSCHEVS.

57. Ad §. 124. Dorsch. Aliter Dorscheus oppugnat methodum Kircheri, quòd certi non simus, nos habere assensum Fidei.

Aliâ denique ratione Dorscheus methodum Kircheri tanquam inutilem & superuacuam oppugnat, ita concludens: *Quæ autoritas hominem nunquam potest eâ certitudine certum facere, cui nunquam potest subesse falsum, se habere assensum Fidei Theologicæ de veritate Codicis diuini* (dicamus planiùs, *Verbi Dei*) *ea non est vtilis & necessaria ad talem assensum. Nam quâcunq; operatione illius positâ, nondum potest poni assensus supernaturalis circa obiectum amplexandum. At autoritas Ecclesiæ non potest hominem taliter certum reddere. Ergo in autoritatem Ecclesiasticam non bene resoluitur actus fidei, nec ea necessaria, aut vtilis est ad hoc &c.*

Tanneri rationes affert.

Minorem probat ex Tannero tom. 3. d. 1. q. 6. dub. 5. col. 382. vbi ait, *Fidei certitudine, seclusâ speciali reuelatione, nos scire non posse, nos habere verum & supernaturalem actum seu habitum fidei:* Allegat postea multos DD. & subdit rationes. 1. *Quia reuelationes communes, sunt generales tantùm, quæ singulis applicari non possunt, nisi sub conditione, si fructuosè v. g. sacramenta quis perceperit, aut debitum studium ad comparandam Fidem contulerit.* 2. Quia euidenter scire non possumus, nos verè ob reuelationem diuinam credere, tum *ob similitudinem actuum naturalium & supernaturalium circa idem obiectum materiale &c. tum quia aliàs haberemus euidentiam rerum Fidei, ipsiúsq; reuelationis*, saltem in attestante &c. Neque *vtilis igitur*, ait Dorscheus, *neq; necessaria est autoritas Scripturæ in eo, qui anxius est, vnde sciat scientiâ fidei, non opinionis fluctuantis, hunc Codicem esse diuinum?*

RESPON-

Respondetvr.

Resp. 1. Etsi demus, esse plurium sententiam, quam ex Tannero refert Dorscheus: alios tamen sentire contrarium, adeóque non esse sententiam Ecclesiæ Catholicæ, neq; à Pontifice & Concilijs definitam, quam proinde in materiâ Fidei Kirchero obiectare Dorscheus non debuit. 2. Cùm ille Tanneri argumenta nec verbulo soluat, eò ipsò fatetur causæ suæ infirmitatem, & nos ab onere respondendi absoluit. 3. Sed ex superabundanti dicimus, ad tranquillandum dubitantis animum, *unde quis in particulari certus sit, an habeat veram & supernaturalem Fidem?* hanc anxietatem non esse sapientis. Sufficit doctrina generalis, quòd *credens Deo, tanquam primæ & summæ veritati, sit verè fidelis.* Sicuti sufficit ad salutem & vitam æternam, si quis in verâ fide & gratiâ *Dei perseueret*, Matth. 10. v. 22. & 24. v. 13. itẽ si *mandata seruet*. Matth. 19. v. 17. Quæ & plura alia in Scripturis conditionata sunt. Neque tamen ideo causa est, cur trepidet, qui facit bonâ mente, quod posse se existimat; consolari se potest moraliter certâ cognitione & fiduciâ, quam suggerunt illi, quos suggerit Tannerus. Rursus igitur aërem, non Kircherum verberauit Dorscheus.

Sententia à Tannero relata, non est Ecclesiæ Catholicæ.

Dorscheus eius rationes non soluit.

Generali doctrinâ se quiuis solari potest.

---

§. IV.

Interna motiua siue κριτήρια Scripturæ assignari solita, non sufficere ad amplexum eius supernaturalem, quia multi, dum Biblia legunt, nihil de illis cogitant.

KIRCHERVS.

58. Ad §. 128. Dorsch.

R*Espondet Dorscheus IV. ad Kircheri argumentum principale secundũ, quod nunc tractamus:* quòd Lutherani (*par est ratio de omnibus Acatholicis*) per sua principia certi infallibiliter esse non possint, in Sacro Codice, *siue Biblijs* contineri ipsissimum verbum Dei. *Descendit autem ad singula argumenta Kircheri,* quibus istud probat. *Primum isthoc §. exequemur.*

Dixerat Kircherus, interna *κριτήρια*, quæ Scripturæ assignant Euangelici, non posse tranquillare conscientiam in amplexu Codicis diuini, siue

ſiue verbi Dei, quia plurimi quotidie legunt Biblia & venerantur, qui nec ſemel cogitârunt vel de ſtylo Scripturæ, vel de alijs eiuſdem κριτηρίοις; imò quos offenderent multa, niſi compertum haberent, illum Codicem in maximâ ſemper apud omnes veneratione fuiſſe.

DORSCHEVS.

Retorſio Dorſchei ſuprà depulſa.

Dorſcheus 1. retorquet argumentum, & ait, *innumeros, reuelationes diuinas legentes, non cogitare etiam de autoritate Eccleſiæ. Idq; notum eſſe experientiâ è confeſſione Serarij ſuprà expoſitâ.*

RESPONDETVR.

RESP. 1. Huic retorſioni nos iam occurriſſe ſuprà n. 43. reſponſione ſecundâ ad 2. Addimus, illos, qui *habent notitiam diuerſarum Religionum, vel dubitant de Scripturæ aut alicuius libri Canonici veritate, vel legitimo ſenſu*, ordinariè & neceſſariò ad autoritatem Eccleſiæ eſſe deducendos, vt cap. 4. & 5. demonſtrabimus.

Dorſcheus rurſus fallit in Serario allegando.

RESP. 2. Dorſcheum fallere in eo, quòd Serarium allegat, quaſi diceret, *innumeros* reuelationes diuinas legentes, ſiue potiùs amplectentes, non cogitare etiam de autoritate Eccleſiæ. *Multos* eſſe, ait, *vt Gentilium aliquos, & Chriſtianorum non paucos.* Plurimùm autem differunt *Multi & non pauci* ab *innumeris*, cùm præſertim ipſe Serarius l. c. §. *propoſitio* (quem §. nō ſincerè ſubticuit Dorſcheus) disertè affirmet, *Eccleſiæ autoritatem dici ad Bibliorum autoritatem quoad nos neceſſariam*, & pro 4. probatione id aſſignet, *quia hæc via eſt ad probandum facilior, & ſimplicibus accommodatior.* Quod confirmat Catholicorum praxis, qui ſtatim ſub initium Catecheſis Eccleſiæ autoritatem proponunt, vt jam ſæpe diximus. Serarius ergo, ne ſibi ſit cōtrarius, cùm eam neceſſariam eſſe negat, de *actibus Fidei in ſe* loquitur, vt *præcisè ſubſtant reuelationi diuinæ*, & prout in varia Fidei obiecta incurrere poſſunt illi, qui Religionem veram volunt, vel incipiunt amplecti. Etſi, cùm fieri nequeat, quin quæſtiones aut dubia de Scripturis earúmq; intelligentiâ, de traditionibus itidem, hoc præſertim tempore facilè & frequenter incidant: ſi non ſemper ante Fidei ſuſceptionem, aut in ipsâ,

Eccleſiæ autoritas quo modo, & cur neceſſaria?

certè

certè paulò pòst credituro, aut credenti, fore aut esse Ecclesiæ autoritatem necessariam, debeat concedi.

DORSCHEVS.

Dorscheus 2. contendit, esse falsissimam Kircheri propositionem, *quòd κριτήρια non possint tranquillare conscientiam, in amplexu Codicis diuini, adeóq; ad assensum supernaturalem eleuare, quia plurimi Biblia legentes de illis non cogitârunt, vel cogitant.* Probat 1. *quia ad eiusmodi assensum supernaturalem nō est opus ratiocinatione de virtute diuinâ, in reuelatione diuinâ operantis. Euangelium est potentia Dei ad salutem. Rom. 1. v. 16. etsi id nemo hominum sub ratione diuinæ potentiæ apprehenderet; sufficit, si materialiter ipsum Euangelium non repudiet. Res ipsa præstat esse suum & conseruationem, non rei consideratio ad eam necessaria est.* 2. *Qui credit, Biblia esse diuina, in virtute huius crediti, credit omnes perfectiones in Biblijs obseruandas. Si quis de ipsâ fide suâ examen instituit, ibi demum inquirit, quibus rationibus munita sit sacra Scriptura, quam animo complexus est fidelis?* 59. Ad §. 129. Dorschei, Dorscheus pugnat pro κριτηρίοις Ecclesiæ.

RESPONDETVR.

Resp. 1. Dorscheum sibimet esse contrarium, suprà enim c. 1. arg. 7. aduers. Kircherum §. 102. relatus à nobis n. 33. contendit, *Pontificios obseruatis suis hypothesibus de efficaciâ gratiæ, propter sententiarum varietatem & discrepantiam non posse esse certos de auxilijs eiusdem gratiæ &c.* Hic autem dicit: *ad assensum supernaturalem non esse opus ratiocinatione de virtute diuinâ in reuelatione diuinâ operantis, modò quis Euangelium* siue gratiam Dei semper paratam *non repudiet.* Quod totum in Dorscheum retorquemus. *Res ipsa auxilij diuini* præstat nobis assensum supernaturalem, *non rei aut modi, quo gratia operatur, consideratio necessaria est:* vide dicta n. 34. responsione 2. Pari ergo iure hâc ratione ibi vtimur, quo illâ hic vsus est Dorscheus. Dorscheus sibi contrarius hìc & suprà.

Resp. 2. Non sufficere ad verbi diuini supernaturalem assensum, in primâ fidei susceptione (de quâ potissimùm agimus) vt motiua siue κριτήρια Scripturæ virtute solùm credantur. Operatur quidem virtus diuina in credente, sed eo modo, quem Deus instituit, vt priùs videlicet motiua credendi audiat, & intelligat: hoc significat Apostolus, cùm dicit, *ex auditu esse fidem.* Neq; ad efficaciam motiuorum sufficiunt res, quæ mo- Non sufficit κριτήρια Scripturæ initio virtute credi.

M uent,

nent, ſed neceſſaria eſt illorum cognitio, ſine quâ, & extrà quã mouere non poſſunt. Etſi verò opus non eſt, omnia Fidei motiua ante illam prorſus percipi, debent tamen aliqua & talia præcognoſci, quæ meritò hominem inducant, & obligent ad credendum: vide dicta n. 8. 9. 10. Præpoſterè & retrò Dorſcheus jungit equos currui, ſi autumat, poſſe ad aſſenſum Fidei ſupernaturalis quemquam viâ ordinariâ peruenire, niſi motiua aliqua explicitè præcognita ipſi obiectum Fidei, eiúſq; reuelationem fecerint credibilem.

DORSCHEVS.

60. Ad §. 130. Dorſch. Negat timidè innumeros non cogitare de κριτηρίοις.

Dorſcheus 3. *negat, eſſe certum, quòd plurimi quotidie legant & venerentur Biblia, qui de κριτηρίοις internis non cogitent, 1. quia etſi non omnia ponderent, vix tamen cogitari poteſt, quòd de nullo cogitent, v. g. de vaticiniorum complemento, quod ſæpiſſime in Sacris Biblijs occurrit &c. 2. quia lectio aſſidua & venerabunda maioribus abundat benedictionibus, quàm vt lectorem tam ſterilem relinquat. 3. quia illa κριτήρια obuia ſunt non oſcitanti, neq; multâ vbiq; veſtigatione indigent.*

RESPONDETVR.

Nihil probat.

RESP. Dorſcheum timidè negare, eſſe certum, quod cum Kirchero nos cordatè affirmamus. Ipſa negandi ambiguitas oſtendit, cauſam non eſſe bonam, aut certè lubricam. Rationes, quas affert ſpeciem probabilitatis habent aliquam, demõſtrationis nihil. Vaticiniorum complementum, veritatem prophetiæ quidem & Religionis, ſed non directè oſtendit in Biblijs contineri merum Verbum Dei. In oraculis etiam Sibyllinis veriſſimæ continentur prophetiæ. De *benedictione* κριτήρια *Scripturarum* ex ipſarum lectione cognoſcendi, nihil ſolidi affertur argumenti; quàm autem non ſint obuia, aut plana, oſtendemus paulò pòſt, & partim patet ex dictis.

DORSCHEVS.

Negat offendicula ex Scripturis capi.

Dorſcheus 4. dicit, falſum *eſſe, prudentem lectorem offendicula è Sacris literis capturum, adeò vt abijceret illas, niſi ita paſſim omnium veneratione accipi cerneret.* Addit, iſtam *calumniam eſſe Manichæam, Sacras literas ſuâ caſtitatem & caſtimoniam tueri ipſas.* Deinde ita argumentatur: *Exempla pec-*

pla peccatorum in diuinis literis consilio Spiritus S. consignata, aut habet proponitq; Ecclesia, quam veneratur Kircherus, aut negligit atq; aspernatur. Si hoc; negligit atq; aspernatur Spiritus S. consilium; si proponit, eadem offendiculorum difficultas in Ecclesiam relabetur, quam in Scripturam exonerare voluit Ætiologus. Esse consilio Spiritus S. consignata.

RESPONDETVR.

RESP. De offendiculis Scripturarum nos iam respondisse suprà n. 43. ad 2. Resp. 3. non consistere in illis, quæ Scriptura recenset ab impijs impiè gesta, sed in ijs, quæ flagitio, vel facinori similia Deus ibi mandauit, vel probauit. Vnde facilis est responsio ad argumentum Dorschei: *Non negligit hæc neq; aspernatur Catholica Ecclesia; habet in Biblijs suis; neq; solùm prout in illis continentur, ea fidelibus proponit, verùm etiam exponit fideliter, ne offendiculum parere possint, quod nec facit, neq; facere potest Scriptura.* Narrat hęc, imperium à Deo datum Abrahæ de immolando filio; Israëlitis de Ægyptijs spoliandis; de inuadendâ terrâ Chanaan, & delendis etiam innocentibus paruulis; Oseæ prophetæ de faciendis filijs fornicationum &c. permissionem & approbationem polygamiæ &c. Horum & similium, quæ non tantùm Manichæis, sed cuiuis non satis perito offendiculo esse possent, Ecclesia rationes reddit & explicat, quas videre licet apud S. August. lib. 16. de ciuit. c. 38. & l. 22. cont Faust. c. 47. serm. 105. de temp. & S. Thomam 2. 2. q. 100. ar. 8. ad 2. & q. 94. a. 5. ad 2. De his responsum suprà. Ecclesia ea explicat.

Neque offendiculo caret Canticum Canticorum, nam teste Origene initio 4. homiliarum in Cantica, & in proœmio c. 1. Ezech. *cautum fuit ab Hebræis, ne quis initium Genesis, aut initium & finem Ezechielis, aut deniq; Canticum Canticorum legat ante ætatem sacerdotalem*, id est, trigesimum annum impletum. Cuius rei causa duplex ab interpretibus traditur: vna his partibus communis, videlicet obscuritas; altera horum Canticorum propria, quia videlicet tractat in speciem amatoria, quæ etsi in se sint castissima, facilè tamen incautis, iuuenibus præsertim, Canticum Canticorum non legebãt Hebræi ante ãnnũ 30. Causa duplex.

 praui

praui sensus ansam præbeant, nisi veram interpretationem ab Ecclesiâ petant. Non ergo in illam relabitur offendiculorum difficultas, quam Scripturæ obijcit Kircherus.

DORSCHEVS.

Dorschei retorsio.

Dorscheus denique 5. retorquendo iterum argumentum Kircheri, concedit, *aliquos ideo legere Biblia, non quia verum fundamentum assensus diuini consequendi sciunt, sed quia apud alios eadem in veneratione esse conspiciunt*. Sed *idem procul dubio de autoritate Ecclesiæ proponentis dici posse: multos scilicet eidem adhærere, quia eiusdem pompâ, splendoréque afficiuntur*. Allegat Aluarum Pelagium de planctu Eccles. l. 2. a. 2. vbi *Ecclesiam vacantem bonis operibus, ornatam exteriùs carimoniarum & solennitatum pretiosis apparatibus &c.* plangit.

RESPONDETVR.

Est præpostera.

RESP. Hanc retorsionem esse præposteram 1. quia si verum est, quod iactat Dorscheus, *omnia motiua fidei, quæ à nobis tribuuntur Ecclesiæ, æquè aut magis conuenire Scripturis*, ergo etiam illi conuenit consensus gentium, atq; populorum, qui illam veluti Verbum Dei recipiunt, adeóq; pertinet saltem ad motiua credibilitatis præcedentis assensum supernaturalem. 2. Etsi non conueniret iste consensus Scripturæ, conuenit tamen vel maximè veræ Ecclesiæ, diffusio per omnes populos, nationes, totúmque terrarum orbem; vnde rectè per istud etiam motiuum ad illam quis induci potest. 3. Dorscheus perperam pro Ecclesiæ diffusione per omnes gentes supponit cærimoniarũ & solennitatum pompam, etsi enim hoc quoq; eódem pertinet, quatenus omnes Catholici in his per totum orbem conueniunt, non sunt tamen idem. Neq; Aluar. Pelag. cærimonias & solennitates plangit, sed bonorum operum apud plurimos Ecclesiasticos neglectum.

Argumentum Kircheri, robur retinet.

Non obstantibus ergo Dorschei oppositionibus, quæ sæpius fallunt, & nihil solidi continent; robur suum argumentum Kircheri retinet: κριτήρια, quæ Scripturæ assignant Euangelici, non sufficere ad amplexum supernaturalem illius, *quia multi Biblia quotidie legunt, qui de κριτηρίοις nihil cogitant, cùm tamen aliqua sal-*

qua saltem & talia motiua pracognosci necesse sit, quibus homo prudenter animum inducat ad credendum.

---

§. V.

Motiua, siue κριτήρια interna Scripturæ multùm quidem posse ad inducendum animum, assensum tamen non gignere infallibilem, neq; à Dorscheo contrarium probari.

DORSCHEVS.

DOrscheus absq; vlteriori illatione generatim respondet. 1. *Iudicium hoc repugnare multorum Pontificiorum iudicio de motiuis istis internis. Facere enim illa Fidem sacrarum literarum supercertissimam, esse perfectas dispositiones ad Fidem, in quas etiam ipsa suo modo resoluitur; Fidem reipsâ facere credibilem, vt impossibile sit falsum subesse; qui aliter præsumit, sanctitati, sapientiæ, & prouidentiæ Dei repugnare &c. Iudicibus Dionysio, Carthusiano, Scoto, Arbelio, Alliacensi, Bielio, Richardo, Victorino, Becano, Tannero &c.* Allegat Theol. Zachar. p. 2. p. 57. 61. Ad §. 133. Dorsch. Obijcit nobis iudicium nostrorum.

2. Repugnare ait veritati. *Visiones enim propheticæ, mysteriorum reuelationes, præcepta, promissiones, vaticinia &c. sunt ipsa summa veritas reuelata. Huc enim omnis veritas diuina reuelata refertur, vt sit vel diuina visio, vel Fidei mysterium, vel promissio beatifica, vel vaticinium infallibile &c. At summam veritatem reuelatam non posse gignere assensum infallibilem, absurdissimum est. Est enim reuelatio diuina, siue diuina veritas reuelata, etiam obiectum fidei formale, seu immediata ratio credendi &c.* Reuelationes Biblicas ait esse ipsâ summam veritatem reuelatam.

RESPONDETVR.

RESP. I. Frustra Dorscheus nobis obijcit in materiâ fidei multos, si non consentiunt omnes. Quæ in Ecclesiâ Catholicâ fide certa, & definita sunt, recipiuntur ab omnibus Catholicis Doctoribus & Theologis: neque Catholicus est, aut habetur, qui postquam Ecclesiæ definitio innotuit, ab eâ dissentit. Neque illos DD., quos allegat, motiuis Scripturæ internis tantum tribuere, quantum contendit Dorscheus, concedimus. Motiuis, seu κριτηρίοις Ecclesiæ & Religionis communibus infallibilitatem & euidentiam credibilitatis tribuunt, non autem motiuis, quæ Dorscheus vult esse ita propria Scripturis, vt exinde Quæ certa ac definita sunt, recipiuntur ab omnibus Catholicis.

inde euidentiâ simpliciter infallibili fiat credibile, Deum esse autorem Scripturarum. Neq; Becanus de his scripturæ κριτηρίοις in 2. p. suæ Theol. tom. 2. tract. 1. cap. 6. vbi de motiuis, quæ inducunt hominum ad credendum, ex professo agit, vel verbulo meminit, vti nec Tannerus tom. 3. d. 1. q. 2. dub. 3. & 4. vbi ista motiua generatim & speciatim accuratè explicat, nullâ factâ mentione motiuorum Scripturæ. Fallaciter igitur Dorscheus horum (& aliorum, qui nunc ad manum non sunt) doctrinam de motiuis Fidei & Religionis communibus transfert ad κριτήρια Scripturæ tantopere à se iactata. Catholici omnes (quales constat esse, quos hic allegat) in eo consentiunt, non constare de Canone Scripturæ siue de numero librorum Canonicorum, nisi per testimonium & autoritatem Ecclesiæ; nullus ergo ex illis credit, vel docet, libros illos, præsertim quos Acatholici reijciunt, posse ex solis internis κριτηρίοις infallibiliter discerni, vnde etiam contra illos efficax est illatio ad totam Scripturam.

Dorscheus fallit.

61. RESP. igitur II. *Neq; stylum, neq; visiones propheticas, neque mysteria fidei, neq; præcepta, atq; promissiones, neq; harmonicum vbique consensum, neq; miracula, neq; vaticinia, idq; genus alia, valere ad persuadendum*, vt quis infallibiliter & euidenter credibile judicet, in Biblijs contineri Verbum Dei. Probatur 1. de stylo: Is enim, etsi est decentissimus, & qui maximè Verbo Dei conueniat: est tamen verbis & sententijs, tropis, figuris, similitudinibus ad vsum & mores hominum accommodatus: vt non videatur repugnare, sapientissimos aliquos scriptores, naturali facultate ad eiusmodi scriptionis genus pollere. Qualis fuit Philo Iudæorum disertissimus, qui à S. Hieronymo inter Scriptores Ecclesiasticos numeratur, quia Scripturas veteris testamenti primus exposuit, à Sanctis Patribus passim laudatus, à nullo illorum, quod meminerimus, reprehensus.

Stylus non est infallibile criterium Scripturæ diuinæ.

Neq; S. Aug. l. 6. Conf. c. 5. Dorscheo patrocinatur. Etsi enim is stylum vehementer laudat, non tamen in illum, sed potiùs

Aug. potiùs ad Ecclesiã, quàm ad stylũ se refert.

potiùs

potiùs in autoritatem Ecclesiæ ibidem refert causam credendi Scripturis: *Persuasisti mihi*, ait, *non qui crederent libris tuis NB. QVOS TANTA IN OMNIBVS FERE GENTIBVS AVTORITATE FVNDASTI, sed qui non crederent, esse culpandos.* & paulò pòst: *Ideóq; cùm essemus infirmi ad inueniendam liquidâ ratione veritatem, & ob hoc opus nobis esset sacrarum autoritate literarum, iam NB. credere cœperam, nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi Scripturæ per omnes iam terras autoritatem, nisi & per ipsam tibi credi, & per ipsam te quæri voluisses.* Tum demum subiungit, quæ Dorscheus §. 134. vt fucũ faciat, prioribus omissis allegat. *Autoritas* ergo *testimonio omnium Christianorum siue Ecclesiæ per omnes gentes & terras diuinâ prouidentiâ diffusæ* Scripturis conciliata, Augustino motiuum fuit, cur crederet, in illis Verbum Dei contineri. Quod ipsum clarè exprimit l. 7. c. 7. vbi ait, Deum non permisisse, *vt auferretur ab illâ fide, quâ credebat & esse Deum, & esse incommutabilem, & esse ipsi de hominibus curam &c. & in Christo &c. atq; Scripturis sanctis, NB. quas ECCLESIÆ CATHOLICÆ COMMENDARET AVTORITAS, posuisse ipsum viam salutis &c.*

Pari aut maiori fallaciâ allegat Valentiam in Analysi, vbi parte 1. arg. 13. (vel juxta aliam editionem l. 1. c. 15.) ait: *cùm multa sint in ipsâ Christianâ doctrinâ, quæ ipsa per se fidem illi atq; autoritatem conciliare possunt, tamen mihi maximum illud videtur esse, quòd suâ, nescio quâ, admirabili vi &c.* Quam vim verbis quidem à Dorscheo allatis explicat; sed quòd inde seclusâ Ecclesiæ autoritate euidenter concludatur, *in Biblijs Verbum Dei ipsissimum contineri,* neutiquam, imò contrarium clarè verbis mox sequentibus docet: *Hanc consolationem,* inquit, *& hunc fructum ex Scripturâ, si sectarij perciperent, procul dubio Ecclesiam Catholicam, quam sine vllâ dubitatione* (vt Aug. l. 1. cont. Crescõ. c. 23. inquit) *Scriptura commendat, & ad quam nos illa sæpe remittit, minimè vel insectarentur, vel contemnerent &c.* Deinde doctrinam Christianam, de quâ Valentia disserit, fraudulentâ parenthesi

Valentia fallaciter allegatus.

renthesi (*Scripturis comprehensam*) indigitat, veluti ea verba Valentia scripsisset, aut vniuersam doctrinam hanc Scripturis sensisset contineri: cùm sub libri initium pag. 10. disertè profiteatur, *confirmandum primo loco esse: necessariò credi debere doctrinam Christi, atq; adeò Scripturam sacram (quâ eiusmodi doctrinâ NB. magnâ ex parte continetur) esse diuinam atq; certissimam.* Quin paulò antè Dorschei causam planè iugulat, dum ait: *Certè, si vllus articulus Fidei est, qui autoritate atq; Magisterio Ecclesiæ (Ecclesiæ, inquam, Catholicæ Romanæ &c.) vt credatur, indigeat, hìc maximè est NB. de veritate Scripturæ, adeóq; de necessitate doctrinæ Christianæ.*

Quâ tu ergo fronte testem tam tibi contrarium citas, quasi sentiat, ex κριτηρίοις à te iactatis, secluso Ecclesiæ testimonio, posse nos ad credendam diuinam Bibliorum autoritatem induci. Mereris, vt allegationes tuas falsi præiudicio contemnamus, vel condemnemus.

63. Visiones, prophetiæ potuerunt humanâ industriâ annotari.

Probatur 2. De *visionibus, prophetijs, mysterijs Fidei, præceptis, promissionibus, miraculis, vaticinijs &c.* quæ in Scripturâ referuntur, neq; ista præbere infallibile motiuum, quo fiat credibile, in Biblijs contineri Verbum Dei. Non enim seclusâ Ecclesiæ autoritate repugnat, quin ista potuerint fide & industriâ humanâ annotari & conscribi, quo pacto ea retulêre in suos Commentarios & libros Philo & Iosephus Iudæi. In Sibyllarum quoq; libris verissima continentur vaticinia à Sanctis Patribus passim celebrata. Multas itidem visiones propheticas, miracula, vaticinia contineri in historijs Ecclesiasticis & vitis Sanctorum manifestum est: neq; tamen hi libri habent autoritatem verbo diuino parem. Idem dictum esto de Libris Tobiæ, Iudith, Machabæorum, quos cordatissimè Euangelici hodierni reijciunt. Possunt res diuinæ scribi etiam ab illis, qui nõ ex diuinâ reuelatione, sed lectione, auditione, vel aliter illa acceperunt. Neq; harmonicus partium Scripturæ consensus, euidens est verbi diuini argumentum: cùm nihil repugnet, ab attentissimo

Libri Sibyllarum, Tobiæ, Iudith &c.

Neque harmonia conuincit.

tentissimo scriptore aliquo tantam adhiberi industriam, vt nihil dissonum, vel ab harmoniâ aliorum in libris illius appareat. Contrà in Scripturis sæpe occurrunt apparentes contradictiones, quarum catalogum bene magnum & conciliationem ex S. Aug. Louanienses operibus illius, inter alios indices subiunxerunt. De ijsdem S. Doctor ex instituto agit libro de Consensu Euangelistarum. Multas quoq; enumerat Becanus part. 2. Theol. Schol. tom. 2. tract. 1. c. 3. n. 7. Omittimus quædam flagitijs similia, Deo autore facta, de quibus diximus suprà. Non est ergo harmonia Bibliorum quoad nos tam euidens, vt seclusâ Ecclesiæ autoritate, faciat prorsus credibilem diuinam illorum autoritatem.

Neq; miracula relata à Serario in prolegom. Bibl. c. 4. q. 10. *quibus Deus*, vt ait, *interdum tanquam sigillis libros istos confirmauit, & diuinos monstrauit*, rem conficiunt. Tum quia comparatione miraculorum, quibus radiat Ecclesia Catholica, sunt pauca; tum quia valde recondita, & in pauculorum notitiam veniunt; tum quia non confirmant autoritatem Scripturarum, exclusâ autoritate Ecclesiæ, vt paulò pòst de omnibus Bibliorum κριτηρίοις dicemus. Neque miracula à Serario relata.

De Vaticinijs Scripturarum allegat Dorscheus §. 135. Petrum à Soto in Defens. Cathol. Confess. c. 35. f. 61. col. 2. sed more suo non sincerè. Neq; enim Sotus dicit, *quòd consonantia Prophetarum & Euangeliorum efficacissimè persuadeat nobis autoritatem Bibliorum diuinam*, sed NB. *FIDEM*, id est, Religionem Catholicam, quam eo libro defendendam suscepit, & non solis Scripturis contineri demonstrat, sed traditione quoq; siue Ecclesiæ autoritate, cui Scripturas acceptas refert paulò antè c. 34. *Traditio*, ait, *primò* NB. *dat nobis Scripturam sacram: Illa dicit: hæc est diuina ad nos reuelatio, hæc scripta sunt à Spiritu S., dicente Augustino. Ego verò Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ moueret autoritas.* Petrus Soto itidem fallaciter allegatus.

Probatur 3. Hæc κριτήρια non inducunt ad assensum omniũ librorum Canonicorum, ergo absolutè & se solis non suffici- Criteria nõ conueniunt omnibus libris Canonicis.

unt ad Scripturæ autoritatem persuadendam. Antecedens monstratur; tum quia non in omnibus libris continentur visiones propheticæ, miracula, vaticinia &c. Nihil tale apparet in Prouerbijs, Cantico Canticorum, Ecclesiaste; tum quia ipse Lutherus, & qui illum sequuntur, ex his κριτηρίοις non potuerunt discernere, an Epistola ad Hebræos & Apocalypsis sint libri verè Canonici? Etsi posteri iam in Canonem illos recipiant, passimq; in suis Biblijs, Noui Testamenti libris sine distinctione Apocryphorum (quam adhibent libris Veteris Testamenti) adscribant, de quo expressiùs postea. Consequentia inde manifesta est: si enim hæc Criteria vim habent ad Verbi diuini autoritatem infallibiliter patefaciendam, ratio nulla est, cur non id cernatur in omnibus libris Canonicis, cùm Spiritus S. omnes dictauerit, & suis vtiq; Characteribus omnes insignierit.

Primariò redundant in Scripturam, vt proprietates legis in Rempublicam.

Probatur deniq; 4. Quæcunq; Criteria insint aut tribuantur Scripturis, ea in Ecclesiam veluti totius Verbi diuini siue scripti, siue nō scripti, proponendi & interpretandi Magistram primariò redundant. Tum quia Scriptura apertè ad illam remittit, vt iam suprà significauimus n. 46. locis ibidem allegatis, magno Aug. l. 3. cont. Cresc. c. 33. & lib. de Vnitate Ecclesiæ c. 22. idem confirmante; tum quia Scriptura est ius & lex Christianorum. Natura autem iuris & legis est, vt tota referatur ad eam communitatem, siue Rempublicam, cuius ius aut lex est. Legum præstantia indicat præstantiam Reipublicæ, neq; perfectè pernosci possunt, nisi constet, illas à tali Republicâ recognosci pro suis, & quem sensum ac vsum in illâ habeant. Quod tantò veriùs dicitur de Scripturis, quantò magis vaticinia, promissiones, præcepta, figuræ, imò & miracula illis contenta, ad præsignificandam, describendam, commendandam Christi Ecclesiam pertinent; ac potiùs fidem faciunt de eiusdem infallibilitate, quàm vt seclusâ Ecclesiæ autoritate, Verbi diuini in Biblijs contenti vllum infallibile præbeant motiuum, siue argumentum, quod frustra contendit Dorscheus.

RESP. IV.

Resp. IV. In eo, quòd ait, *Visiones, prophetias &c. esse ipsam summam Veritatem reuelatam &c.* multum repugnantiæ contineri. 1. Quia Deus ipse est summa & prima Veritas, partim naturali ratione cognita, partim reuelata; Visiones autem, prophetiæ &c. non sunt Deus: sed illustrationes mentis à Deo prophetis immissæ, & à Scriptoribus Sacris in libros Canonicos relatæ. 2. Hæc motiua non possunt vt reuelata esse ratio formalis assentiendi Verbo diuino in Scripturis diuinis contento, quia secundùm Euangelicos ipsum Verbum Dei scriptũ, est ratio formalis credendi omnia in illo contenta, vel ad fidem quocunque modo pertinentia; Ergo Visiones, prophetiæ, & alia in Scripturis non possunt esse formalis ratio credendi Verbo Dei, alioqui idem motiuum, vt creditur propter Verbũ Dei, esset posterius, & vt creditur Verbo Dei propter ipsum, esset respectu eiusdem prius, quod manifestè implicat. 3. Deniq; Dorscheus in hoc ipse sibi est contrarius, vt mox patebit. Altera Dorschei probatio multum repugnantiæ cõtinet.

§. VI.

Efficaciam, quam Dorscheus, aliiq; Acatholici Scripturæ seclusâ Ecclesiæ autoritate affingunt, esse fictitiam.

KIRCHERVS.

K*Ircherus f.* **10.** ***aduersùs Criteria Scripturæ obijcit:*** **Non deesse ex ipsis Lutheranis, qui omnia alia Criteria suadere tantùm dicant: solam persuadere efficaciam Scripturæ, & internum sensum, animúmq; intus & irrefragabiliter conuincere.** ***Allegat Gerardum, Thummium, Dietricum. Coniungit itaq; hæc duo Kircherus,*** **efficaciam Scripturæ & sensum internum,** ***veluti causam, vti apparet, & effectum, magis verò sensum internum oppugnat, quàm Scripturæ efficaciam. Dorscheus vtrumque propugnat, sed confusè & intricatè. Nos vestigia illius prementes priùs respondebimus de efficaciâ, quam pro tertiâ Kircheri obiectione ponit.*** 64. Kircherus efficaciam Scripturæ & sensum internum coniungit.

DORCSHEVS.

Respondet itaque 3. ***Assertum hoc de efficaciâ Scripturæ, non esse tantùm Lutheranorum, sed Sacrarum Literarum ipsarum, se illud ostendisse p.*** **2.** ***Theologiæ*** **(nescio cuius)** ***Zach. d.*** **1.** ***q.*** **1. §. 29.** ***& seqq.*** **hìc autem so-** Ad §. 138. Dorsch. Efficaciam Scripturæ Dorscheus propugnat,

ſiùm allegat *Apoſtolum Hebr. 4. v. 12. & 1. Cor. 2. v. 4. item 14. v. 24.* Iactat deinde *Patres & Pontificios plurimos*, quos ibidem & alibi produxerit. Subiungit Hoſium in Confeſs. Petricouienſi. t. 1. c. 16. aſſerentem, *non eſſe credendum Euangelijs, niſi propter vocem Dei intus loquentis.* Idem tribuit Bellarm. & generatim Ieſuitis, *cùm dicunt, aſſenſum fidei formaliter reſolui in Autoritatem Dei reuelantis, adeóque etiam produci ab illâ ſummâ autoritate. Hucuſq; verò non progredi autoritatem Eccleſiæ, quæ non attingit intrinſecùs mentem hominis.* In vltimo agmine collocat *Scotum, Bannem, Aragoniũ, Zumelium & alios, quos Tannerus tom. 3. d. 1. q. 1. n. 13. enumerat, qui ſtatuunt, Deum vt cauſam efficientem luminis ſeu habitus fidei, ſiue ipſum lumen fidei, eſſe formalem Rationem ſub quâ Fidei.* Hóſq; nimirum voluiſſe dicere, *Fidem niti reuelationibus diuinis, in mente credentium ſuam virtutem exerentibus.* Defendit deinde Bannem, aduersùs Tanneri explicationem non prorſus ineptè. Sed cùm Scholaſticæ opiniones ad ſummam eorum, quæ fide certa ſunt, non ſufficiant, ea prætermus, & directè.

Idem ſibi contrarius.

Reſpondemus I. Dorſcheum, dum eos Lutheranos ſequitur, qui Criterijs internis Scripturæ ſolùm tribuunt *ſuaſionẽ*, quę nō omnino conuincit, *ſoli autem efficaciæ Scripturarũ perſuaſionẽ*, repugnare ſibi ipſi. Contendit enim ſuprà §. 133. (quod nos retulimus n. 61.) *ſtylum, viſiones, prophetias, myſteria, præcepta, vaticinia, miracula* &c. gignere aſſenſum infallibilem. *Suadere autem ſolùm, non verò perſuadere: & gignere aſſenſum ſiue perſuaſionem infallibilem*, manifeſtè repugnant.

65. Agnoſcimus Scripturæ efficaciam.

RESP. II. Nos Catholicos agnoſcere Scripturæ efficaciã claris eiuſdem teſtimonijs conteſtatam. *Conuertit animas, ſapientiam præſtat paruulis.* Pſal. 18. v. 8. *lætificat* ibid. v. 9. *illuminat* ibid. v. eod. *eſt lucerna* Pſal. 118. v. 105. & 2. Petri 1. v. 19. *Defendit ab inſidijs Diaboli*, Prou. 30. v. 5. Epheſ. 6. v. 5. *inflammat* Prou. eod. v. 5. Lucæ 24. v. 32. *Dura corda conterit.* Ierem. 23. v. 29. *Excitat & extimulat.* Eccl. 12. v. 11. *Alit animum.* Matth. 4. v. 4. *Fidẽ confirmat.* Ioan. 5. v. 39. & Actor. 17. v. 12. *Vitam æternam dat & beat*, Ioan. eodẽ v. 25. & 39. c. 6. v. 27. c. 20. v. 29. Eccleſ. 24. v. 32. *Conſolatur.* Roman. 15. v. 4. *Corroborat.* 1. Cor. 1. v. 18. *Docet, arguit, corripit, erudit.* 1. Timoth. 3. v. 16.

3. v. 16. *Corda scindit ac penetrat.* Hebr. 4. v. 12. *gignit in Christo.* Iac. 1. v. 17.

Resp. III. Hanc Scripturæ & Verbi diuini efficientiam 1. in eo ordinariè positam esse, quòd repræsentet legenti, vel audienti res significatas, sicq; animum ad earum intellectum & amplexum excitet, qualem vim cuiusque loquentis oratio ex se habet, neq; vllam aliam. Neq; vlla etiam alia vis supernaturalis, aut physica, aut moralis competit Scripturæ, cùm huius asserendæ nullum habeamus argumentum. 2. Ex circumstantijs tamen Deì loquentis, rerum & mysteriorum sublimitate ac dignitate, hominis audientis vel legentis erga hæc reuerentiâ &c. hæc ipsa significationis aut repræsentationis efficacia maior esse potest, & solet in Sacris Scripturis, quàm alijs libris, in quibus ipsis varia est pro conditione scriptorum, styli, rerum, quæ tractantur, imò & lectorum &c. 3. Deus ordinariè Verbum suum audientibus vel legentibus, singulare internum auxilium affert, ad animos eorum illustrandos, & promouendos, magìs quàm cùm alij pij libri leguntur, vel audiuntur. Quam prærogatiuam videntur significare Scripturæ citatæ, & congruit diuinæ bonitati, vt potiùs adsit sua verba legentibus vel audientibus, quàm aliorum. Neq; tamen eiusmodi auxilium & consequens animi motus causatur ab ipsâ Bibliorum literâ, quæ animum intrinsecùs non magis attingit, quàm Ecclesiæ autoritas, cùm vtraq; obiectum solùm extrinsecùs proponat, siue repræsentet: sed Deus hâc propositionis vel repræsentationis conditione positâ, solus auxilium animo hominis exhibet, qui liberè illud vel arripit, vel respuit, iuxta illud Prouerb. 1. v. 24. *Quia vocaui & renuistis* &c. 4. Denique Deus aliquando extraordinariâ gratiâ audientes, vel legentes verbũ suum ita percellit, vt repentè conuersi toti mutentur, quod l. 8. Conf. c. 12. accidit S. Augustino, cùm legeret illud Apostoli Rom. 13. v. 13. *Non in comessationibus & ebrietatibus* &c. Quò illud quoque referimus, cùm Deus ad Scripturæ autoritatem sancien-

Consistit in repræsentando.

Maior est ob circumstantias in proposito.

Coniuncta cum peculiari gratiæ auxilio.

Subinde extraordinario, quale habuit S. August.

fanciendam mira per eius lectionem operatur, quâ ratione S. Athanaſ. in ep. ad Marcell. de interpret. Script. narrat, *Sacris Scripturis ſæpe dæmones fuiſſe expulſos, & eorum contra homines retectas inſidias.*

66. Sola non probat Scripturam eſſe Verbum Dei ob tres cauſas.

66. RESP. IV. Hanc qualemcunq; efficientiam ſiue efficaciã non ſufficere, vt ſola faciat euidenter credibile, in Scripturis contineri Verbum Dei. 1. Quia Deus de lege ordinariâ, vt oſtenſum eſt, non largitur Fidem & auxilia ad eam neceſſaria, niſi ſuppoſitis ſufficientibus motiuis, quæ faciant reuelationẽ credibilem, vide n. 37. 2. Omnia motiua Religionis, & quæſtiones de Fide virtute reſpiciunt autoritatem & iudicium Eccleſiæ, ad quam ipſa Scriptura nos locis n. 46. allegatis remittit; ſola ergo Scripturæ lectio, vel auditio, hiſce non ſuppoſitis, hanc efficaciã non habet. Neq; vel loca Scripturæ, vel Autoritates PP. ac DD., quas iactat Dorſcheus, plus probant. Nam etſi non ſemper Eccleſiæ mentionem faciunt, ſufficiunt Regulæ vniuerſales de Eccleſiâ, eiúſq; Paſtoribus, & Doctoribus audiendis, de eiuſdem aduersùs portas inferorum firmitate, &c. Quòd verò Doctores dicunt, Scripturam, ſiue Verbum Dei *vim ſuam in mentibus exerere,* non negamus, vti explicatum eſt, ſed id ſolùm, quòd hoc ſufficiat ad diſcernendam eius veritatem & ſenſum, vt magis patebit §. ſeq. 3. Si efficacia Scripturæ ſola ſufficeret, Luthero quoque tanquam Reformatori Eccleſiæ, eiúſq; adiutoribus ſuffeciſſet, ad diſcernendam *ab Apocryphis Epiſtolam ad Hebræos, Epiſtolas Iacobi, Iudæ, ſecundam Petri, Ioannis ſecundam & tertiam, eiuſdémq; Apocalypſin,* quæ omnia illi reiecerunt, vel de iiſdem dubitârunt; hodie autem eorum poſteri, in ſuo N. T. Canone abſque vllo Apocryphorum diſcrimine (quod libris V. T. adhibent) reponunt. Nulla itaque, ſed prorſus fictitia eſt Scripturæ efficacia ad perſuadendã eius diuinam autoritatem, quam ſecluſâ Eccleſiæ autoritate nobis Dorſcheus obtrudit. Quo verò ſenſu admittamus ſenſum internum, prout vel auxilium gratiæ, vel pium voluntatis motum

tum significat, conformiter DD. Catholicis à Dorscheo allegatis aliisque, paulò pòst explicabimus.

§. VII.

Lutheranos de Spiritu suo priuato certos non esse, alios quoq; libellos pios habere vim commouendi, neq; hanc commotionem discerni posse sensu interno, ex quo colligunt Scripturæ autoritatem.

KIRCHERVS.

Probat id *Kircherus f. 11. & 12.* 1. Ex illo, Ioan. 4. v. 1. Nolite omni spiritui credere &c. 2. Ex vi quorundam piorum libellorum, Thom. de Kempis, Tauleri, Bellarmini, Drexelij, Domini de la Serre &c. qui mirè in genere deuotionis afficiunt & recreant, & magìs quàm Canticum Canticorum &c. Neq; tamen hi libelli habent autoritatem Scripturæ. 3. Nequeunt ostendere quid commotio ex eiusmodi libellis hausta, differat à sensu illo interno, qui peculiari, vt aiunt, & propriâ ratione arguit autoritatem Scripturæ. 4. Hoc sensu destitutus fuit Lutherus, cùm epistolam ad Hebræos reiecit, quam hodierni Lutherani recipiunt, *de quo Kircherus ait se dicturum postea, c. 4. videl., & Dorscheus hic silet.* 5. Hæc discernendi ratio non est multùm à fanatismo aliena; transformat enim se Sathanas aliquando in Angelum lucis.

67. Ad §. 139. Dorsch. Argumenta contra spiritum priuatum.

DORSCHEVS.

Ad ista Dorscheus à f. 483. vsque ad f. 517. respondet fusè & confusè, repetens & inculcans eadem, quæ hactenus pleraque à nobis sunt refutata; tantóque faciliùs, & breuiùs poterunt expediri. Sed priùs illud admonendum est, sub sensu interno & testimonio Spiritus S. magnam latere ambiguitatem. Dupliciter enim accipi potest. 1. Pro auxilio gratiæ tum illustrantis intellectum, tum mouentis voluntatem ad credendum Verbo Dei. 2. Pro tali sensu, siue testimonio interno, *vnde seclusâ Ecclesiæ autoritate, & sine quibusuis motiuis præcedentibus possit quis per se discernere Sacras literas ab alijs libris, earúmq; sensum verum à falso idque ipsum alijs, qui alterutrum, vel vtrumque negant, vel in dubium reuocant, probare, vel persuadere.*

Spiritus internus duplex.

Respondetvr.

De sensu interno & Spiritu priuato quid sentiant Catholici.

Priori

Priorem Catholici admittunt juxta Scripturas.

Priori modo Catholici omnes ſenſum internum ſiue teſtimonium Spiritus S. admittimus juxta illud Ioan. 6. v. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* & v. 66. *Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.* Sic exclamamus cum Patre illius pueri, Marci 9. v. 23. *Adiuua Domine incredulitatem meam. Neq; enim ſumus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis, quaſi ex nobis.* 2. Cor. 3. v. 5. *Deus enim eſt, qui operatur in nobis velle & perficere,* Philipp. 3. v. 13. Quod ipſum de initio Fidei & juſtificationis clarè definiuit Trid. ſeſs. 6. cap. 15. & can. 3. qui ita habet: *Si quis dixerit, ſine præueniente Spiritus S. inſpiratione, atq; eius adiutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Agnoſcimus ergo ſenſum internum, ſiue motionem gratiæ, tum in amplexu motiuorum, quæ pariunt euidentiam credibilitatis, vt diximus n. 47., & pio motu voluntatis, quò inclinamur ad credendum ea, quæ eſſe credibilia euidenter agnoſcimus: tum in ipſo aſſenſu myſteriorum Fidei propter reuelationem diuinam per motiua nobis applicatã.

Poſterior ſenſus internus fictitius refellitur.

Poſterioris modi ſenſum internum, quem inuexerunt Acatholici, & propugnat Dorſcheus, vnà cum Kirchero reijcimus, vtpote fictitium & ad autoritatem & ſenſum Scripturarum, ſiue ſibi ſiue alijs perſuadendum inutilem, ijſdem argumentis, quæ Kircherus affert. Quibus illud præterea addimus: 1. Teſtimoniũ illud Spiritus S., ſiue ſenſus internus, quem Acatholici jactant, eſt aliquid incognitum & arcanum animo conditum, quod alteri explicare, eiúſque notas depingere nemo poteſt. Argumentum verò debet illi, cui aliquid probandum eſt, eſſe euidens, aut certè notum, vt inde deducatur in notitiam ignoti, quod Logicæ Tirones nôrunt. 2. Omnes hæretici iactant hunc ſenſum internum, ſiue ſpiritum priuatum, etſi maximè inter ſe diſſentiant, neq; alij præ alijs, meliores aut certiores notas afferant, quibus prætenſus Spiritus S. à ſpiritu fanatico diſcernatur. Sed nunc quid Dorſcheus ad Kircheri argumenta dicat, audiamus.

Omnibus hæreticis communis.

DOR-

DORSCHEVS.

Dicit I. & regerendo quærit, *vnde Kircherus de suo illo spiritu priuato, quo indicat, bene sibi reuelationes diuinas in Ecclesiâ Papali esse propositas, certus sit? Vnde ipsi constet de illo Spiritus sui motu, quo putat Pontificis decreta infallibilia esse, illum esse diuinum? quantò certius possumus de concordiâ Spiritus nostri & Spiritus S. iudicare ex Sacris literis?* asserit deinde, *Lutheranos certos esse ex ipsis Sacris literis; non enim aliunde certitudinem de principijs, nisi ex ipsis nasci. Conuenire Sapientiæ & Charitati Dei, cùm aliter genus humanum commodè, conuenienterq; non potuerit è miseriâ reduci, nisi Scripturis communicatis, vt ipsis daretur ius & mysteria explicandi, & seipsas insinuandi.* Denique Kircherus *tribuit Ecclesiæ, quòd omnes traditiones & suam infallibilem assistentiam, adeóq; seipsam proponere possit, ergo multò magis id conuenit Sacris literis. &c.* 68.

Dorschei retorsiones.

RESPONDETVR.

Resp. 1. Catholicos nullum agnoscere spiritum priuatum, qui nullum supponat aut respiciat publicum Ecclesiæ testimonium, aut infallibilia credibilitatis motiua omnibus communia; sed eo solùm sensu dici posse priuatum, siue potiùs particularem, quatenus quod in specie omnibus commune est, priuatim quoque & singillatim in singulis reperitur. Quo pacto lumen rectæ rationis & legis naturalis omnibus hominibus commune, priuatim etiam super omnes signatum est, & in singulorum mentibus multiplicatur, hócque ipsum lumen n. 47. assignauimus pro spiritu interno credibilitatis ex motiuis fidei concepto. Hìc autem illum sensum internum intelligimus, quo reuelationi diuinæ, aut propositioni Ecclesiæ per euidentia credibilitatis motiua iam nobis applicatæ & creditæ assentimur 2. Spiritum illum, quo mouemur ad assentiendum mysterijs fidei, esse diuinum, habemus ex reuelatione diuinâ nobis per motiua credibilitatis applicatâ, attestante id Scripturâ diuinâ, vt diximus n. 67. & Ecclesia docente. In particulari quilibet eodem spiritu se moueri, vel ex firmis coniecturis certus est, vel ipsâ fide diuinâ, quod posterius cũ S. Th. 1. p. q. 87. art. 2. ad 1. & 1. 2. q. 112. art. 5. ad 2. multi & graues DD. Catholici

Qualem Spiritum priuatum Catholici admittant.

Spiritus mouens ad assensum fidei diuinus est.

tholici tenent, etsi Tannerus cum alijs contrarium sentiat, vt diximus n. 57. 3. Negamus esse aut fuisse conueniens, vt Deus hominem per solas Scripturas reduceret, vel deduceret ad viam Veritatis, vt ostensum est n. 46. 4. Disparitatem, cur Ecclesia, non autem Scriptura sit primum principium, & seipsam proponere ac dirigere possit, ibid. & n. 62. ac 63. declarauimus.

DORSCHEVS.

Ad §. 142. Dorsch. Instat neq; spiritui per Ecclesiã loquenti credendum.

Dicit II. Si valida est conclusio: *quicunq, non debent credere omni Spiritui, illi non debent aut possunt tutò credere Spiritui S. ex Sacris literis in cordibus nostris operanti. Ergo eâdem consecutionis ratione concludere licebit: quicunq, non debent credere omni Spiritui, illis non licitum est tutò credere Spiritui per Ecclesiam loquenti. Neq, enim maius quiddam hac operatur, quàm Scriptura. Imò nulli tandem Spiritui credendum erit, ne Spiritui priuato credidisse videamur.*

RESPONDETVR.

Kircherus explicatur.

RESP. I. Kircherus nunquam dixit, vel conclusit, non *esse credendum Spiritui S. ex Sacris literis in cordibus nostris operanti*, quod impium foret; sed hoc pugnat: ex *solis Sacris literis non posse discerni, vtrùm Spiritus S. vel alius quispiam genius in cordibus nostris operetur:* Posse verò illud discerni, si, cùm dubium incidit, ad Ecclesiæ autoritatem & sententiam confugiamus; quæ, cùm per motiuorum euidentiam sit infallibiliter credibilis, Fidei mysteria absque erroris aut seductionis periculo nobis proponit & applicat. Quo autem sensu admittamus & reijciamus spiritum priuatum, diximus paulò antè. Etsi verò Ecclesia non maius quiddam operatur, quàm Scriptura, non operatur tamen ista, nisi cum respectu ad Ecclesiam siue actuali, siue virtuali. vide n. 46. 52. 56. neque est vlli spiritui credendum, nisi qui cum illius sententiâ concordat.

DORSCHEVS.

Ad §. 145. Dorschei. Explicat, quomodo non omni spiritui, & tamẽ alicui credendum.

Explicat deinde Dorscheus locum ex 1. Ioan. 4. v. 1. Nolite omni spiritui credere &c., & detorquet tandem in sensum prauum. Indicat, ait, S. Ioannes 1. *Sub specie spiritualium doctrinarum aliquos introducturos opiniones impias,* 2. *Non esse admittendos sine discretione,* 3. *Instituendum*

ita,

itaq; examen spirituum. 4. Illud non esse vni tantùm ordini hominum, multò minus Ecclesiæ alligatum. Præcepta enim; quæ cap. præced. & hoc S. Ioannes proponit, non esse vnius, sed omnium, & omnium ordinum homines tentari à spiritibus, qui non sunt ex Deo. 5. Omnibus adultis, quantum ad salutem satis est, tantum communicatum esse virium, ad examen illud instituendum, cùm sit medium defensionis necessaria contra Sathanam. 6. Superesse Regulam, siue normam, iuxta quam examen illud instituendum, quæ ad omnes illos actus diuinitus inspirata, & vtilis est, 2. Tim. 3. v. 15. Opus enim est in repentino spirituum illorum occursu extemporaneâ normâ, quæ non potest esse Ecclesiæ determinatio innumeris ambagibus obnoxia.

RESPONDETVR.

RESP. Tribus prioribus concessis, falsum esse illud, quòd dicit 4. Examen enim Spirituum alligatum est Regulis, quas tradunt Ecclesiæ Pastores & Doctores; Hæ, quantum ad salutem necessarium est, prostant publicè in Catechismis aliisque libris pijs. Rectè quoque petuntur ex Scripturis, iuxta Ecclesiæ interpretationem. Vbi dubium incidit, recurrendum est ad Viros doctos & pios. Neque sequitur: *præcepta proponuntur omnibus, ergo eorum interpretatio pertinet ad omnes.* Hoc vel in Grammaticâ absurdum apparet: quantò magis in disciplinâ Christianâ, quæ continet altissima mysteria? Æquè ficulneum est illud: *omnes hominum ordines diuersis spiritibus tentantur, ergo discretio spirituum pertinet ad omnes*; perinde ac si dicas: omnes homines afflantur ventis, ergo discretio ventorum & naturæ illorum intelligentia pertinet ad omnes. Vnde etiam falsum est, quòd dicit 5., *Omnibus hominibus concessas esse vires ad examen spirituum, sine autoritate Ecclesiæ, vel Regulis ab illâ traditis.* Quam 6. falsò negat esse posse Regulam siue normam fidei, quòd multis ambagibus sit exposita. Vide dicta cap. 1. §. 9. n. 31. & 32., vbi ostendimus, non Ecclesiæ autoritatem, sed Bibliorum solitudinem inextricabilibus expositam esse ambagibus. Affingit ista S. Apostolo Dorscheus, & immeritò dicit, ab illo indicari, quæ neque expressis verbis dicit, neque legitimè inde possunt deduci.

69. Examen spirituum ex regulis Ecclesiæ petendum.

Verba Apostoli explicantur.

Iubet igitur S. Ioannes, *probari Spiritus, si ex Deo sint*, à quolibet juxta suam vocationem, quod etiam spectauit Paulus 1. Thessalonic. c. 5. v. 20. vt videl. Fideles secundùm Regulas Ecclesiæ in suo statu sibi cognitas & traditas à Magistris, Concionatoribus, Pastoribus, Spiritus examinent: aut cùm dubiũ incidit, ad eosdem recurrant: non autem, vt ipsas Magistrorum & Ecclesiæ Regulas examinent, vbi valet illud Primasij in c. 2. Apocal. *Iam probati sunt Spiritus ab Ecclesiâ, Quid vis tu probare, quod iam improbatum est?* adde, *aut improbare, quod iam probatum est?* cùm in vtroq; sit par ratio. Nõ esse verò priuato cuiuscuis sensu, sed sensu Ecclesiæ & Pastorum Spiritus probandos, clarè l. c. indicat idem Apostolus, cùm v. 6. ait: *Qui nouit Deũ, audit nos, qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus Spiritũ Veritatis, & Spiritum erroris.* Ille igitur demum rectè probat Spiritus, qui ad eos discernendos, regulas ab Apostolis, Euangelistis, & post hos à Pastoribus & Doctoribus (hos enim omnes coniungit Paulus Ephes. 4. v. 11. veluti *fidei duces, ne incidamus in errores*) adhibet. Neq; alium sensum Dorscheus ex S. Chrysostomo hom. 13. in 2. ad Corinthios, quem allegat, vnquam extundet.

DORSCHEVS.

70. Ad §. 144. Dorsch. Miræ nugæ de libris gentilium Thom. de Kempis, Tauleri, &c.

Dicit III. *Omnem vim commouendi animos ad pietatem, quæ libris etiam gentilium quorundam inest, donum esse Dei, sese sine testimonio non relinquentis.* Act. 14. v. 17. & c. 17. v. 26. & 27. *Deinde Thom. de Kempis, Tauleri & aliorum pios libellos non afficere, & attingere animos vi primitiuâ, & immediatè à suis autoribus oriundâ, sed deriuatiuâ & è Canonicis libris depromptâ. Nec quisquis loquitur de rebus diuinis, mouet verè & salutariter, nisi loquendo quasi sermones Dei.* 1. Petri 4. v. 11. *Sacra literæ autem è nullo alio libro eductæ immediatam quandam operationem Dei & inspirationem indicant; proinde illa interna criteria à dulcedine Scripturarum non sunt separanda. Nec quisquam sapiens assentitur effatis Thomæ de Kempis, quia Thomas à Kempis illa proponit, sed quia sensus ipsius aut sunt ipsa Scriptura Canonica, aut ex Scripturâ Canonicâ, quam ipse fontem verborum suorum nominat,* pro quo Dorscheus allegat *l. 2. de imit. Christi c. 51. & 3. item l. 1. c. 5. l. 4. c. 11. Vallis liliorum c. 21. ex 3. parte serm. ad Nouit. serm. 2.*

Citandum erat à Dorscheo ex lib. 3. de Imit. Christi c. 3. & 4. 6.

Denique

Denique de Taulero addit, *Eckium non ita fuisse affectum ex lectione illius, sicut affectus fuit Kircherus. Etenim Eckius Taulerum somniatorem vocauit, & hæresis accusauit, pro quo Apologiam scripsit Blosius.*

RESPONDETVR.

RESP. I. Rectè à Dorscheo concedi vim commouendi animos ad pietatem, quæ libris alijs inest, esse donum Dei; sed vel maximè donum Dei est vis illa, quam habent Sacræ literæ, vnde ex hoc solo discerni inter se non possunt. Neque iuuat, quòd dicit postea, *non esse hanc vim separandam ab alijs criterijs*, vanè enim illa iactari demonstratum est n. 62. & 63. Dorschei obiectiones refelluntur.

RESP. 2. Non esse opus, vt *pij libelli afficiant animos vi primitiuâ, & immediatè à suis autoribus oriundâ*, cùm neque Sacræ literæ hoc habeant: Vis enim illa consistit in quodam auxilio gratiæ diuinæ, quæ non est oriunda à Prophetis & Apostolis siue autoribus librorum Canonicorum, sed immediatè ab ipso Deo; prout & immediatè ijsdem Scripturas dictauit; vnde primitiuè sunt ab ipso, non ab ipsis. Neque etiam quisquam assentitur Euangelijs, aut Epistolis Apostolorum, quia scripsêre Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes, aut Paulus, Petrus, Iacobus, sed quia Deus ipsis reuelauit, quæ literis tradiderunt; diuina enim reuelatio, non Scriptor Canonicus sunt formalis ratio credendi. Et sicut diuino Spiritu afflati integros libros absque vllo errore Apostoli & Prophetæ cõsignârunt, ita Thomas de Kempis & alij, licet non pari inspirationis prærogatiuâ, habuerunt tamen & ipsi, cùm pia & salutaria scripserunt, peculiarem Spiritus S. illustrationem, *quia non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* 2. Cor. 3. v. 5. Nemo autẽ qui non cogitat aliquid boni, quidpiam scribere potest boni; hoc enim supponit illud. Fallit verò Dorscheus, cùm dicit, neminem mouere salutariter, nisi per sermones Dei, *si per sermones Dei* (de quibus Apostolus l. c.) intelligit solas Scripturas; neque enim hoc Petrus dicit, & sunt quoq; sermones diuini, quos Deus sine Scripturâ loquitur.

Etsi denique, vt librum faciliùs infarciat, quatuor integras pagellas verbis Thomæ de Kempis implet, non reperio tamen in illis, quod Thomæ tribuit, videlicet ipsum *Scripturam, fontem verborum suorum* nominare, sed ista, quæ cum Dorschei instituto multùm pugnãt: *Gratias ago tibi Domine* (ait lib. 4. de imit. c. 11.) *pro doctrinæ sacræ mensâ, quam nobis per seruos tuos Prophetas & Apostolos, NB.* aliósq; Doctores *ministrâsti.* Itẽ in valle liliorũ c. 21. *Quæ igitur ignoras, humiliter quære, & quæ non bene intelligis, pete reuerenter NB. à doctioribus tibi declarari.* Et paulò pòst: *Igitur Canonicas Scripturas libenter lege, & NB. expositiones Doctorum cum diligentiâ aduerte, & intelligere stude.* Non remittit nos Thomas Kempensis ad normam solius Scripturæ, sed etiam ad doctrinam, per alios Doctores ministratam; hósque vult consuli, non ex solis Biblijs spiritus probari, mi Dorschee. Pro Eckio paulò pòst dabis respondendi ansam.

Thomas de Kempis vanè allegatus repugnat Dorscheo.

71. Ad §. 147. Dorschei. Negat fanatismum rectè Lutheranis obijci.

DORSCHEVS.

Dicit IV. *Nullum in Lutheranorum iudicio de certitudine Scripturæ fanatismum esse. Si enim non est fanatismus priuatus vniuscuiusq; Pontificij Ecclesiasticæ potestatis sensus, quem ex publicis eiusdem deprædicationibus hausit, multò minus fanatismus erit, quidquid ex Spiritus S. effusione in cordibus suis per Sacras literas fideles sentiunt. Illa enim omnis priuata persuasio de diuinitate huius vel illius libri, non est aliunde oriunda quædam fidelium opinatio, sed NB. ex ipsis principijs & visceribus Sacrarum literarum nata conuictio. Vnde sunt diuersi gradus iudiciorum de libris diuinis. Quidam enim sine hæsitatione vim illam diuinam receperunt. Quidam grauibus de causis vim quidem illam diuinam libris aliquibus non negauerunt, autorem tamen* θεοπνεύστως *(per diuinam inspirationem) gubernatum esse non senserunt. Eiusmodi in omni antiquitate fuêre complures, quibus nonnulli libri* νόθειαν *aliquã* (spurium quid) *præ se ferre visi sunt, quibus in principio etiam Lutherus accessit.*

RESPONDETVR.

De Fanatismo Lutheranorum.

Resp. I. Nullum esse priuatum apud Catholicos sensum de rebus fidei, nisi quo pacto singulare, etsi pluribus commune, priuatum dici potest. Omnis enim sensus talis apud nos est publicus, quia respicit publicam Ecclesiæ propositionem, & autorita-

Omnis sensus internus de rebus fidei apud nos est publicus.

autoritatem, & publica ac euidentia Religionis motiua toti orbi, si oculos aperire velit, perspicua. Vide dicta n. 69. Sensus autem internus Acatholicorum est priuatus non solùm, quia in priuato homine reperitur, verùm etiam quia priuato iudicio nititur, cui secundùm Lutheranorũ principia subijcitur omnis publica doctrina Patrum, Conciliorum, Pastorum, totiúsque Ecclesiæ, vt ostendimus n. 32. Accedit, ita esse reconditum in cuiusque animo, vt nulla certa argumenta suppetant, quo quis alteri probare queat, sensum illum, siue spiritum suum internum & priuatum esse legitimum. Vnde omnes Sectarij errores suos ad hoc latibulum reuocant, etsi nemo illorum præ alio, germanam veri sensus aut spiritus notam depromat. Non est igitur quidam fanatismus, quod ex *S. Spiritus effusione, per Sacras literas fideles sentiunt*, sed nihil Spiritus S. ab Ecclesiæ propositione & autoritate, ad quam nos ipse remittit Matth. 18. v. 17. Ephes. 4. v. 11. 1. Tim. 3. v. 15. &c. alienum effundit. Fanatismus verò est, siue apparens quiddam & veri specie fallens, quidquid sine hâc regulâ animus in fidei causâ sibi fingit. vide n. 65.

Sensus internus Acatholicorum latibulum errorum.

Resp. 2. Si, vt Dorscheus contendit, *Priuata persuasio de diuinitate huius aut illius libri, non est aliunde oriunda quædam fidelium opinatio, sed ex ipsis principijs & visceribus Sacrarum literarum nata conuictio*, non sanè *inde fit*, quod malè colligit Dorscheus, *vt diuersi etiam gradus sint iudiciorum de diuinis* libris. Imò contrarium necesse est sequi: *non posse videlicet diuersos esse gradus iudiciorum de his libris*. Conuictio enim ex principijs alicuius rei nata parit euidentiam, quod autem euidens est, non potest esse obscurum vlli intellectui bene disposito. Qualem vtiq; habuit B. ille (si Dijs placet.) Lutherus, vnde eius hæsitatio imò inficiatio de quibusdam libris, quos sequaces illius, veluti Canonicos recipiunt, est inexcusabilis. Quæ enim possunt esse causæ aduersùs principia conuincentia, toti Scripturæ, vt isti volunt, intrinseca? Est verò hæc ipsa tum Lutheri tum veterũ

Dorscheus malè colligit.

Lutheri hæsitatio de libris Canonicis.

hæsitatio

hæsitatio clarum argumentum, nullos infallibiles Scripturis diuini verbi inesse characteres, sed de hoc. c. 3.

DORSCHEVS.

72. Sed pergit Dorscheus, & fanatismi telum in nos retorquet, quin imò Schvvenkfeldij errorem Bellarmino cordatè impingit, quòd l. 1. de gratiâ, & lib. de auxilijs c. 13. §. 3. dicat, *multùm interesse inter gratiam internæ suasionis, & concionem externam verbi diuini; concionem enim externam solùm proponere obiectum, non item aspirare affectum instar internæ suasionis &c. Esse aliquod Verbum internum atq; absconditum, quod idem Bellarm. c. 12. præced. vocat vocationem altam atque secretam &c.* Vrget Dorscheus, & quærit: *Undénam sit gratia illa efficax, quâ proponenti Verbum Dei, credimus, illud esse verè Dei Verbum? Non à concione externâ. Negat enim illud Bellarm. quia hæc tantùm proponit obiectum, animum non attingit, lumen acceptandi non communicat, tantum exterius agit, interiora non penetrat. Ergò concio Spiritus interna hoc agit, cui non semper est coniuncta gratia efficax, non semper alta & secreta vocatio, quæ necessaria est, vt præter Verbum diuinum & Ecclesiam attingat mentes. Quid fanatismus est, si hic non est?*

Dorscheus in nos retorquet fanatismum.

Addit §. 143. *Maiorem fore fanatismi persuasionem, si sententia de prædeterminatione diuinâ physicâ, in operatione gratiæ cœlestis ad efficaciam necessariâ (de quâ egit §. 7. in prælim.) bene ponderetur. Hæc enim tollit gratiam sufficientem, & è medio tollit liberum arbitrium, vt probat Bellarm. cit. c. 12. Ergo aut planè tollit conuersionem, aut ad internos raptus & enthusiasmos trahit omnia.*

RESPONDETVR.

Bellarminus defenditur.

RESP: 1. Nihil Bellarmino cõmune esse cum Schvvenkfeldio. A Scripturæ lectione, & auditu verbi Dei auocat iste, non ille; Spiritus S. internos afflatus & enthusiasmos citra vllum medium comminiscitur ille, neutiquam Bellarminus. Qui ita internam gratiæ suasionem adstruit, vt externam Verbi diuini prædicationem & lectionem minimè excludat. Quin, etsi Deus aliquando sine externo verbo, per illustrationes internas mysteria Fidei nobis proponat, asserit tamen sæpius, *illum vti externâ concione, vel propositione tanquam instrumento.* Et verum est, quod diximus n. 56., omnem Actum Fidei virtute respicere Ecclesiam, cui sanctissimi, & vel maximè diuinitus illustrati

homines

homines se submiserunt, hodiéque submittunt. Neque ordinariè ad veram Fidem Deus adducit, citra medium prædicationis vel auditionis Verbi diuini, quamuis post Fidem semel conceptam variè mentes hominum immediatè illustrare possit ac soleat.

RESP. 2. Neque Bellarminum, neq; alios Catholicos negare efficaciam Scripturæ, siue Verbi diuini externi, quam satis explicauimus n. 65. Falsum verò est, quod Bellarmino imponit, quasi dicat, *concionem externam non attingere animum*, eo ipso enim attingit, quia obiectum proponit. Quo pacto quilibet Magister discipuli animum attingit, ei scientiarum principia ac præcepta proponendo. Illud verò gratiæ Dei est, vt mysterijs propositis assentiatur animus, quam sufficientem Deus offert omnibus: non item efficacem, quæ licet *alta sit & secreta*, non arguit tamen Schvvenkfeldij enthusiasmum, sed ab ipso etiam Dorscheo admitti debet, vt ostendimus n. 35. Quærenti autem, à quo gratia habeat hanc efficaciam, vt quis proponenti verbum Dei credat illud verè esse tale? Resp. hanc efficaciam non esse ab Ecclesiâ, sed immediatè à Deo, qui Ecclesiæ autoritatem à se institutam pro efficaciæ huius instrumento, siue cōditione sine quâ non adhibet, vt paulò ante diximus. Quod denique Dorscheus ex sententiâ Thomistarum, prædeterminationes physicas, & seueram Bellarmini aduersùs illos sententiam obiectat, rursus nugas agit. Nihil enim hâc in re est ab Ecclesiâ definitum. Autumat Bellarminus gratiam sufficientem & liberum arbitrium, ab eiusmodi Thomistis tolli, hi contrà id negant, & conantur sensum suum, saluo vtroque tueri. Nullum ergo fanatismum demonstrauit Dorscheus; ducimur diuinâ reuelatione, & infallibili publicâque Ecclesiæ autoritate, per motiuorū publicam euidentiā nobis applicatâ.

Concio externa attingit animum.

Frustra Dorscheus obijcit Thomistas.

DORSCHEVS.

Dicit denique V. *Epicuream esse vocem: magis in genere deuotionis monere, afficere, & recreare lectionem libellorum Tho. à Kempis, Tauleri, Bellarmini,* 73.

Negat pios libellos plus mouere, quam Scripturam.

larmini, Drexelij, D. de Serre, quam Cantica Canticorum &c. Qui illud legit animo occupato, ille ex ingenio omnia interpretabitur carnaliter. Qui verò iam aliquâ luce diuinâ perfusus, desiderio Spirituali excitatus, & ex N. T. cum primis illustribus ex hoc Cantico depromptis atq; deriuatis monumentis edoctus est, ille iam altiùs attollet animum, & facilè capiet ad sublimia & diuina collimare Canticum &c. Hinc plurima extant veterum Patrum de hoc Cantico elogia, quæ in summam contulit Delrio Isag. in Cantica Canticorum p. 15. &c.

RESPONDETVR.

RESP. 1. Nihil esse causæ, cur Epicureæ vocis Dorscheus hic arguat Kircherum. Epicurus summum bonum in voluptate constituit, vt communis sensus est; non ideo hoc Kircherus agere conuincitur, quia in genere deuotionis ait *plus mouere Tho. à Kempis, Taulerum &c. quàm Canticum Canticorum.* Sed ais eum, *qui iam aliquâ luce diuinâ perfusus est, altiùs attollere animum, & facilè capere mysteria huius Cantici.* Atqui nos agimus de illo, qui adhuc caligat, & dubius est de autoritate diuinâ huius vel illius libri. Is profectò ex verbis amatorijs, osculis, tactibus, mentione partium etiam verecundiorum &c. minùs multo ad pietatem & timorem Dei excitabitur, quàm cum Tho. de Kempis aut Drexelium vel similes de *Regiâ viâ S. Crucis, de Iudicio, inferno, æternitate, cælesti beatitudine &c.* leget. Nemo Catholicus negat Canticum Canticorum esse diuinum & cœlestibus mysterijs refertũ, & meritò à SanctisPatribus laudari. Id falsum est, ex stylo, vel alijs internis criterijs posse seclusâ Ecclesiæ autoritate, illa depræhẽdi, vel intelligi ab ijs maximè, qui de Canonicâ libri huius autoritate fortassis dubitarent.

Canticum Canticorum confertur pijs libellis.

RESP. 2. Nec vnam in N. T. reperiri ex Canticis Canticorum depromptam sententiam, vt vel hinc colligas, quod in Indice Testimoniorum, in nouo Testamento citatorum ex veteri, qui extat in fine Bibliorum, nihil indè hactenus quisquam inseruit. Sed videtur Dorscheus inde si non depromptum, certè deriuatum velle, quidquid in N. T. de sponsâ, vel sponso, de nuptijs itidem Christus, vel Apostoli locis ab illo corrasis dicunt.

Nihil ex illo Cantico allegatur in N. T.

dicunt. Quasi verò non pari jure possimus dicere, hæc deprompta ex Prophetis, aliisque Scripturæ libris, vbi spōsorum, nuptiarum, desponsationis fit mentio. Cum præsertim ea, quæ de his in N. T. extant, illis quæ in Cantico lubrica & amatoria incautis videri possunt, minimè sint similia, quod si tempus & otium ferret, demonstrare difficile non foret. Denique suspectum esse quis dixerit, quidquid criteriorum ante Fidem de autoritate diuinâ totius Scripturæ conceptam, ex vno libro pro altero profertur, quia si dicta criteria seclusà Ecclesiæ autoritate vacillant seorsim in libro vno, cur non & in quolibet? aut cur vnus sit maioris autoritatis, quàm alter, vel quilibet?

KIRCHERVS.

Pergit Dorscheus, & pro quintâ Kircheri obiectione ponit, quod f. 13. dicit: Lutheranos de Scripturâ ex Scripturâ non posse accipere infallibilē fidē, si quidē cōstare sibi ipsis velint. Nihil enim Fide diuinâ ac infallibili credendū esse pugnant, quod non contineatur in Scripturâ. At nullibi extat in Scripturâ Scripturam esse Dei Verbum, Quis credat igitur, aut cur omninò hoc credunt? Vt taceatur, quod si extaret maximè in Scripturâ, testimonium aliquod eiusdem de seipsâ, tamen eadem recurreret quæstio. Quærere enim aliquis posset, & meritò quidem iure quærat: vnde de hâc etiam particulâ constet? quid illi faciat fidem autoritatis diuinæ & Canonicæ? Absurdus tandem, & in infinitum progressus. *ita Kircherus.*

74
Ad §. 150. Dorsch. In Scripturâ scriptum non est, illam esse Verbum Dei.

DORSCHEVS.

Ad hæc Dorscheus dicit 1. *Scripturam dicere se esse Verbum Dei realiter per potentissimas rationes, quas admouet animo, & per diuinos motus.* Allegat Scripturas, quæ prædicant Verbi diuini efficaciam, quales attulimus supra n. 65. 2. *Dicere Scripturam id ipsum verbis, quoties singuli Scriptores dicunt se dicere Verbum Domini, aut profitentur Spiritum Domini fuisse super ipsos, aut Scriptores N. T. Scriptores V. T. singulos atq; vniuersos, vt diuinos laudant &c.* Dicit 2. §. 151. *Istam Scripturæ dictionem de seipsâ, necessariò concedi debere etiam à Pontificijs, quia est operatio primæ veritatis reuelantis, in quam formaliter fit resolutio fidei. Nisi enim efficaciter dicat prima Veritas reuelans, non poterit in illâ tanquam in apice atq; fastigio, Fides terminari.* Dicit 3. *in Scripturâ sic dicente de se, & de alijs subsistendum esse, nisi velimus in infinitum progredi, aut circumferri circulo.*

Dorschei effugia.

culo. Nónne postulant ait à nobis Pontificij, vt Ecclesiæ credamus de se, & de alijs? quid deest Scripturæ, quò minùs etiam eidem illud tribuamus?

RESPONDETVR.

Diluuntur

RESP. 1. Efficaciam, quâ Scriptura seipsâ nobis infallibiliter persuadeat *se esse Verbum Dei*, fictitiam demonstrauimus n. 65. & 66. Neque vlla vis est in eo, quod scriptores Canonici dicunt *se dicere Verbum Domini*; nam neq; omnes hoc dicunt, & idipsum dicit scriptor libri quarti Esdræ, quem non esse Canonicum consentiunt omnes. Neq; verum est, quod temere asserit Dorscheus, singulos & vniuersos Scriptores V. T. tanquam diuinos laudari in N. T. Nihil in illo allegatur ex libris *Iudicum, Paralipomenon, Ecclesiastis, Cantici Canticorum, Abdiæ, Sophoniæ*; quos libros esse Canonicos extra controuersiam semper fuit, etsi careant suffragio Scriptorum N. T.

RESP. 2. Scripturæ dictionem de seipsâ, quæ habetur in literâ quorundam librorum, non esse operationem Dei, nec propriè dici reuelationem, vti ostendimus n. 25. Dicit equidem efficaciter Veritas prima, sed non percipitur à nobis sine necessariâ applicatione: quæ fit per motiua fidei & Ecclesiæ propositionem, quæ non impediunt, quò minùs fides resoluatur in diuinam reuelationem, & in illâ tanquam apice & fastigio formali acquiescat, vt constat ex hactenus dictis præcipuè n. 8. 9. 10. Subsisti debere aut posse in solâ Scripturâ dicente de se & alijs, falsum est, neque id vnquam probauit Dorscheus. Cur verò subsistendum sit in Ecclesiâ tanquam principio simpliciter primo, hanc autem principij rationem non concedamus Scripturæ, diximus n. 46., & mox repetemus.

KIRCHERVS.

75. Obijciunt Lutherani, Scripturam esse primum fidei principium.

Obijcit enim sibi Kircherus ex mente Lutheranorum: Aliam esse rationem ipsius principij, quod supponi oporteat; aliam conclusionum, quæ idoneâ quâdam ratione ex principio deducuntur. *Addit q; multis (Lutheranorum) hanc responsionem placere, Scripturam videlicet in rebus fidei esse primũ principiũ, ideóq; aliâ probatione non indigere. Sed respondet Kircherus:* Prima illa principia, quæ naturaliter nota dicimus, supponi

poni à nobis propter euidentiam, quam habent naturalem. Cætera, quæ deducuntur ex primis & inferioribus disciplinis, in quibus supponuntur, commendari à superiori, sed nihil horum quadrare in Scripturam.

Contrarium probat Kircherus.

DORSCHEVS.

Replicat Dorscheus & dicit 1. *Sacram Scripturam se in modo etiam indemonstrabilis insinuationis, habere ad modum principiorum scientificorum. Id se docuisse in Theol. Zachar. verbis Basilij Magni, & Clementis Alexandrini, item Alphonsi à Castro*; Addit *Catharinum in claui Scripturæ pag.* 8. Dicit 2., *quod Scriptura non habet ex lumine naturæ, id habere ex lumine supernaturali & gratioso. Et tantò quidem perfectiùs, quantò id, quod obiectiuè, & effectiuè tangit animum, potentius est eo, quod tantùm obiectiuè se habet.* Retorquet denique argumentum in Ecclesiam, *quærendo, an illa in directione & propositione suâ infallibili habeat lumen euidentiæ naturalis? Si affirmet Kircherus, pugnare illũ cum suis complicibus*, intellige cũ alijs Pontificijs. *Si neget, quomodo ergo Ecclesia se credibilem non tantùm facit, sed fidem diuinam apud eum, cui se præsentat, acquirit? Vrgetur itaque ijsdem instantijs.*

Replicat Dorscheus.

RESPONDETVR.

RESP. 1. Falsum esse, quòd Scriptura seclusâ Ecclesiæ autoritate, in *modo indemonstrabilis insinuationis se habeat instar primi principij scientifici.* Deest enim illi non solùm euidentia, verùm etiam firmitas & certitudo, non quidem in se, sed quoad nos. Nescimus enim, nisi Ecclesiæ testimonium adsit, an sit verè Verbum Dei, quæ legitima eius versio, quis Canon, quis sensus? Verba eorum, quos allegat Dorscheus, non plùs habent, quàm Sacras literas *esse fide comprehendendas, esse indemonstrabiles, non nutare illarum veritatem &c.* quæ omnia fatemur. Creduntur enim fide diuinâ, neque demonstrari possunt ratione humanâ & naturali; Veritas illarum est immobilis & infallibilis in se, sed non sunt hæc nobis manifesta, nisi postquam applicantur nobis per fidei motiua, & Ecclesiæ autoritatem. Aurum abditum in terræ visceribus est nobilissimum metallũ in se, vtrùm autem hoc vel illud tale sit, non constat nobis, donec effossum & probatum fuerit. Habet quidem Scriptura ex

Veritas Scripturæ est infallibilis in se, non quoad nos, sine Ecclesiâ.

lumine supernaturali autoritatem diuinam & infallibilem in se, sed voluit Deus illius veritatem & sensum nobis innotescere per Ecclesiam. Neque effectiuè plus potest, quàm explicauimus n. 65. quæ est obiectiua quædam efficacia, quatenus obiectum per Scripturam, vel sermonem intellectui propositum vim habet ad legentis, vel audientis animum commouendum. Quæ quâ ratione maior esse videatur ex concursu gratiæ diuinæ respectu Scripturæ, quàm aliorum librorum, explicauimus l. c. responsione 3.

RESP. 2. Retorsionem Dorschei esse veram. Non habet equidem Ecclesia, vt creditur à nobis esse *Magistra & interpres infallibilis omnis Veritatis reuelatæ*, euidentiam luminis naturalis, cùm hæc eius infallibilitas non constet nobis nisi ex reuelatione diuinâ. Habet autem euidentiam credibilitatis, quâ nobis per euidentia motiua applicatur reuelatio huius infallibilitatis, siue autoritas Ecclesiæ reuelata, vt credere possimus, quod euidenter esse credibile intelligimus. Neq; plus voluit Kircherus, *quàm Scripturam euidentiâ tum veritatis, tum credibilitatis destitutam esse, seclusâ Ecclesiæ autoritate, quam actu vel virtute respiciunt omnia fidei motiua, & mysteria: ideòque illa habet rationem primi principij, & ratione euidentiæ saltem credibilitatis, similis est primis principijs scientiarum naturalium.* Vide n. 64. & 62., & quæ paulò pòst dicemus.

Mens Kircheri explicatur.

§. VIII.

Non posse Lutheranos Fide diuinâ Scripturis credere, ex defectu infallibilis traditionis & Ecclesiæ, rectè Kircherus concludit; contraria Dorschei nebulæ, vnà cum eiusdem thrasonismis dispelluntur.

KIRCHERVS.

76. Ad §. 155. Dorsch.

KIrcherus *id sub finem capitis sic probat*: Traditionem infallibilem de re ad salutem necessariâ (*extra Scripturam*) nullam agnoscunt; nullam

nullam infallibilem Ecclesiam. Interim ex ipsâ Scripturâ, cuius terminis vniuersim Fidei diuinæ claudunt assensum, autoritatem Scripturæ demonstrare non possunt. Quid superest tandem: nisi sensus quidam internus, cui quantum fidere in re tanti momenti queamus, iam supra est ostensum? Præter illum sensum discursus quidam humanus, ex miraculis, vaticinijs &c.

Scripturæ autoritas apud Euangelicos nec ex traditione, nec ex ipsâ probari potest.

DORSCHEVS.

Colligit vires Dorscheus, & vno impetu proterere conatur, quidquid hoc capite protulit Kircherus. Negat 1. *Lutheranos non habere sufficientem traditionem Sacrarum literarum. Suam ait esse traditionem, quam Scriptores Canonici in manus Ecclesiæ tradiderunt; sua scripta, quæ in V. T. etiam in sanctuario fuêre reposita; quâ S. Ioan. vltimus Anagnostes diuinorum voluminum, omnes etiam N. T. libros recensuit, suisq; adiectis Canonem compleuit, & constituit; suam itidem esse traditionem, quâ in plurimas mundi linguas sacer Codex deductus est, quâ omnibus penè seculis circa eundem laboratum est, commentando, transferendo; quâ Iudæi nostri fuerunt Bibliothecarij; quâ Græca, Ruthenica, Maronitica, aliaq; varijs rationibus affecta Ecclesiæ, seruârunt tamen sacra Volumina. Fuit ista traditio nunquam intermissa, sæpe tamen remissa & languida, vt queritur Cornel. Mussus in c. 6. ad Rom. Itaq; qui hanc traditionem nos negare contenderit, illam falsi reum acturi sumus.*

Dorscheus sibi suisque arrogat traditionem Scripturarũ.

Sed illa non est concipienda per modum dogmatis salutiferi. Non est regulæ, sed regula traditio, atq; porrectio de manu ad manum. Unde ineptissimè contra nos concluditur, nos non omnia dogmata ex Scripturâ monstrare posse, quia agnoscamus eiusmodi reuelationum traditionem. Nam dogmata sunt reuelationes diuinitus factæ. Hæc traditio non est reuelatio, sed reuelationum exhibitio, facta à multitudine fidelium in Ecclesiâ existentium: non exclusis etiam illis, qui quâcunq; ratione ad hoc cooperati sunt. Omnes Sanctos Patres & Doctores in hoc opere cum certâ discriminatione recipimus. Neque hanc traditionem tam potestati alicui & infallibilitati dependenti adscribimus, quàm ipsi Capiti & Sponso IESV, qui ne falsis dotalibus pactis sua Sponsa deluderetur, prospexit. Iudæis eloquia Dei credita sunt, Rom. 3. v. 2. veluti capsarijs, scrinarijs &c. Christianorum. Nec per infallibilitatem quandam creatam Iudæi depositum hoc custodiunt, sed Dei hîc extra, & supra Iudæos est gratiosa in Ecclesiam circumspectio.

Contendit non esse regulam, sed regulæ porrectionem.

Hæc traditio Christo adscribenda, non infallibilitati creatæ.

Respondetvr.

Resp. Per numeros à nobis distinguenda, & diluenda, quæ Dorscheus paradoxa, & à vero aliena accumulat.

I. Vti

I. Vti suprà n. 74. nihil solidè ad id respondet, quod Kircherus dicit, *Lutheranos autoritatem Scripturæ ex ipsâ Scripturâ probare non posse*, ita nunc friuolum effugium quærit in admittendâ & asserendâ hâc vnâ traditione de Veritate Scripturæ. Cùm enim illi affinxerit rationem primi principij, illúdq; hactenus contenderit per *interna criteria seipsum animo instar lucis* cui illam comparauit n. 25. *insinuare*, non ergo opus habet traditione, imò nec illius capax est. In solis luce demonstrandâ qui traditionem quærit, aut cæcus est, aut insanus. Pugnat itaque secum Dorscheus.

Ratio primi principij excludit traditionem.

II. Ait. *Scriptores Canonicos in manus Ecclesiæ tradidisse sua scripta.* Nihil juuat, si Ecclesia in illis conseruandis falli potuit aut fallere. Neque plus præsidij in eo est, quòd in Sanctuario fuerunt reposita, nisi postquam Ecclesia inde illa accepit, infallibili fidelitate custodiuit.

S. Ioannes anagnostes Bibliorum non fuit.

III. S. Ioannem appellat *vltimum diuinorum voluminum anagnosten, qui omnes etiam N. T. libros recensuerit.* Figmentum merum. Dic Sodes, vbi S. Ioannes in suâ Apocalypsi recenset libros Veteris aut Noui Testamenti? Vbi vel suum Euangelium, vel Epistolas saltem suas, nedum alios Scripturæ libros nominat? vt taceam Lutheranos à Luthero deficere, dum Apocalypsin inter Canonicos libros numerant.

Multitudo versionum non est ab Apostolis.

IV. De *Scripturâ in plurimas linguas traductâ*, offutiæ sunt meræ. Ante Lutheri tempora raræ reperiebantur Bibliorum translationes; neque legimus Apostolos etsi omnium loquerentur gentium linguis, Scripturam ex Hebræo, Græco, vel Latino, in aliud transtulisse idioma. Quod argumento est ex sententiâ Apostolorum, non incumbere laicis necessitatem legendi Biblia, neque ab illis manâsse morem, versiones vernaculas multiplicandi. Quæ si fidelibus necessariæ forent, aut tantopere salutares, huius rei curam Apostoli nō neglexissent.

Neq; traditio à malè sentientibus Ecclesijs.

V. Quod verò dicit, *Græcam, Ruthenicam, Maroniticam, aliásq; diuersis rationibus affectas Ecclesias, seruâsse tamen Sacra volumina,*

mina, nugas agit. Fruſtratorium enim eſt, ab illis Eccleſiis veras Scripturas petere, quæ contrarijs imbutæ opinionibus, & manifeſtos profeſſæ errores, tam ſuſpectæ fidei eſſe debent, in veris Scripturis ſeruandis, quàm nullius fidei ſunt in ijſdem interpretandis. Conſtat autem, has aliáſque Eccleſias frequenter in hæreſes declinâſſe, maximè Arij, Neſtorij, Eutychetis, Donati &c. Quæ Cornelius Muſſus de neglectu Scripturarum nimis oratoriè exaggerat, ad traditionem de Scripturis nihil faciunt.

VI. Hanc traditionem *non eſſe dogma ſalutiferum, neq; eſſe regulam, aut reuelationem diuinam, ſed nudam dogmatum, ſiue reuelationum, & regulæ de manu in manum porrectionem*, vti fingit Dorſcheus, manifeſtè refellitur. 1. Illud eſt dógma ſalutiferum, quod ſub periculo ſalutis æternæ quiſque tenetur amplecti: ſed in Biblijs verè contineri Verbum Dei, verus Chriſtianus tenetur credere, ídq; ſi negaret, nec Chriſtianus, nec in viâ ſalutis eſſet; Ergo &c. 2. Illud eſt regula, quod dirigit, aut menſurat; traditio de veritate Sacrarum literarũ fideles dirigit, vt ſciant, quibus, & quot libris contineatur Verbũ Dei. Eſt deinde menſura Canonis; quemcumque enim librum hæc traditio Canonicum eſſe aſſerit, talis eſt; quemcunque talem eſſe negat, Canonicus non eſt; vt adeò, quod regulæ & menſuræ proprium eſt, nihil huic traditioni fas ſit demere, vel addere. 3. Eadem hæc traditio, prout ſumitur pro re traditâ, eſt verè reuelatio diuina tradita, ſiue non ſcripta, ſicuti quidquid continetur in Scripturis Canonicis, eſt reuelatio diuina ſcripta. Hoc inde euincitur, quia extare aliquod Verbum Dei ſcriptum, illúdq; contineri in his vel illis libris, non eſt per ſe, nec lumine naturali notum; ergo non aliter quàm per diuinam reuelationem id hominibus innotuit, eáque notitia perpetuâ traditione ad nos eſt deriuata. Neque vllatenus repugnat idem eſſe *regulam, dogma, reuelationem veluti generalem*, & ſimul *traditionem regulæ, dogmatum, reuelationum in particulari*, quatenus ex reue-

Traditio Scripturæ eſt dogma & regula.

Non repugnat, idem eſſe dogma & traditionem.



latione

latione per traditionem ad nos vsque deuolutâ, *Hos & tot libros esse Canonicos:* omnia ijsdem contenta tanquam fide credenda, exhibentur & porriguntur.

VII. Nugatur, *hanc traditionem factã esse à multitudine fidelium in Ecclesiâ existentium;* neque excludit illos, *qui quacunque ratione ad hoc cooperati sunt.* Atqui Dorschee secundùm te tota Ecclesia & omnes isti sunt fallibiles, ac vel maximè hæretici, qui & ipsi ad conseruandas Scripturas, vertendo, commentandóque cooperati sunt. Ergo tota hæc Bibliorum & dogmatum traditio, secundùm te, velis, nolis est fallibilis. Non enim est firmius testimonium, quàm sit veracitas & autoritas testantis, hanc autem fideles neque collectim, neq; diuisim habent infallibilem secundùm Lutheranos. Vbi formare licet argumentum simile illi, quod suprà n. 16. formauit, neq; vnquam dissoluit Dorscheus. *Idiota de prælegentis sibi sinceritate, vel veracitate semper dubitare potest.* Ergo ex prælectione Bibliorum non potest esse certus de eorum veritate. Sic dicamus: *De Iudæorum & Fideliũ Scripturas de manu in manum tradentium sinceritate & veracitate Lutherani semper dubitare possunt, vtpote quos omnes fatentur esse fallibiles.* Ergo ex traditione, quam illis arrogat Dorscheus, certi non sunt de veritate diuini Verbi, adeóque ad certitudinem Fidei illa non sufficit.

Traditio Scripturarũ secundùm Dorscheum fallibilis.

78. VIII. Denique vertigine circumactus ait: *Neq; se hanc traditionem tam potestati alicui & infallibilitati dependenti adscribere, quàm ipsi Capiti & sponso IESV &c.* Rectè; neque nos Catholici infallibilitatem traditionis huius, vel alterius, tam infallibilitati creatæ, & dependenti, quàm increatæ & independenti: vtrique tamen adscribimus. Fons infallibilitatis omnis est Deus, qui per Ecclesiam veluti canalem, reuelationes suas, & vel maximè illam, quæ est de veritate Bibliorum ad nos transmisit. Est ipse prima Veritas & infallibilitas, communicat autem Ecclesiæ infallibilitatem quandam, firmitati boni canalis similem, qui rimas non habeat: sed ex fonte suo aquam sine vllius guttæ

Dorschei vertigo.

Fons infallibilitatis Deus, Ecclesia est canalis.

guttæ emiſſione, aut admiſſione ſinceram deuehat. Habet itaque hæc traditio à Deo infallibilem ſinceritatem tanquam à fonte, ab Eccleſiâ tanquam à canali. Cùm enim Verbum diuinum tranſcendat captum noſtrum, & diuinæ ſapientiæ viſũ fuerit, non per ſeipſam immediatè, ſed per Eccleſiam eiúſque Paſtores & Doctores nos docere, & dirigere in viam veritatis & ſalutis, Luc. 10. v. 16. Rom. 10. v. 17. Epheſ. 4. v. 11. 1. Tim. 3. v. 15. neceſſarium fuit, vt infallibilitatem in docendo & dirigendo illis communicaret. Vide etiam, quæ diximus ſuprà num. 8. 9. 10.

Dorſcheus equidem, dum traditionem hanc non tam infallibilitati creatæ, quàm Christo aſſignat, eo ipſo infallibilitatem creatam ſiue dependentem in Eccleſiâ nolens volens agnoſcit; qui enim vni comparationis membro exceſſum tribuit, non ideo alterum excludit, alioqui comparatio locum non haberet. Traditio igitur Scripturæ, etſi principaliter infallibilitatem habet à Deo, habet tamen etiam ab Eccleſiâ tanquam per medium infallibile. Dorſcheus verò comparationem hanc penitus euertit, & ſecum ipſe pugnat, dum paulò pòſt dicit: *ſe infallibilitatem creatam, & dependentem neceſſariam non putare.* Quomodo enim hæc neceſſaria non eſt, cui non quidem *tam*, ſed tamen *etiam* traditionem hanc adſcribendam putat? Non tam principaliter neceſſaria eſt approximatio ignis, ad calefaciendum, quàm ipſe ignis, eiúſque calor: eſt tamen neceſſaria tanquam conditio ſine quâ non; taliter ſe habet infallibilitas Eccleſiæ Catholicæ, quâ carent Acatholici, etſi id fruſtra negat Dorſcheus n. 2. §. 159. cuius argumenta euaneſcent inf. c. 7. vbi cum Kirchero oſtendemus, veram Eccleſiam non poſſe errare in fide.

Dorſcheus infallibilitatẽ creatã ipſe adſtruit.

Sufficit hic demonſtraſſe 1. Dorſchei aſſertum de traditione Scripturarum non cohærere cum criterijs internis illarum, & naturâ lucis, quam iiſdem tribuit. 2. Tandem traditionem eſſe dogma ſalutiferâ fide credendum, adeóque credi à Lutheranis

Dorſcheus, dupliciter ſibi contrarius.

ranis dogma, quod ex Scripturis demonstrare non possunt. Non posse enim inde demonstrari, ipse Dorscheus agnoscit, dum ad traditionem recurrit, illámque negat esse dogma, ne fateri cogatur, extare dogma fidei non scriptum. In quo sibi rursus contradicit, paulò enim suprà § 150. contendebat contra Kircherum, *Scripturam dicere, se esse Verbum Dei*, potest ergo demonstrari ex illâ, quod refutauimus n. 74. 3. Hanc traditionem non consistere sine Ecclesiæ infallibilitate. 4. Deniq; quod arrogantissimè hanc *traditionem Scripturarum per tot secula continuatam*, & *quidquid per totum orbem hâc in re laboratum est, sibi suisq; Lutheranis vindicat*, pari iure facit, quo omnes ferè horum temporum Sectarij, Scripturas sibi arrogant: ídque efficiunt, vt Biblia dicantur Liber hæreticorum, abusu videl., cùm legitimo vsu sint Liber proprius Orthodoxorũ. Sic prædones sua dicere solent, quæcunque rapiunt; sic alienis ornata plumis mouet cornicula risum.

---

§. IX.

Duo, quæ Dorscheus, in capitis coronidem reseruauit, ex Bibliorum criterÿs, & quorundam Catholicorum sententiâ desumpta, causam illius non iuuant; neque autoritati Ecclesiæ quidquam officiunt.

DORCSHEVS.

79. PRimum est, *quia Kircherus discursum circa scriptores ex motiuis formatum, vocat humanum, & non nisi doctissimis quibusdam, atq; in omni eruditionis genere versatissimis peruium &c.* quærit Dorscheus, *quid de motiuis Ecclesiæ Kircherus iudicet?* Et postquam subdit: *putare Papistas, suis motiuis & Notis inuictè ostendi Ecclesiam*, allegans eam in rem Bellarminum l. 2. de Eccles. c. 3. n. 1. & 2. asserit, *se alibi ostendisse è Bellarminianis ad docendam veram Ecclesiam notis, vix vnam esse, quæ non longè euidentiùs & efficaciùs Scripturæ sacræ competat.* Tum verò sic instat: *Quæ si de Ecclesiâ demonstrantur, eam faciunt euidenter credibilem &c. illa si pari ratione de Scripturâ demonstrantur, eam etiam credibilem faciunt, nec con-*

Dorscheus ab infallibilibus Ecclesiæ motiuis arguit ad criteria Scripturæ.

ficiunt

ficiunt tantùm eiusmodi discursum humanum &c. qualem Kircherus nominat & describit. *Quia vbi est eadem demonstrantium mediorum applicatio, ibi eadem est demonstratiua operatio.* Vtiq; ergo, si ad Sacram Scripturam (dicta motiua siue criteria Ecclesiæ) *accommodentur demonstratione idoneâ, idem præstabunt.*

Respondetvr.

Resp. 1. Diuersam valde esse rationem motiuorum, siue criteriorum, quæ Scripturæ assignat Dorscheus; & eorũ, quæ Ecclesiam Dei faciunt euidenter credibilem. Etsi enim vtraq; pariunt discursum naturalẽ, eóq; sensu humanũ; habet tamen discursus de verâ Ecclesiâ euidentiã credibilitatis illi cognitioni similẽ, quę hauritur ex creaturis de Deo vero & vno. Discursus verò ex criterijs de Scripturarum diuinarum veritate formatus, non est euidens, sed probabilis solùm: quem non nisi doctissimis peruium esse, verum est, cùm eiusmodi motiua intellectum minimè conuincant, vt demonstratum est n. 62. Secus est de motiuis & notis veræ Ecclesiæ, quæ simpliciter eã demonstrant, & non solùm in ordine ad hominem, qualia sunt quæ explicauimus n. 30. Illa enim priora, intellectum bene dispositum, etsi nullis scientijs eruditum ita conuincunt, & extra omne dubium credibilitatis constituunt, vt confidenter vsurpare liceat illud Rich. de S. Victore l. 1. de Trin. c. 2. *Domine si error est in his, quæ credimus, à te decepti sumus &c.* Hinc experimur, plurimos etiam Magnates & Principes, eiusmodi motiuis ad Fidem Catholicam amplectendam permoueri, qui in Philosophiâ, Theologiâ, aliisque scientijs addiscendis, operam posuerunt aut nullam, aut vix vllam.

Discrimen inter vtraq; motiua.

Resp. 2. Etsi daremus, diuinam Scripturæ autoritatem ex criterijs infallibiliter & necessariò concludi, non ideo illi simpliciter eiusmodi notæ fidem conciliarent. Neq. vllatenus verum est, ex *Bellarminianis ad veram Ecclesiam docendam notis, vix vnam esse, quæ non longè euidentiùs & efficaciùs Scripturæ competat, quàm Ecclesia.* Ratio generalis est, quia Scripturæ non

Scripturæ non tam in literâ, quàm in sensu sitæ.

tam in literâ, quàm in spiritu, siue vero sensu & intellectu sitæ sunt. Quod nucleus nuci, medulla ossi, vaginæ gladius, gemma annulo, corpori anima est, hoc verus sensus est Scripturæ siue Biblijs. Nihil prodest litera sine vero sensu, quo ignorato rapitur in diuersos errores, ideóque dicitur liber hæreticorum, qui rectè intellectus est vnicè liber Orthodoxorum, siue Catholicorum, vt verum sit illud Cor. 2. c. 3. v. 6. *Litera occidit, spiritus autem viuificat.* Hunc spiritum, siue sensum à Spiritu S. intentum, Criteria Dorscheana minimè demonstrãt. Etsi enim *stylus, visiones propheticæ, mysteria fidei, promißiones, harmonia, miracula, vaticinia,* præbeant argumentum aliquod Verbi diuini in Biblijs contenti: legitimus tamen sensus inde non discernitur, ad quem reperiendum alijs facibus opus est, neque alijs, quàm quas Ecclesia præfert. Vt adeò hoc vno ictu prosternatur inanis Criteriorum apparatus, quem pro Biblijs Dorscheus, ipsiúsque socieni, non dudum instruere cæperunt. Sed percurramus Bellarminianas Ecclesiæ notas, ostendamúsque, ne vnam quidem Scripturæ juxta Acatholicorum sensum intellectæ conuenire. Tradit Bellarminus notas quindecim, lib. 4. de Ecclef. à. c. 4. vsque ad libri finem, totidem capitibus singulas singulis.

Sensus Lutheranus ex criterijs non demonstratur.

Notas Ecclesiæ à Bellarmino aßignatas, Scripturis iuxta Euangelicorum sensum, neutiquam conuenire.

Nomen Catholicorum.

I. *Est ipsum Ecclesiæ Catholicæ, & Catholicorum nomen*, quod post omnium à Christo seculorum vsum, etiam Pax Westphalica nobis ipsorummet Euangelicorum suffragio, veluti proprium stabiliuit, Catholicorum nomine nos identidem indigitando. Quæ appellatio non magis Lutheranæ Scripturarum interpretationi conuenit, quàm Ecclesiæ, id est, neutri. Nemo enim sensum, quem Euangelici cum Luthero Scripturis affingunt, verè vocat Catholicum, sed Lutheranum. Etsi verò nomen Catholicum sibi frequenter in libris maximè arrogent,

nequaquam

nequaquam tamen id vel ſibi, vel ſuis, vel nobis hactenus perſuaſerunt, nomine Catholico ipſorum ſeu Eccleſiam, ſeu doctrinam ſimpliciter deſignari, aut eius poſſeſſione nos deiectos eſſe.

II. *Eſt antiquitas.* Hæc 1. magis conuenit Eccleſiæ, quia eſt antiquior Scripturâ; libri enim N. T. pluribus poſt Chriſti mortem & aſcenſionem annis, & aliqui ſub finem ferè primi ſeculi ſcripti ſunt, longè poſt Eccleſiam cæptam & propagatã. 2. Cùm Scriptura (cuius legendæ neceſſitatem quibuſuis Acatholici imponunt) linguarum imperitis non ſit vſui; in linguas autem vulgares, neq; ab Apoſtolis, neq; progreſſu temporis à viris Apoſtolicis aliiſue ante tempora Lutheri, paſſim translata fuerit: ideo ſaltem in Biblijs vulgaribus valde deficit antiquitas. 3. Senſus Scripturæ, quem à Ducibus ſuis Luthero, Zvvinglio, Caluino excogitatum ſequuntur Acatholici, nullum ex antiquitate habet ſuffragium. PP. enim & DD. vſque ad Lutheri tempora, Scripturam ſenſu Catholico fuerunt interpretati. Interpretationes autem contrarias, & Lutheranis ſimiles inter hæreſes recenſuerũt, vt Philaſtrius, Epiphanius, Tertullianus, Auguſtinus, Theodoretus, Damaſcenus &c. Antiquitas.

III. *Eſt Duratio nunquam interrupta, neq; interrumpenda vſq; ad finem ſeculi*, juxta illud Daniel. 2. v. 44. *Regnum, quod in æternum non diſsipabitur.* 1. De Scripturâ incertum eſt, vtrùm vſq; ad finem ſeculi ſit conſeruanda; nulla de hoc extat prophetia. Sicut ab initio Eccleſia ſtetit ſine Scripturis (quas ſuo tempore *ad multas gentes etſi Chriſtianas necdum perueniſſe* teſtis eſt Irenæus l. 3. c. 4.) ita deinceps quoq;, ſi Deus vellet, abſq; iiſdem conſiſtere poſſet. 2. Senſus, quem commenti ſunt noſtrorũ temporum Sectarij, ab illorum exortu duntaxat durauit, id eſt ab initio ferè ſeculi decimi quinti, ſed inconſtanter. Interpretatio Lutheri vix nata A. 1517. mox areſcere cæpit A. 1525. Zvvinglio aliter Scripturas præcipuè de cænâ Domini, interpretante; hunc poſtea oppugnauit Caluinus. Neq; aliud fatum Duratio non interrupta.

tum.

rum impendet his aliisque sensus Scripturarum deprauationibus, quàm subierint veteres hæreses, vt videlicet instar illarum penitus euanescant.

Amplitudo, siue diffusio.

IV. *Est amplitudo, siue diffusio & propagatio in omnia loca, omnes nationes, & omnia hominum genera.* Quæ nota nec literæ quidem siue textui Bibliorum conuenit, vt patet ex testimonio Irenæi. Neque constat, vtrùm ad omnes alias nationes, quæ crediderunt aliquando, vel credent prædicationi fidei, peruenerit, vel peruenturus sit integer textus Bibliorũ. Id certum est, non perueniſſe ad omnes in linguâ vulgari. Quod sensum porrò attinet, interpretatio, quam Scripturis adhibent Lutherani, Zvvingliani, Caluiniani, nunquam peruasit vel occupauit vniuersi orbis loca, & nationes, aut omnia hominum genera; angustis tenetur limitibus.

Successio Episcoporum.

V. *Est successio Episcoporum in Romanâ Ecclesiâ ab Apostolis hucusq; vnde dicitur Apostolica.* Etsi textus Bibliorum, per successionem temporum & personarum ad nos vsq; (vt nunc taceamus de Canone) sit deriuatus, sensus tamen ab Acatholicis prætensus hâc successione penitus destituitur. Neq; enim aliter potuit ille haberi, quàm per Episcopos (quos Acatholici veri nominis habent nullos) Pastores & Doctores (quos post *suam in cælum ascensionem nobis Christus ad vitandam circumuentionem erroris* reliquit. Ephes. 4. v. 11.) legitimi sensus interpretes & magistros. Ex his autem nulli proferri possunt, qui inter Apostolorum & Lutheri tempora ex eius aliorúmque Sectariorum sensu Scripturas intellexerint, aut intelligendas docuerint, nisi qui hæresis aut erroris notam meruerunt: illis testibus, qui absque vllâ malæ fidei suspicione hæresum & hæreticorum Catalogos nobis reliquerunt paulò suprà nominati. Ridiculi verò sunt Euangelici Nouatores, qui se suásq; Scripturæ interpretationes pro Apostolicis venditant, cùm nullos possint intermedios Pastores & Doctores edere, qui sensum Ecclesiæ Catholicæ contrarium, veluti ab Apostolis assertum aut traditum

ditum crediderint, & tenuerint. Perinde ſcil. faciunt, vt illi, qui nobiliſſimis proauis ſe progenitos mentientes, auos intermedios promunt nullos, per quos ſtirpis falsò iactatæ faciant fidem.

VI. *Eſt Conſpiratio in doctrinâ cum Eccleſiâ antiquâ.* Hanc notam non conuenire cum Bibliis Acatholicè intellectis, conſtat ex notâ priore. Neque enim ſucceſſio Epiſcoporum aliter poteſt aptari Scripturæ, quàm per eiuſdem interpretationem. In quâ neutiquam conſpirârunt cum interpretatione Lutheranorum vel Caluinianorum, ſed cum noſtrâ Romano-Catholicorum. Cuius rei teſtimonium aduerſus ſeipſos ferunt Centuriatores, in ſingulis Centurijs, ferè c. 4. & deinceps. *Vbi notant Patres & Doctores cuiuſq; ſeculi, eadem ferè dogmata tradidiſſe, quæ Pontificij tuentur.* Etſi mitiori vocabulo næuos Patrum vocant, quę nobis veluti hæreticos errores, improperant valde præpoſterè. Multò enim magis veniam nos meremur, qui tot ſanctiſſimorum, doctiſſimorúmque Patrum per tot ſecula conſpiratione permoti, illorum veſtigijs inhæremus, quàm ipſi: ſi temporibus Apoſtolorum vicini, eorundémque nonnulli auditores & diſcipuli, Chriſtianam & Apoſtolicã doctrinam vel ignorârunt, vel ſuperſtitioſis erroribus aſperſam nobis reliquerunt. Incredibile eſt Euangelicos cum antiquâ Eccleſiâ conſpirare, ex quâ neque vnum Epiſcopum, Paſtorem, Doctorem pro Orthodoxo habitum proferre poſſunt, qui doctrinam Confeſſionis Auguſtanæ tenuerit: cum ex aduerſo (quod ſæpe repetendum eſt) ex hæreticorum Catalogis, ſiue matriculis, quas plures ſanctiſſimi doctiſſimique Patres, (interq; illos Auguſtinus ab ipſismet Sectarijs paſſim laudatus) conſcripſerunt: manifeſtum ſit, Lutheranorum Caluiniorúmque dogmata ex veterum hæreticorum erroribus, quos Sancti iſti recenſent, & deteſtantur, pullulâſſe: quæque ſinguli olim hæretici delirârunt, nunc à Luthero, & Caluino in vnam veluti *ollam putridam* eſſe congeſta.

Conſenſus doctrinæ cũ antiquitate.

Centuriatores nobis illum tribuunt; perperam Patres ſolùm de næuis accuſant.

81. Vnio. VII. *Est Vnio membrorum cum Capite, & inter se.* Neque hæc nota aliter Scripturæ conuenit, quàm vt in explicatione eiusdẽ membra Ecclesię, cum suo capite, & inter se conspirant: ideóq; in Symbolo Constantinopolitano dicimus *vnam Ecclesiam.* Hác autem interpretationis & doctrinæ vnitatem minimè habent Lutherani, quos in grauissimis fidei articulis dissidere, demonstrat Laur. Forerus in Bello Vbiquistico veteri & nouo, ipséq; Lutheranus Hospinianus, in Concordiâ discorde. Neq; Lutherani habent in terris Ecclesiæ vnum caput, sed tot capita, quot Principes, aut Magistratus in Rebuspublicis; his enim doctrinam & ministerium suum subijciunt Prædicantes, & mandata desuper recipiunt. Confirmant id Libri ordinationum Ecclesiasticarum (die Kirchen Ordnungen/) item decisiones Controuersiarum in Fide & Theologiâ: quæ nec prodeunt, nec fiunt nomine & autoritate Ministrorum, sed Principum, vti apparet ex mandatis, quæ eiusmodi libris præfiguntur. Denique non potest esse solida inter Lutheranos, alióśq; Sectarios vnio, siue doctrinæ vnitas. Cùm enim fateantur Ecclesiam suam esse fallibilem, incerti sunt, vtrùm illa in Scripturæ intellectu & interpretatione, hactenus non fuerit decepta. Coguntur præterea doctrinam suam submittere iudicio cuiusuis priuati, neq; possunt cuiquam (si secum ipsi consentiant) imponere onus credendi, nisi reperiat doctrinam sibi propositam conuenire cum Scripturâ. Quod an repererint vel reperturi sint, totum fallibile & incertum est. Vide num. 32.

Sanctitas, quam euertit Acatholica Scripturæ interpretatio. VIII. *Est Sanctitas doctrinæ*, à quâ Ecclesia in Symbolo dicitur *Sancta.* Hanc vtiq; habet Scriptura rectè intellecta; magnam autem eius partem, si non totam, sustulit aut eneruauit praua Acatholicorum interpretatio. 1. Incitamenta bonorũ operum remouendo, dum negant esse meritoria, & asserunt à peccato originali inquinari, nec quidquam ad iustificationem conferre. 2. Iustitiam veram transformando in imputatiuã,

quâ

quâ non aliter homo sit iustus, quàm leprosus candidâ purâq; veste tectus est mundus, aut stercus aureâ telâ inuolutum est aureum. 3. Facilitate solius fidei iustificantis, licentiam & præsumptionem peccandi fouendo, eóque ipso à studio operum pœnitentiæ retrahendo. 4. Ieiunia aliáque carni reprimendæ idonea, contra morem veteris Ecclesiæ abrogando. 5. Statum Religiosum, qui innumeros Sanctos Ecclesiæ Dei peperit, itidem abolendo. Quæ aliáq; Sanctitatem Doctrinæ in Scripturis contentæ euertentia, hìc persequi longum est.

IX. *Est efficacia doctrinæ, in conuertendis populis* ad Fidē Christi. Hæc nota nullatenus conuenit doctrinæ, quam ex prauâ Scripturæ interpretatione haustam, orbi intulerunt Lutherus, Zvvinglius, aliiq;. Neq; enim vllam gentem, ab idolorum cultu ad Christum traduxerunt ipsi, corúmque Sectatores. Nemo sanæ mentis sibi persuadeat, illos esse veri Euangelij præcones, aut legitimos Verbi diuini interpretes, quos Deus ad Euangelium gentibus prædicandum nunquam adhibuit. Efficacia doctrinæ in conuertendis populis.

X. *Est Sanctitas Vitæ Autorum*, siue primorum Patrum nostræ Religionis, qui post Apostolos fidem Christi per orbem propagârunt: non alio sensu Verbum Dei tum scriptum, tum non scriptum interpretantes & prædicantes, quàm illo, quem hodiéq; tenet Ecclesia Catholica. Hos Sanctos fuisse, neque ipsi aduersarij negant, cum Lutheri, Caluini, Zvvinglij, aliorúmque similium principalium vitia sint in aperto; quósque sanctos non fuisse, vita ipsorum, exemplis Sanctorum è diametro aduersa, conuincit. Adde Ecclesiam Romanam Catholicam, innumeris semper fulsisse, ac fulgere Sanctis: cum Euangelici ab Euangelij sui ortu, nec vnum proferre queant, quem cordatè nostris Sanctis comparent, & in numero cælitum reponant. Sanctitas primorum Patrum.

XI. *Est Gloria miraculorum.* Hanc inter criteria Scripturæ numerat Dorscheus, quod ingentia ibi scil. miracula recenseantur. Sed potuerunt ea humanâ industriâ annotari, idéoque Gloria miraculorum.

non conuincunt in Biblijs contineri Verbum Dei ipsissimum, vti monuimus n. 63. Vt verò id probarent, non tamen eiusmodi narratio demonstrat verum sensum, sine quo Scriptura est litera mortua. Sed neque Acatholici, nouitiíq; interpretes, vllis miraculis interpretationem & doctrinam suam confirmârunt: etsi Fidem Catholicam Romanam non tam reformârint, vt falsò prætendunt, quàm eâ penitus euersâ, nouam Religionem sint commenti, quam vtique sequentibus signis Deus cõfirmâsset, si autor ille esset. Omittimus temerarias & proiectas quorumuis miraculorum elusiones, â quibus abstinerent, si candoris & pudoris haberent rationem, quam deberent. Vide in parte I. Vindiciarum Christ. Besoldi cap. 6.

82. Lumen Propheticum.

XII. *Est Lumen propheticum.* Referta est quidem Scriptura illustribus prophetijs ac vaticinijs, quæ partim impleta sunt, partim implebuntur. Sed non magis hinc, quàm ex narratione miraculorum, conuincitur diuina Bibliorum autoritas, aut eruitur legitimus sensus. Quin omnem huius notæ speciem, Acatholici sibi ipsis adimunt, dum clarissimas de Ecclesia N.T. prophetias, illi conuenire negant, eásq; in alienum sensum detorquent. Nullo denique isti interpretes prophetiæ oraculo, sibi autoritatem conciliârũt, sed falsis potiùs vaticinijs meruerunt, vt nulla ipsis fides haberi debeat. Sic Lutherus Cochleo in eius Actis teste, A. 1525. prædixit, *intra biennium vi prædicationis suæ, secuturum Papæ, Cardinalium, Episcoporum, Monachorum, Monialium, Turrium, Campanarum, Missarum &c. omnimodum exterminium.* Sed stat Papatus nunc post falsi huius prophetæ mortem, vltra centum annos, & stabit vsque ad consummationem seculi.

Confessio Aduersariorum.

XIII. *Est Confessio Aduersariorum*; id est, Sectariorum. Lutherus libro contra Anabaptistas, fatetur *sub Papatu plurimum esse boni Christiani, imò omne bonum Christianum, atq; etiam illinc ad se suósq; deuenisse &c.* Dicit insuper, sub *Papatu veram Christianitatem, imò nucleum Christianitatis esse.* Vnde bene infert

Bellarm.

Bellarm. l. c. cap. 16. *Si Lutherus nobis nucleum tribuit, certè sibi nihil seruat, nisi corticem, vel putamina.* Apologia Conf. Aug. art. 5. & 2. vocat Sanctos *Bernardum, Dominicum, Franciscum.* Caluinus c. 10. Instit. §. 17. Bernardum vocat *pium Scriptorem*, nemo autem est pius aut Sanctus sine verâ fide, & vero Verbi diuini intellectu. Tigurini, eorúmq; socij Articulo 1. Fæderis A. 1531. cum Catholicis initi (cuius copiam authenticam legimus) promittunt, *se velle deinceps confæderatos suos quietos dimittere, circa veram indubitatam, & Catholicam Fidem suam,* **Sie wöllen jhre Bundsgenossen ruhig lassen/ bey dem Wahren vngezweiffleten/ vnd Catholischen Glauben.** Liceat vsurpare illud Deuteron. 32. v. 31. *Non enim est Deus noster* (& Religio nostra) *sicut Dÿ* (siue sectæ) *eorum, & inimici nostri sunt judices.* Nunquam Catholici reperiuntur laudâsse, vel approbâsse doctrinam, siue interpretationem Scripturæ à Sectarijs excogitatam, in quâ errores suos fundant; vnde hâc notâ penitus destituuntur quoad Bibliorum sensum, quin etiam quoad Canonem & versionem; neq; enim illum, vel hanc probamus.

XIV. *Est infelix exitus seu finis eorum, qui Ecclesiæ oppugnandæ fuerunt duces*, quod aliter plerique non fecerunt, quàm peruersâ Scripturarum interpretatione, temerariâ mutilatione, & intra earum solos terminos, vniuersæ Fidei Christianæ vsurpatâ inclusione. Omittimus veteres hæresiarchas; Lutherum *post oppiparam vesperi cænam, & intempestiuas facetias mortis improuidas, nocte extinctum* narrat Cochlæus. Zvvinglium *in bello contra Catholicos trucidatum*, eiúsque Achatem Oecolampadium, *cum vesperi sanus cubitum isset, ab vxore manè in lecto repertum mortuum* narrat idem Cochleus in Actis Lutheri A. 1531. Andreã Carolstadium Zvvinglij & Caluini pessimorũ magistrorũ, pessimũ discipulum *à dæmone interfectum, Ministri Basileenses testantur in epistolâ, quam de eius morte* ediderunt. Caluinũ *à vermibus consumptum, inter blasphemias, dæmonúmque compellationes obÿsse* affirmat Bolsecus in eiusdem vitâ. O quam dissimili morte

Infelix exitus hæresiarcharum.

defuncti sunt *Bonifacius, Rupertus, Chilianus, VVilibaldus, Magnus*, aliíque Germanorum Apostoli, qui nobis Christum prædicârunt juxta Verbi diuini & Scripturarum sensum, quem tenet & tradit Sancta Mater Ecclesia Catholica, & Romana! de quibus cordatè dicimus: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.*

Felicitas temporalis Catholicorum.

XV. *Felicitas temporalis* diuinitus illis collata, qui Ecclesiam, & Verbi diuini doctrinam, quam illa tenet, professi sunt, eámque defenderunt. Hanc veræ Religionis notam egregiè explicauit Achior Iudith 5. *Non fuit*, ait, v. 17. *qui insultaret populo isti, nisi quando recessit à cultu Domini Dei sui*, & v. 21. *Vsque dum non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona, Deus enim illorum odit iniquitatem.* & v. 24. *Perquire, si est aliqua iniquitas eorum, in conspectu Dei eorum: ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi &c, Si verò non est offensio populi huius coram Deo suo, non poterimus resistere illis, quoniam Deus eorũ defendet illos &c.* Non igitur sibi Sacrarum literarum deprauatores, hanc notam ex victorijs suis aut qualicunq; prosperitate, meliori arrogant jure, quàm arrogare sibi potuerint olim Philistæi, Amalecitæ, Assyrij, Chaldæi &c, cum eis populum Israël & Iuda, ob peccata eorũ Deus tradidit. Vel hodie possint Turcæ aliíque, qui terras Christianorum & Fidelium occupârunt, vel occupant culpâ ipsorum, non falsæ Religionis merito. Vide Vindicias Politicas aduersùs Pseudopoliticos, & Suppetias Pseudologicas Casp. Scioppij. cap. 3. §. 2. & seqq.

Ex hâc notarum Bellarminiarum recensione, euidenter refellitur, quod dixit Dorscheus, *vix vnam esse, quæ non longè euidentiùs & efficaciùs Scripturæ competat.* Est enim nec vna nota quidem, quæ aliquâ saltem, nedum maiori ratione, ad mentem Euangelicorum Biblijs conueniat. Quia nulla illarum suadet, vel probat sensum & interpretationem, quam inuexerunt Lutherus, Caluinus, Zvvinglius &c. esse veram ac legitimam. Sine sensu autem vero, litera Scripturæ est vel mortua, vel occidens.

cidens. Imò neq; integra est & perfecta sine vero Canone, & authenticâ versione, quorum vtroque carent Euangelici: neq; ex vllis notis vnum possunt demonstrare vel alterum, vt deinceps patebit magis. Contra, hisce notis radians Ecclesia Catholica Romana, omnibus qui in corde bono & optimo, illas intuentur, euidenter apparet credibilis: quæ à Deo instituta, & à S. Spiritu gubernata, in Scripturarum interpretatione, & vniuersâ fidei doctrinâ nec fallere possit, nec falli.

DORSCHEVS.

Sed alterum quoque Dorschei Achillem sternamus. *Quia Kircherus,* 83.
ait, *tantopere vrget assensum illum, quem principio, hoc est, reuelationibus diuinis præstamus, non alium quàm diuinum esse oportere: Quia propter vnum quodq; tale, idipsum magis tale esse necesse sit: ipsi in memoriam reuocamus, recentiorum quorundam Pontificiorum apud Tanner. to. 3. d. 1. q. 1. dub. 4. p. 26. n. 76 & seqq. sententiam, ipsam videl. reuelationem diuinam, Prophetis & Apostolis à Deo factam (quæ communis & publica fides Ecclesiæ dicitur) non esse credendam fide diuinâ; satis esse vt credatur fide humanâ, siue alio aliquo assensu humano & naturali &c. Contrà quidem Tannerus disputat, non tamen euicit in regno Papali axioma esse: reuelationes diuinas eâdem fide diuinâ credendas esse, quâ res reuelatæ creduntur. Nos existimamus bene sese habere hanc sententiam, si de ipso initio accedendi ad reuelationes diuinas intelligatur. Nonnullos námque in mysteria diuina perduxit curiositas antiquitatis monumenta peruestigandi &c. Fiet, vt probabiliter initio assumpta reuelatio, postea sese diuinâ luce commendet.*

Ad §. 161. Dorsch. Obijcit eos DD. qui negant reuelationem necessariò credi fide diuinâ.

RESPONDETVR.

Resp. 1. Omnes Catholicos in eo conuenire: Quod fide diuinâ credendum sit, ea esse diuinitus reuelata, quæ Ecclesia credenda proponit; neque enim aliter proponit, quàm vt diuinitus reuelata, neque aliâ fide credenda, quàm diuinâ. Credimus igitur Fide diuinâ, reuelationem de his esse factam, adeóque ipsam reuelationem, neq; enim hæc reipsâ differunt.

Fide diuinâ credenda esse, quæ Ecclesiæ credenda proponit, consentiunt Catholici.

Resp. 2. Recentiores, quos sine nomine allegat Tannerus, videri (vt ipsemet notat n. 113.) *confundere propositionem ante assensum Fidei per modum conditionis prærequisitam, cum ratione formali credendi. Ad propositionem enim sufficit Fides humana,*

Recentiores aliqui confundunt propositionem cum ratione formali.

Adeóq;

adeoq; certus gradus probabilitatis. Is tamen non excludit assensum Fidei diuinæ, tam de veritate reuelatâ, quàm de reuelatione subsequẽtem; sed potiùs viam ad eum sternit, vt rectè docet idem Tannerus. Etsi enim motiua Fidei, vt diximus n. 30. Resp. 3. debeant esse talia, *quæ faciant id, quod credendum ponitur, infallibiliter & euidenter credibile:* non tamen necesse est, vt sint simpliciter & in se talia; sufficit enim, vt in ordine ad hominem tam certa illi videantur, vt censeat se obligatum ad credendum. Talia motiua sunt autoritas parentum, maiorum, pastorum, respectu puerorum, & rudium, vt ibidem explicauimus in Resp. 3. Etsi enim in se eiusmodi motiua solùm sint probabilia, pueri tamen & rudes iudicant ea infallibilia. Neque plùs videntur velle autores isti, quos ex Tannero obijcit Dorscheus, quàm non necessariò semper requiri motiua fidei in se, & simpliciter infallibilia & euidentia. Quod præcipuè locum habet, in ipso accessu ad Fidem, siue primo illius amplexu, vt non malè quoad hoc notat Dorscheus. *Fit enim*, vt ipse loquitur, *vt probabiliter initio assumpta reuelatio, postea sese diuinâ luce commendet*, siue, vt Deus in simplicibus per habituale Fidei lumen, & auxilia gratiæ in voluntate excitans pium motum, defectum scientiæ & cognitionis motiuorum simpliciter euidentium, suppleat, prout explicauimus ibid. Resp. 3. obseru. 2.

Explicantur.

RESP. 3. Nihil istud vel Dorscheo patrocinari, vel Kirchero officere. Fides enim Catholica habet *motiua simpliciter perfecta, & euidentia*, per quæ reuelatio diuina nobis infallibiliter & euidenter fit credibilis siue applicatur, vt deinde fide diuinâ tum reuelationi, tum rei reuelatæ propter reuelationem assentiamur. Ad ista motiua in se infallibilia, si motiua particularia non nisi in ordine ad hominem fuerunt sufficientia, recurri potest, ac debet, vt diximus l. c. & sæpiùs suprà. Talibus verò motiuis Fides Acatholicorum solis innitens Scripturis destituitur, vt hactenus ostensum est. Non habent igitur, vnde ipsis debitè applicetur diuina reuelatio; atque huius applicationis

Fides Catholica habet motiua simpliciter perfecta & euidentia.

His destituuntur Acatholici.

nis defectu, non possunt peruenire ad verum Fidei diuinæ assensum. Accedit alter defectus, de quo suprà, quod illi nihil credunt, nisi quod in Sacris literis scriptum est: contineri autē in Biblijs Verbum Dei, scriptum est nusquam. Vide num. 74. Valet igitur argumentum Kircheri: *Vt propter reuelationem diuinam, quam solis Scripturis circumscribunt, possint assentiri rebus reuelatis necessarium esse, vt ipsi quoq; reuelationi* (eodem, vel diuerso actu) *per fidem diuinam assentiantur, vel certè assentiri possint. Verissimum enim est in rationibus istis formalibus: propter quod vnūquodq; tale, illud magis tale.* Quod sanè cernitur apud nos Catholicos, qui reuelationibus diuinis, per motiua actu vel virtute & participatiuè infallibilia, aut per Ecclesiæ propositionem, nobis applicatis: re aut naturâ priùs fide diuinâ, & propter illas rebus reuelatis, eâdem vel pari fide assentimur. Prostratis igitur duabus extremis Dorschei columnis, minimè Herculeis, tendamus *Plus vltra.*

Capitis Anacephalæosis.

Dorscheus sic claudit: *Et hæc etiam de secundâ incertitudine Kircherianâ, vbi deuiationum vnam atq; alteram Decadem enumeraremus, nisi ex numeris ipsis huius capitis illæ patescerent.* Multas iustissimásque Kircheri à Lutheri Euangelio deuiationes, enumerare potest Dorscheus, nullas à Veritate Orthodoxâ, quam malis ipse artibus impugnat toto hoc capite; præcipuas in summam colligemus. 84.

Num. 41. conuicimus falsum esse, quod ait §. 108. *In Ecclesiâ Pontificiâ multa millia hominum saluata esse, vel saluari, quibus Ecclesiæ proponentis infallibilitas non fuerit, aut sit nota:* cum à puero Catholici instituantur ad omnia credenda, quæ Ecclesia credenda proponit.


Num. 44. ostendimus *falsò ab illo allegari Baronium*, neq; sincerè *Genebrardum*; item fallere in oppugnandâ *Pontificis Successione.* Num. 48. 49. 50. vanè ab illo allegari *S. Petrum, SS. PP.*

& Pontificios. Num. 53. *Verba Becani* ab illo mutari. Num. 56. fallaciter item taceri, quòd Serarius *doceat testimonium Ecclesiæ multis modis esse necessarium.* Num. 58. rursus malè eundem allegari. Num. 59. Dorscheum esse sibi contrarium. Num. 62. *à Valentiâ*, quem pro se citat, causam ipsius jugulari. Num. 63. Non meliori fide allegari *Petrum de Soto*; & in probatione Dorscheanâ *multum repugnantiæ* contineri. Num. 64. Eundem rursùs sibi esse contrarium.

Num. 68. In prauum sensum torqueri illud 1. Ioan. 4. v. 1. *Nolite omni spiritui credere* demonstrauimus. Num. 70. absurda plura illum comminisci de libris gentilium, & piorum Christianorùm. Num. 72. falsò *Bellarminum* accusari fanatismi, & frustra obijci *Thomistas.* Num. 73. falsò asseri, in *N. T. reperiri ex Cantico Canticorum depromptas sententias.* Num. 74. Scripturam *non dicere se esse Verbum Dei,* quod friuolè contendit Dorscheus.

Num. 76. Si Scriptura sit primum principium, non rectè à Dorscheo eius autoritatem confirmari *ex traditione.* item falsò *S. Ioannem* appellari anagnosten Bibliorum. Num 77. non posse negari, quin traditio Scripturarum sit *dogma & regula.* Num. 78. *Dorscheum* vertigine actum sibimet repugnare. Num. 79. Malè eundem ab infallibilibus *Ecclesiæ notis, arguere ad criteria Scripturæ.* Num. 80. Scripturis Lutherano sensu intellectis, ex *notis Ecclesiæ Bellarminianis* neque vnam conuenire.

Denique ex toto Capitis decursu luculenter apparet, argumenta Dorschei nullam habere vim aduersùs Catholicam veritatem; neq; iure Kirchero deuiationem obijci ab illo, qui in viâ Veritatis orthodoxæ pedem nunquam fixit.



CAPVT III.

CAPVT III.

Certitudinem Verbi diuini apud Euangelicos, defectu quoq; authenticæ Versionis vacillare, quæ seclusâ Ecclesiæ autoritate haberi non potest.

PRobat id plurimis argumentis Kircherus, quæ in nouem parum acuratè digessit Dorscheus. Nos singula eodem ordine persequemur. Illud tamen monemus, non omnia esse paris efficaciæ; sicuti & Oratores plura accumulant, illisq; quorum vis est irrefragabilis, Topica frequenter coniungunt. 85.

ARGVMENTVM I.

KIRCHERVS.

Sed esto, *ait Kircherus n.* 9. Sim certus de autoritate Verbi scripti quà talis. Quis me certum facit de hâc aut illâ versione? Anne statim erit Dei Verbum, quòd hic aut ille translator recensuerit? Non ipsi dicent. Franzius certè in tractatu nouo, quē de interpretatione Scripturæ inscribit, vt originalium linguarum studium commendet Studiosis, negat originalem textum ab illo legi, qui alienis vtens oculis, pendet à versione. Et manifesta res est ex hypothesi Lutheranorum; & necessariò agnoscitur ab omnibus, qui dari versionem aliquam Canonicam, inficias eunt.

Certus de Verbo diuino, non ideo certus est de Versione.

DORSCHEVS.

Hoc argumentum frigidè proponit Dorscheus: neq; meliùs §. 163. ad illud respondet. *Negat videl. vt fides nostra nitatur solidè aliquo fundamento reuelationis diuinæ, opus esse, vt sit Canonicum linguâ, satis esse, si sit* θεόπνευςον *& Canonicum reipsâ & materiâ. Quia virtus reuelationis diuinæ operantis, non dependet à qualitate linguæ, sed ab origine rei reuelatæ, quæ sub omni linguâ est eadem.* Confirmat id exemplo *diplomatum Papalium obligantium vniuersam Ecclesiam, quæ si postea cum Ecclesiâ Anglicâ, Scoticâ, Gallicâ, Hispanicâ, Polonicâ, Bohemicâ &c. communicentur, fiunt fundamentum credendi, agendique, etiam in illas & cæteras linguas translata. Ita Canones Concil. Trid. à Pontifice in latinâ linguâ infallibilitatē nacti, etsi in alias linguas non transferantur infallibili autoritate, (aliàs Pontifex teneretur omnes linguas nôsse) neq; Pontificio decreto per linguarum gnaros, omnes translationes examinentur, (quod etsi fieret, esset tamen vt in quæstionibus facti,*

Frigidum Dorschei responsum

Exemplum de Pontificijs diplomatibus.

erroris periculum) non minùs obligant: non quidem vi translationis, sed rei translatæ.

RESPONDETVR.

Argumenti Kircheriani neruus.

Hæc verò Dorſchei diſtinctio facilè refellitur, ipſo neruo Argumenti Kircheriani, qui eſt iſte: *Carens authenticâ, ſiue infallibili verſione Verbi diuini, non eſt certus, quid contineatur in originali, quod vel non habet, vel non intelligit: Lutherani & omnes Acatholici carent authenticâ & infallibili verſione: Non ergo ſunt certi, quid contineatur in originali, ſi illud vel non habeant, vel non intelligant.* Minorem vltro concedit Dorſcheus, & diſtinctione ſuâ tuetur. Maior inde eſt euidens, quia ſi verſio eſt fallibilis, vel non authentica, poteſt ergo aliquid continere, quod non continetur in originali, vel illi aduerſatur. Ergo pendens à tali verſione, tam non eſt certus de contentis in Verbo diuino, quàm certum & infallibile eſt, neminem poſſe certum eſſe de re incertâ: eſt autem incertum, an Verſio incerta, ſiue non authentica conueniat cum originali.

86. Fides diuina requirit Verbum Dei Canonicum non ſolùm reipsâ, ſed etiã linguâ.

Falſum itaque eſt, *poſſe eſſe fundamentum reuelationis Fidei diuinæ, quod non eſt Canonicum linguâ, ſiue translatione, etſi ſit Canonicum in originali, ſiue reipsâ.* Non dependet quidem virtus diuinæ reuelationis à qualitate linguæ, cùm per quamcunq; linguam poſſit proponi & explicari; dependet tamen à veracitate linguæ Fides reuelationis, vt videlicet nihil à reuelatione diuinâ, aut eius originali diuerſum, vel alienum lingua verſionis contineat. Neque reuelatio diuina ſub omni linguâ eſt eadẽ, niſi in omni linguâ fideliter exprimatur. Doctrina Ariſtotelis vel Platonis in ſe, non dependet ab interpretatione, & verſione librorum, quos ſcripſerunt; vt verò hæc doctrina hauriatur ab illis qui linguam Græcam ignorant, neceſſe eſt, vt verſiones nanciſcantur fideles & genuinas: alioqui non addiſcent doctrinam horum Philoſophorum, ſed aliam ab ipſis alienam.

Inſtantia Dorſchei refellitur.

Neque inſtantia de Pontificijs diplomatibus ſolida eſt. Diplomata Pontificia in Linguâ latina emanant, cuius peritiam habent

habent innumeri, præſertim animarum Paſtores. Neque ſi in linguas vulgares transferuntur ſiue integra, ſiue eorum duntaxat ſummaria, de translationis fidelitate vlla ratio dubitandi Fidelibus occurrit, aut occurrere poteſt. Vident enim illas fieri à ſuis Epiſcopis, Doctoribus, Paſtoribus, quos ſciunt & experiuntur viuere ſub obedientiâ Romani Pontificis, & cum illo ac inter ſe, in Doctrinâ Fidei & morum conſpirare, quam credunt per infallibilem Spiritus S. aſſiſtentiam, à Pontifice & Concilijs tradi, abſque omni erroris periculo. Hoc Fidei fulcro deſtituuntur Lutherani, aliiq; ab Eccleſiâ Romanâ diſſentientes; ideóque ſicut in alijs, ita in iſtâ quæſtione, nec in verſionum Biblicarum autoribus, neque in Eccleſiâ ſuâ, eiúſque Paſtoribus, quibus nullam abſolutam infallibilitatem concedunt, certitudinis anchoram jacere poſſunt. Nullâ è contrà aliâ infallibilitate quàm explicauimus, Catholicis in præſenti opus eſt. Quâ ſi opus foret, Spiritus S. in approbandis verſionibus, & interpretibus peritis conſtituendis, Pontificem non minùs quàm in alijs, quæ Eccleſiæ Dei & ſaluti animarum neceſſaria ſunt, infallibiliter dirigeret.

Non agitur hic de quæſtione facti.

Neque hic agitur *de merâ quæſtione facti*, vt autumat Dorſcheus, ſed potiùs veritatis & juris diuini. Non enim principaliter quæritur, an hic vel ille translationem fecerit: ſed an trāslatio ſiue ab illo, ſiue alio facta, Verbo diuino, quo jus diuinum continetur, ſit conformis? Etſi igitur decreta Pontificum & Conciliorum, non obligent ratione translationis, tanquam illa cauſa ſit obligationis, quæ ex mente Legislatoris & re præceptâ, peti debet: eſt tamen translatio reſpectu illorum, qui linguam latinam non intelligunt, non minùs quàm promulgatio reſpectu quorumuis, conditio ſine quâ non; quâ deficiente, nulla lex ſiue Pontificia, ſiue alia obligationis effectum habet, vt Docti omnes rectâ ratione ducti conſentiunt. Perinde ineptit Dorſcheus, ac ſi diceret: *Philoſophia Ariſtotelis, non reddit quemquam doctum ratione translationis è Græco in Latinum, ſed*

ratione rei translatæ; ergo necessaria non est genuina translatio ad mentem Philosophi percipiendam.

ARGVMENTVM II.

KIRCHERVS.

87. Kircheri subsumptio declaratur. *Pergit ibidem Kircherus.* Positâ hâc Maiore: quanta pars est nô Laicorum modò, sed Literatorum, sed doctissimorum quæuis cætera, virorum, de quibus subsumere licebit? Quotusquisq. illorum est græcè, vel hebraicè doctus? Aut si sit, scientia illius à Grammaticorum fide, & Lexicographorum pendebit maximè. *Etsi argumentum Kircheri nos suprà formauimus generaliter, ipse tamen ex Franzio ita illud speciatim concepit:* Nullus credens alienis oculis (*interpretis inquam*) legit textum authenticum, *quia videlicet Lutherani nullum præter originalem, agnoscunt.* Lutheranorum longè maxima pars credit alienis oculis, *interpretum videlicet, qui Biblia verterunt.* Ergo Lutheranorum longè maxima pars non legit textum authenticum Scripturæ, *sed interpretum, quorum nulla versio Lutheranis est authentica.*

Paucissimi intelligunt textum originalem. *Maiorem Kircherus ex Franzio veluti per se notam supponit, eâq. demonstrari & confirmari potest syllogismo, in quo suprà neruum argumenti constituimus, vt consideranti patebit. Minorem inde probat, quia paucissimi inter doctos habent peritiam linguæ Græcæ & Hebraicæ, non igitur legunt* aut intelligunt textum Scripturæ originalem, nisi paucissimi, quod experientiâ notissimum est. *Tum subiungit hoc argumentum, quod Dorscheus secundo loco numerat.* Scientiam videlicet etiam illorum, qui has linguas callent, vacillare, quòd ex incertâ Grammaticorum & Lexicographorum sæpe dissentientium fide pendeat.

Iiq; ipsi pendêt à Grammaticis & Lexicographis.

DORSCHEVS.

Respondet Dorscheus §. 164. & dicit 1. *Voluisse Deum in vniversum nos informari literis, syllabis, dictionibus, & per stultitiam prædicationis saluari; hoc stultum Dei sapientius est & fortius, quàm sapientia & autoritas humana.* 1. Cor. 1. v. 21. & 25. 2. *Malle se ait, niti Grammatico & Lexicographo sine inclinatione ad partes, vocabula sancta explicante, quàm Papâ, Cardinalibus, Episcopisq. indoctis, de quibus in præliminar. pag. 73. & seqq.* 3. *Posse nos ex omni varietate Religionum habere Grammaticos, qui in rebus ad styli sacri explicationem pertinentibus, concordant mirificè, si excipias nonnulla topographica, Zoographica &c.* 4. *Grammaticum & Lexicographum hanc nobis moraliter euidentem propositionem largiri: Vbicunq. vocabula hæc & hæc, structurâ hâc & hâc, respectu hoc & hoc collocantur,*

Horum Fidem malè defendit Dorscheus.

ibi in

ibi in hâc linguâ notant hoc & hoc. Habet enim Grammatica suos Canones certos atq; indubitatos, nisi velimus sensuum atq; obseruationum operationes euertere. Iam subsumit: *Atqui in hoc versu Biblico, ex reuelatione diuinâ oriundo, talia vocabula, talisq; structura reperiuntur. Ergo concludere licet, in hoc versu Biblico, ista vocabula hoc denotare, & hunc sensum gignere. Ex propositione enim vnâ moraliter euidente, & alterâ reuelatâ, sequi conclusionem, quæ & ipsa fide diuinâ acceptari possit, sentit Tann. t. 1. disp. 1. q. 5. dub. 4. vbi plures allegat idem tenentes.* 5. Denique addit, *se non Grammaticorum & Lexicographorum fide niti solâ. 1. Esse translationes antiquissimas eorum, qui linguarum originalium fuerint gnari, neq; Grammaticis & Lexicis indiguerint. 2. Commentarios Patrum, qui itidem harum linguarum fuerint peritissimi. 3. Allegationes à Sacris Scriptoribus omnium seculorum factas, vnde multa lux. 4. Ipsa in visceribus textus latitantia subsidia, quæ non permittunt aliter transferri. 5. Deniq; esse etiam Veritatis hostes, qui hanc vel illam translationem stabiliant &c.*

RESPONDETVR.

Sed facilè est has Dorscheanas nebulas dissipare. Ad 1. Resp. Sapientissimè Dei prouidentiam instituisse, vt à puero Grammaticis instituerentur præceptoribus, qui vellent aut ipsi suâ sponte, aut parentum inductione; vt itidem, qui jam adultiores linguas addiscunt, Grammaticâ & Lexicis vterentur. Vt verò in his certitudinem fidei fundemus, neque Deus voluit, neq; hactenus vsq; ad Dorscheum, quemquam tam desipuisse crediderim, qui verba ab Apostolo de Christo crucifixo & scandalo Crucis prolata, ad stultitiam Grammaticæ & Lexicorum detorqueret.

Ad §. 164. Dorsch. Deus non vult fidem fundari in Grammaticâ & Lexicis.

Ad 2. Non niti *Catholicos Papâ, Cardinalibus, Episcopis indoctis &c.* Pontifices, & Episcopos, qui in Concilijs Generalibus, de Fidei dogmatibus tractârunt, fuisse doctissimos, ex Conciliorum actis, eorum qui interfuerunt, epistolis, libris, & historiâ Ecclesiasticâ manifestum est. Proferat Dorscheus ex omni antiquitate exemplum Pontificis aut Episcoporum, qui de aliquo articulo Fidei Catholicæ sententiam dixerint aut tulerint, vel aduersùs heterodoxos pugnârint, & inscitiæ conuinci possint. Si pro cursu rerum humanarum, Pontifices, vel Episcopi in-

pi indocti interueniant, Sapientia diuina, *quæ attingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*, Sap. 8. v. 1. ita res moderatur, vt vel tum illa non occurrant, quæ magnam scientiam desiderent; vel qui fecit, vt impius, & fortè indoctus Caiphas non à semetipso, *sed quia erat Pontifex anni illius prophetaret*, Ioan. 11. v. 49. idem facit, vt impius vel indoctus Pontifex etiam in Cathedrâ Petri, non à semetipso, sed ex *Spiritu S. inducente* in *omnem veritatem*, eandem doceat ac defendat: juxta promissiones & testimonia, quæ de Ecclesiæ Christi Pastorúmque eius perpetuâ infallibilitate, neutiquam autem de Grammaticis & Lexicographis habentur. Ad ea, quæ ex præliminaribus affert partim respondimus n. 27. partim patet ex hìc dictis; vt taceamus partim esse exaggerationes & calumnias. Certè his temporibus, neque in Pontificibus, neque in Curiâ Romanâ, & Episcopis præsertim Italiæ, locum habent. Eat Romam Dorscheus, & coram tot doctissimis ibi viris, Græculus esuriens manum ori imponat, digitóque compescat labellum.

Diuina prouidentia interuenit.

88. Ad 3. Resp. Falsum esse, *quòd ex omni varietate Religionum possint haberi Grammatici & Lexicographi, qui pro Scripturarum interpretatione & intellectu concordent mirificè.* 1. Refellunt id versiones dissentientes heterodoxorum, & diuersarum Sectarum, quæ non aliunde magis, quàm ex eorundem Grammaticorum & Lexicographorum diuersitate & pugnantiâ, ortum habent: vtpote factæ ab illis, quibus cùm linguæ originales nō fuerint natiuæ, illas non nisi Grammaticæ & Lexicorum subsidio potuerunt addiscere. 2. Si vel maximè inter se conuenirent, ea concordia simplicem & claram verborum & vocabulorum significationem non transcenderet. Neq; solidè posset extendi ad verba ambiguæ significationis, vel ad ea, quæ in quibusdam exemplaribus omissa, in alijs reperiuntur, vel ad diuersas eiusdem loci lectiones. Hæc enim valde sensum Scripturæ variant, de quo judicare non minùs superat Grammaticorum & Lexicographorum regulas, quàm sutorum crepidas. Pertinet enim

Grammatici & Lexicographi non concordant mirificè.

enim hoc ad Pastores & Doctores Ecclesiæ, quos Christus nobis reliquit ad vitandam *circumuentionem erroris.* Eph. 4. v. 11. & seq. Cùm autem huiusmodi loca complura reperiantur in Scripturis, falsum apparet Grammaticos & Lexicographos non dissentire, *nisi in nonnullis Topographicis, Zoographicis,* vt fingit Dorscheus.

Sententia Tanneri nõ patrocinatur nisi simplici verborum significationi.

Ad 4. Hæc ipsa Tanneri aliorúmque sententia, quâ Dorscheus in proposito nititur, ab alijs Doctoribus impugnatur, adeóque non sufficit ad certitudinem Fidei fundandam. Deinde, vt maximè illi locum daremus, in simplici verborum significatione: cuius euidentiam linguarũ periti, possint habere ex Grammaticorum & Lexicographorum regulis & Canonibus, non est tamen huic euidentiæ locus 1. Quando eorundem vocabulorum est significatio ambigua; per nullos enim Grammaticæ Canones, linguarum licet peritissimus discernere potest, an in Verbis Cænæ: *Hoc est corpus meum*, verbum *est* sumatur propriè, prout sonat identitatem subiecti & prædicati, vel figuratè, vt sit idem quod *hoc significat corpus meum,* quem sensum post Zvvinglium arripuit Caluinus. Neque desunt exempla in Scripturis, vt 1. Cor. 10. v. 4. *Bibebant de spiritali, consequente eos petrâ, petra autem erat Christus*, id est, significabat Christum. Matth. 13. v. 31. eodem sensu sumitur in explicatione parabolæ seminantis, *Qui seminat bonum semen, est filius hominis, Ager est mundus &c.* 2. Cùm aliqua in quibusdam exemplaribus desunt, quæ in alijs extant, vel contrà, vt nobile illud testimonium de S. Trinitate 1. Ioan. 5. v. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo &c*, item clausula Epistolæ ad Rom. c. 15. v. 25. *Ei autem qui potens est &c*, quæ tota deest in plerisq; codicibus Græcis. Ex nullis Grammaticorum Canonibus ista discernet, linguarum licet peritissimus. 3. Cum sunt diuersæ lectiones, vt Rom. 12. v. 12. Origenes, Chrysostomus, & Theophilactus legerunt δουλεύοντες τῷ κυρίῳ, non καιρῷ, vt idem sit quod *seruientes tempori* (sicuti reddunt plerique nouatores)

Non locis mutiis, nec diuersis lectionibus.

T non

non *Domino.* Nihil euidentiæ vel lucis, in his similibúsque siue discernendis, siue intelligendis afferre possunt Grammatici & Lexicographi.

Ad 5. Esto: præterea extare *translationes antiquissimas; Commentarios Patrum in Scripturas; Allegationes earundem plurimas apud omnis æui Scriptores; ipsorum veritatis hostium attestationes;* atque *ex his multum subsidij & lucis accedere Scripturis, rectè intelligendis aut interpretandis.* Hæc tamen omnia non pariunt certitudinem aut euidentiã, qualem Dorscheus desiderat. Euidens enim est, hos omnes fuisse homines, qui falli & fallere potuerint, *neq; habuerint infallibilem assistentiam regiminis diuini*, vt in simili sibi obijcit, nec vnquam dissoluit Dorscheus §. 89. Illud verò falsum est, *in visceribus textus talia latere subsidia, quæ non permittant illum aliter transferri.* Omnes enim Sectarij subsidia hæc reponunt *in consideratione locorũ consequentium, antecedentiũ, similium, dissimilium &c.* & tamen diuersos, maximèq; contrarios ex Scripturis eliciunt sensus; seclusâ igitur infallibili Ecclesiæ interpretatione, nutant & vacillant omnia. Etsi hæc ipsa qualiacunq; subsidia, pro Catholicorũ sensu validiùs pugnant, quàm pro commentis quorumuis sectariorum. Ex quo ipso argumentum non leue ducitur, pro Ecclesiæ Catholicæ infallibili autoritate commendandâ· cuius interpretatio inter omnes alias, textui & contextui, totíque Scripturarum harmoniæ sit maximè conformis.

Subsidia in textu latentia falsò iactantur.

ARGVMENTVM III.
KIRCHERVS.

89. Linguarum imperiti dependent ab humanâ translatorũ autoritate.

Tertium Kircheri argumentum procedit de illis, qui lingua Græca & Hebraica periti non sunt. Sed transeat hoc, *ait eodem n. 9.* (*videlicet* linguarum harum peritos, habere aliquid præ earundem imperitis, *quamuis neque id ad certitudinem Fidei fundandam sufficiat,*) vnde dependebit fides reliquorum, qui etsi cætera doctissimi, ista tamen neutiquam didicerunt? Anne ab autoritate translatorum, quæ tantùm est humana? Ita planè quidem existimo: aut contrarium monstrent illi. Ea autem fides sit, quæ non aliunde, quàm ab humanâ dependeat autoritate? Sit digna,

digna, quæ fidei, qualis ad salutem requiritur, nomine censeri possit? *Neruus argumenti est: Qui dependent à translationibus, dependent ab autoritate tantùm humanâ. Linguarum originalium imperiti dependent à translatoribus, vt per se patet. Ergo dependent ab autoritate tantùm humanâ, quæ insufficiens est ad Fidem diuinam.*

DORSCHEVS.

Respondet Dorscheus 1. *Multitudinem fidelium linguarum eiusmodi imperitam, tam non esse exclusam ab illarum beneficio, quàm non est exclusa à facultate Gallica, Italica, Hispanica linguæ addiscendæ. 2. Illos non dependere à translatorum autoritate, sed à verbo, quod translatores, velut organa diuina communicârunt; sicut in vniuersum actio sacra non tam ab autoritate ministri, quàm à causâ principali & virtute medij diuinitus ordinati, dependet, quidquid sit de ministro applicante. Sicuti Lusitani, Poloni, Indi acceptantes decreta Concilij Tridentini in suas linguas translata, non dependent à translatoris autoritate, sed ab ipsâ re & maiestate decernentis. 3. Fideles certi sunt ex consideratione diuinæ prouidentiæ, versionem non posse ita fieri, vt omninò euertat Fidem, & catenam salutis destruat.* Allegat Catharinum in Claui Scripturæ p. 13. asserentem ex Augustino, *quòd omnes penitus Codices omnis linguæ corrupti sint, non esse credendum, quia non erat diuinæ prouidentiæ hoc permittere.* Ad §. 165. Dorsch. Effugia.

RESPONDETVR.

Ad I. Dicimus Dorscheum in eadem absurda relabi, quæ demonstrauimus cap. 1. num. 18. & 19. videlicet *omnes homines non solùm obligari, vt discant legere, verùm etiam loqui Græcè & Hebraicè, & nisi id faciant, esse in statu damnationis.* Quia secundùm Lutheranos adultioribus præcepta est lectio Scripturæ vt patet ex num. 21. ad cuius certum intellectum non tantùm requiritur facultas legendi & peritia linguarum vulgarium, verùm etiam originalium; neque magis ab hisce addiscendis excluduntur Dorscheo teste fideles, quàm ab addiscendis alijs linguis peregrinis. Expende quæ diximus ll. cc. & mirare paradoxorum portenta. Dorscheus in absurda relabitur.

Ad II. Si *translatores sunt organa diuina, per quæ Deus verbũ suum communicat:* debent ergo esse infallibiles nec vllâ ratione fallaces. Sicuti interpres fallax aut imperitus, per quem homo alteri homini, linguæ suę imperito loquitur, non rectè neq; Per interpretes fallibiles non communicatur verbũ Dei infallibiliter.

ſincerè exprimit ſenſum eius, cuius eſt interpres: ita fieri non poteſt, vt verbum ſuum Deus nobis ſincerè & infallibiliter cõmunicet, per interpretes fallaces & fallibiles. Vnde in propoſito, translator quidem ſe habet per modum miniſtri applicantis, ſed eo ipſo eſt ſimul medium diuinitus ordinatum, ſiue organum diuinum: (vt Dorſcheus intra tam pauca verba ſui immemor, *translatores generatim* nuncupat,) adeóque diuinæ veritati in eo proportionatum, quod eam inſtar canalis velut à ſuo fonte, illibatam & ſinceram deuehit: autoritate inſtrumentali penès translatorem, principali autem penès Deum, ſaluâ, & integrà conſtante ſiue permanente. Quod ipſum agnoſcit Dorſcheus, dum ait, vniuerſim actionem ſacram NB. *non tam* ab autoritate miniſtri, *quàm* à causâ principali dependere. vide quæ diximus n. 86. De translatione diplomatum Pontificiorum, & Decretorum Concilij Tridentini, reſpondimus ibidem.

Diuinæ prouidentiæ eſt, vt extet verſio aliqua ſincera.

Ad III. Fideles certi ſunt ex conſideratione diuinæ prouidentiæ, Deum non permittere, *vt circumferantur omni vento doctrinæ*, Epheſ. 4. v. 11. & ſeqq. quæ magnam partem dependet ex Scripturâ, & apud linguarum originalium imperitos, à translationibus & translatoribus. Eſto igitur, nullam eſſe verſionem, *quæ Fidem penitus euertat* eo ſenſu, vt nihil contineat omnino, quod veræ Fidei ſit conſonum: illud tamen ad illius, *qui eſt Via, Veritas, & Vita* Ioan. 14. v. 6. prouidentiam pertinet, vt non permittat Fideles inter tot verſiones fluctuare, quin aliquam ſubminiſtret per Eccleſiam eiúſq; Paſtores, quæ omni in Fide erroris periculo careat. Quiuis enim error eiuſmodi *ſalutis catenam abrumpit*; ſicut enim qui *delinquit in vno*, *factus eſt omnium reus*, Iac. 2. v. 10. ita & qui in vno à veræ fidei regulâ aberrat, perfidiæ & infidelitatis reus eſt. Quod Catharinus ex Auguſtino (ſine loci vel libri mentione) adſtruit, non eſſe diuinæ prouidentiæ, *vt omnes penitus Codices omnis linguæ corrupti ſint*, Catholicorum ſenſum confirmat: eſſe videlicet verſionem

ſionem aliquam, quæ in doctrinâ Fidei & morum corrupta non ſit. Hanc autem ipſo Auguſtino non repugnante, dicimus eſſe illam, quam Eccleſia Chriſti, vt authenticam proponit, autoritate vtique infallibili: quia alia infallibilis, quæ huic authentiæ vniuerſim & publicè par ſit, nulla aſſignari, vel excogitari poteſt.

ARGVMENTVM IV.

KIRCHERVS.

Kircherus non ſolùm ex eo negat Fidem illorum, qui linguas originales non nôrunt, eſſe fundatam, quòd ex humanâ tranſlatorum autoritate pendeat: *verùm etiam inde, quòd illa* in genere autoritatis humanæ non ſit ſufficiens. *Idq; probare contendit, ſequentibus, quæ Dorſcheus pro libitu numerat argumentis, rectè facturus, ſi accuratiùs attendiſſet ad Kircheri methodum, qui num.* 10. *ita pergit:* Qui Scripturam ex fontibus in alias linguas *tranſtulerunt, ſæpe non parùm inter ſe diſcrepant: ac in eo quidem* momenti genere (nam de vocabulis & verbis præciſè non loquor) vt ex diuerſis verſionibus diuerſi vnà emergant ſenſus. Hinc alij vituperant alios, aliorúmque verſiones damnant, & reijciunt alij. Bezæ verſionē reijcit Caſtalio, Caſtalionis Beza. Verſionem Tigurinam conceptis & expreſſiſſimis verbis damnat Lutherus. Contrà Lutheri, vt vicem rependant ſcilicet, rident & explodunt Tigurini. Sed quid Caluinianos tu mihi, inquies? Homo Lutherus, homines illi. Hactenus ergò pares. Hebraicè omnes docti; nullus, qui malè vertiſſe ſe ſtudio dicat. *Neruus argumenti, quem tenuiter expreſſit Dorſcheus, eſt iſte: Quæ autoritas nititur ſententijs hominum inter ſe diſſentientium, non eſt verè autoritas humana, vtpote quam ipſa diſcordia ſuſpectam & abiectam reddit. Autoritas tranſlatorum Scripturæ, eſt hominum diſſentientium non ſolùm de verbis, verùm etiam ſenſu Scripturæ. Ergo nec autoritatis quidem humanæ nomen meretur.* 90.

Diſſentientes tranſlatores, nec humanam autoritatem ſatis fundāt.

DORSCHEVS.

Replicat Dorſcheus §. 166. *Non ſequi: Inter verſiones eſt pugnantia: Ergo nulla verſio eſt ſalutaris & genuina. Ergo in verſionibus ſumma eſt incertitudo, niſi adſit autoritas infallibilis Eccleſiæ* 1. *Quia illa pugnantia non eſt vniuerſalis, & in omnibus ad ſalutem neceſſarijs perpetua. Nulla verſio eſt tam deprauata, ex quâ non potuerint ſumi neceſſaria ad ſalutarem informationem: ſicut nulla Eccleſia tam fuit hæreſibus deprauata, in quâ non radij*

Dorſchei effugia.

veritatis emicuerint subinde. 2. *Quia illa pugnantia sæpe non est dogmatica, sed lexica circa quædam nitidius, vel clarius exprimenda.* 3. *Quia inde non raro lumen certæ veritatis exoritur, sicut in vniuersum Deus per certamina Ecclesiam illustrauit.* 4 *Quia hactenus Ecclesia illam pugnantiam non sustulit, vnde ex praxi patet, non obesse fidei, vide quæ* §. 3. 4. 5. 63. 68. *disputata sunt.* 5. *Quia Pontificij putant, plures versiones posse esse authenticas. Allegat Pagninum Gaudentium, qui in Velitat: contra Chamier. c.* 1. *p.* 7. *statuat non esse absurdum: Textum Hebræum, versionem LXX. & editionem vulgatam, esse authenticas. Quæ quidem discrepant, sed nuspiam ita, vt Fidei fundamenta euertant.*

RESPONDETVR.

Ad §. 166. Dorsch.

Opus est interpretationem genuinam ab erroneis infallibiliter discerni.

RESP. Frustra à Dorscheo fingi sequelam priorem, quam nemo fecit. Non colligimus ex *versionum diuersitate aut pugnãtiâ, nullam esse salutarem aut genuinam.* Potest hæc inter erroneas latere, cum quibus omnibus pugnat. At posterior sequela verissima est, in tot versionibus, inter quas genuina latet, summam esse incertitudinem: nisi autoritas aliqua infallibilis (quam in terris habet Ecclesia falli & fallere nescia) hanc discernat ab illis, & has ab illâ. Autoritas enim fallibilis non parit certitudinem infallibilem, Fidei diuinæ fundandæ necessariam. Oportet igitur, non solùm extare versionem aliquam genuinam, sed eam quoque vt salutaris sit, discerni infallibiliter à non genuinis. Nihil prodest inter plura venena latere Alexipharmacum aduersùs illa, nisi internoscatur ab illis; quamdiu enim non internoscitur, nulla est salutis certitudo, sed præsens periculum, ne pro Alexipharmaco venenum sumatur. Valétque etiam hic illud: *sapientia absconsa, & thesaurus inuisus,* siue veritas in pugnantibus latens versionibus, *quæ vtilitas in vtrisque?* Eccl. 20. v. 32. Rationes, quas subiungit Dorscheus, non sunt vllius momenti.

91. Sufficit pugnantiã esse in vno dogmate.

Non I. Etsi enim pugnantia non est in omnibus ad salutem necessarijs, sufficit esse vel in vno, v. g. in *verbis Cœnæ,* quæ aliter interpretantur Caluiniani, aliter cæteri; item in *Fide solâ,* quam solitudinem illi affricuit, Rom. 3. v. 28. audacia Lutheri.

Non

Non conuenit diuinæ prouidentiæ, bonitati, fidelitati, vt versionem verbi sui genuinam & salutarem, sinat circumferri inter versiones fallaces & pestiferas, nec reliquerit fidum Magistrum, qui doceat discernere inter illam & istas. Nullam fuisse Ecclesiam tam deprauatam, quin inter hæreses aliquem veritatis radium retinuerit, parùm iuuat: si non præstò fuit aliqua autoritas infallibilis, quæ illum radium tenebris obsessum cõmonstrârit. Etiam ligna putida, & felium oculi, & cicindelarum pennulæ, micant in tenebris. Si in tali Ecclesiâ supersit semen Sanctum, vel bonâ fide & ignorantiâ inuincibili tegitur, vel veræ Ecclesiæ regulas etiam in medio nationis prauæ sequitur; certè ad veram Ecclesiam pertinet, quisquis falsæ Ecclesiæ solo corpore, aut bonæ mentis insuperabili errore insertus, saluatur.

Non II. Quia esse *pugnantiam non semper dogmaticam* nihil iuuat: sufficit ad incertitudinem & erroris periculum, esse sæpè, aut aliquando dogmaticam. Si inter multas & salutares pyxides sit vna aut altera, quæ letale toxicum contineat: qui venenatæ pyxidis notitiam non habet certam, in periculo est, ne pro pharmaco arripiat venenum, nisi sit, qui illud fideliter & certò doceat nôsse. Et multò magis, si errores plures sint.

Non III. Quia non tollit incertitudinem fidei ex diuersis & aduersis translationibus dependentis, si quis casu in genuinam versionem incidat. Si inuenit interdum cæca columba pisum, non ideo oculata est. Illustrauit Deus Ecclesiam per certamina, sed talia, vt semper constaret, quæ partium certantiũ certaret legitimè. Etsi portæ inferi semper oppugnent Ecclesiam fundatã super petram, facilè tamẽ discernuntur ab illâ, non minùs quàm tenebræ à sole. Inter hæc numerantur quoque certamina de Scripturis, sed oportet extare exemplaria indubiæ autoritatis: quam non habent, nisi quæ proponuntur ab Ecclesiâ infallibili, aduersùs quam portæ inferi nunquam præualebunt. Non iuuat casu incidere in versionem genuinam.

Editio

Editio Vulgata, quatenus sit authentica.

Pugnantiam versionum Ecclesia sustulit ipso facto, & deniq; decret. Conc. Trid.

Non IV. Quia pugnantiam versionum sustulit Ecclesia tum ipso facto, siue in actu exercito, dum *longo tot seculorum vsu, editionem veterem & vulgatam solam probauit*, vt ait Concil. Trident. sess. 4. in Decreto *de edit. & vsu sacrorum librorum*; tum in actu signato, dum idem Concilium in dicto decreto statuit, vt *hæc editio in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authenticâ habeatur, & nemo illam reÿcere quouis prætextu audeat, vel præsumat*: in ijs videlicet, quæ doctrinam Fidei & morum concernunt. *Eatenus enim voluit eam authenticam haberi, vt certum omnibus esset, nullo eam fœdatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma, in fide & moribus colligi posset*, ait Andreas Vega lib. 16. in Concil. Trident. c. 9. Cui non aduersatur, leues errores & sphalmata, quæ Fidem & mores non tangunt, in dictâ versione multa extitisse, & aliqua etiamnum superesse. Neque enim declarata est authentica, nisi quoad illa duo, non item quoad alia. Hanc verò Concilij fuisse mentem, confirmat idem Vega testimonio *Cardinalis S. Crucis, qui Concilio interfuit, & nomine Pontificis præsedit.* Idem asserit *Io. Mariana in tract. de vulgatâ versione c.* 21. adducens testimonium *Iacobi Lainis Præpositi Societatis IESV*, qui toti Concilio itidem interfuit. Eadem mens est Melchioris Cani lib. 2. de locis Theologicis c. 13. & 14. item lib. 11. c. 5. ad arg. 11. Lindani lib. 3. de optimo genere interpretandi c. 2. qui fatetur, *non paucos errores leuiores in editione vulgatâ reperiri.* Quæ causa est, cur post Concilium Trident. (quod l. c. *desiderabat, Scripturam sacram, potissimùm verò hanc ipsam veterem & vulgatam editionẽ, quàm emendatissimè imprimi,*) Pontifices Sixtus V. præsertim & Clemens VIII. in eâ emendandâ laborârint, hodiéque Sedes Apostolica idem curare pergat: liberúmque sit viris doctis cum debitâ modestiâ obseruare & adnotare, si quid cum ratione emendandum occurrat.

Mens Concilij.

Quo

Quo ipso per publicam Ecclesiæ praxin, refelluntur illi, qui authentiam hanc Editionis vulgatæ ad minima quæque extenderunt, & acerbiùs, vel seueriùs, quàm par erat, hanc extensionem propugnârunt. Sed non est de hâc re, quod ex Marianâ Dorscheus nobis obijciat quidquam. Non probamus neque moramur facta quorundam: publicum Ecclesiæ sensum & praxin sequimur. Meminerit Dorscheus, *Casparum Crucigerũ, Henricum Mollerum, Christophorum Pezelium, & Fridericum VVidebramum, Professores VVittebergenses A. 1574. quòd nollent subscribere Articulis Torgensibus, qui erant prima formula Concordiæ, Torgâ Lipsiam abductos, ibiq; in arce seorsim, captiuorum instar, habitos*, vt refert Forerus in Bello Vbiquistico f. 14. Præterea *Doctorem Cracouium in carcere, Benedictum Thalmannum in exilio mortuum, quòd Vbiquitati non fauerint; eandémq; ob causam Casp. Peucerum Medicum decennali exilio multatum à Saxone*, testatur Hospinianus in Concordiâ discorde fol. 39. Multos *contra voluntatem suam Libro Concordiæ subscripsisse*, fatetur etiam Heshusius in quâdam excusatione suâ ad Ducem Brunsuicensem A. 1578. Idem factum esse *in Coburgensi, Vinariensi, Brandeburgensi ditione* ex variorum epistolis affirmat Hospinianus l. c. f. 127. & seqq. vbi addit, *Magdeburgenses Theologos quoq; coactos subscripsisse, vti & Mompelgardenses.*

92. Refelluntur, qui Authentiam Vulgatæ ad quæuis extendunt.

Dorscheus suam manticã inspiciat.

Memorabile verò magis est, quod idem Hospinianus ex epistolâ D. Beutheri, quâ ad Argentinensium Agendam respõdet, subiungit: Es haben nit allein etliche hocherleuchte Christliche Fürsten in jhren Schrifften an baide ChurFürsten Brandenburg vnd Saxen geklagt / wie jämmerlich die Kirchen vnnd Schulen in den dreyen Weltlichen Churfürstenthumben / vnd anderen Herrschafften / durch das NB. fälschlich also genandte / vnd vermeinte Concordi Buch zerrissen / vnd verstört worden. Wie erbärmlich man hin- vnd wider / mit vilen armen Kirchen- vnd Schuldienern ist vmbgangen; was für scharpfe inquisitiones

De illis, qui coacti subscripserunt Libro Concordiæ.

sitiones

quisitiones man wider sie/ vnd jhre Bibliothecas angestelt; Wie Tyrannisch aus Anstifftung der Autorum solches Buchs / gegen den fürnemsten / vnd getrewesten in Kirchen / Schulen / vnd Politischen Diensten gehandlet; Wie gar vnmenschlich jhrer etlich vil Jahr/ in schwärer Gefängknuß gepeinigt / auffgehalten/ vnd gemartert worden/ꝛc. Vide Dorschee, an quæ §. 3. ex Marianâ affers, vel his similia, non æquè, imò magis in tuos quadrent ?

Quę de edit. Sixti V. obijciuntur, corruunt.

Sed insistendo verissimæ explicationi, quam de authentiâ vulgatæ editionis tradidimus: ecce! corruunt omnia, quæ §. 5. & 6. & alibi ambitiosè de editione Sixti V. obiectas. Neque enim in ijs, quæ Fidem & mores spectant, Biblia Clementis VIII. dissident ab illis, quæ emendauerat Sixtus. In quibus si errâsset, & in errore perstitisset, nihil id veritati & Concordiæ Fidei Catholicæ officeret; neque enim dicimus, *Pontificem & Concilia nullâ in re, sed in ijs solùm, quæ Fidei & morum puritatem spectant, errare non posse.* Neq; tu Dorschee justam causam habes, cur grauissimis viris, qui sanctè affirmârunt referente Tannero, Bullam de Biblijs à Sixto nunquam fuisse publicatam, fidem abroges.

Dorscheus frustra conuitiatur.

Conuitium est, quod addis pag. 23. *Infallibilitatem Pontificiam, cui hucusq; Sedes in cordis scrinio fuit, nunc esse in valuis Basilicæ Principis Apostolorũ, & in columnâ aciei Campi Floræ.* Ne Pontificia decreta ante solennem hisce locis publicationem vim habeant, non primus induxit Sixtus V. sed multi ante ipsum Pontifices obseruârunt. Retinuit ille, retinéntque hodie eius successores Spiritus S. afflatum in cordis scrinio: Sapientis cautelæ est solennis hæc publicatio, vt nihil erroris vel fraudis subrepat, ipso Spiritu S. suggerente excogitata.

Editio Sixtina non dissidet in Fide à Clementinâ.

Omittimus alia, quæ de hâc re insultando, & criminando accumulas: cùm, quidquid dicas, concordiam in doctrinâ Fidei & morum, Sixtina emendatio minimè violauerit. Profer ex *Thoma Iamesij*, quem allegas, *Bello Papali*, vbi diuersas Sixti V. & Clementis VIII. lectiones annotauit, vel vnam, in quâ dissensio

fensio aliqua de doctrinâ Fidei Catholicæ aut morum, inter Sixtum & Clementem cernatur. Si potes, vicisti; quia non potes, victum te fatere: & reuoca, quòd falsò affirmâsti, pugnantiam versionum, vniuersim Fidei non obesse.

Nec V. Deniq; Ratio, quam affers, quidquam efficit. Esto, *sint plures versiones authenticæ, idque alij Doctores Catholici affirment*, nihil inde in plures variantes pugnantésque versiones, quarum nullam conceditis esse authenticam, redundat lucri. Nihil enim ex omnibus colligi potest, quod deficiente authentiâ, certitudinem Fidei diuinæ sustentandæ necessariam afferat. Contrà si plures authenticas esse versiones, Ecclesiæ infallibilis autoritas declarârit, tantò pluribus vijs certitudinem Fidei obtinemus.

Nihil obstat esse plures versiones authenticas.

ARGVMENTVM V.

KIRCHERVS.

Omnes sciunt, *ait Kircherus eod. num.* 10., qui in Academijs Theologiæ sunt aliquando operati, vbi disputationes feruent Theologicæ, sæpe ad fontes recurri: & posthabitâ Lutheri versione aliam, & dissimilem prorsus, à Præside ex fontibus afferri. Idem loquuntur Scripta quædam Franzij, Ioannis Tarnouij, & aliorum quorundam Criticorum Theologorum &c. *Argumenti neruus est, quem etiam attigit Dorscheus: Ipsi Lutherani in Academijs Theologi, sæpe ad fontes recurrendo, ostendunt se non fidere Lutheri versioni. Ergo neq; humanæ autoritatis satis habet.*

93. Versio Lutheri in Academijs sæpe posthabetur.

DORSCHEVS.

Replicat quidem Dorscheus §. 167. *Id non fieri, quòd isti nullam certitudinem ad procurandum negotium salutis in versione Lutheri esse existiment: sed tum quia agnoscunt reuerentiam fontibus debitam, etsi non despiciant translationis beneficium; tum quia in linguâ originali multos diuinæ sapientiæ recessus nôrunt, qui aliâ linguâ exprimi nequeunt.*

Replica Dorschei.

RESPONDETVR.

Sed non satisfacit hoc Kirchero, qui significat ex *diffidentiâ erga versionem Lutheri*, illam fontibus posthaberi. Secùs est apud Catholicos, qui & ipsi ad fontes recurrunt, non vulgatæ versionis neglectu, sed vt hanc ex illis confirment, & luculentiùs

Ad §. 167. Dorsch. Kircherus significat diffidentiâ.

tiùs explicent. Esse autem aliquos *diuinæ sapientiæ recessus in linguis originalibus*, qui contineant aliquid credendum, quod non possit exprimi aliâ linguâ, falsum est. Si maiorem dumtaxat emphasim intelligit Dorscheus, non inficiamur equidem esse subinde maiorem in fontibus: non ideo tamen verum est absolutè, aliquid in illis latere, quod saltem quoad substantiam, non possit aliâ etiam linguâ efferri.

ARGVMENTVM VI.

KIRCHERVS.

94. Lutheri querela.

Pergit l. c. Kircherus : Ipse Lutherus alicubi tot versiones prodire querulatur, quot scioli prodeant linguæ Hebraicæ Magistelli. *Nihil ergo illis tribuit autoritatis.*

DORSCHEVS.

Replicat Dorscheus §. 168. *Lutherum conqueri de versionum multitudine, siue ex fallaciâ & decipiendi consilio adornatarum, vt præsidium essent causæ non bonæ; siue priuatâ autoritate, & transferendi præsumptione natarum; siue nullo peculiari ad bonum publicum momento instructarum &c.*

Respondetvr.

Dorschei replicæ dilutæ.

Sed sunt hæc dilutiora, quàm vt satisfaciant; Nam 1. de cõsilio & intentione decipiendi, cũ sit in animo, non facilè constare potest; eâdem igitur licentiâ, quâ talem intentionem alijs cum suo Luthero impingit Dorscheus, eandem in ipsos retorquebunt isti. 2. Nihil apud Lutheranos interest inter autoritatem publicam & priuatam, cùm tota Ecclesia sit æquè secundùm illos fallibilis, quàm priuatus quilibet. Imò plus tribuunt priuato cuiuis, quàm Ecclesiæ eiúsque Doctoribus & Pastoribus, dum docent, *cuiuis concessum, imò mandatum, vt ex Scripturis iudicet de Concilijs, Patribus, Doctoribus, & toto mundo*, vide dicta n. 32. 3. Deniq; cùm nullam authenticam siue infallibilem versionem, etiam in ijs, quæ spectant ad Fidem & mores, agnoscant: non apparet, quid magnopere peculiaris momenti, vna versio præ aliâ ad bonum publicum conferat. Vbi enim Fidei & morum doctrina vacillat siue in vno, siue in pluribus, parum

præsidij

præsidij est, etsi constent sibi cætera. Quilibet enim *error in Fide aut moribus in versione commissus, & sub titulo verbi diuini commendatus, salutem in discrimen adducit.* Vt adeo Kircherus ex sententiâ Lutheri, autoritatem versionum ob earum multitudinem, vniuersim meritò videatur eleuare.

ARGVMENTVM VII.

KIRCHERVS.

Obijcit sibi Kircherus l. c. f. 20. pro defensione tam multiplicium versionum: Dicat aliquis fieri quidem posse, vt quibusdam in locis, citra fidei momentum aliquod discrepent isti emendatores, conuenire interim illos ijsdem in locis, quibus fidei contineantur articuli: *Mox autē respondet:* vt semel malus secundùm regulam Iurisconsultorum semper præsumitur esse malus: ita in vno falsus, falsus etiam in alio si non esse, tamen esse posse rectè præsumitur. Neque enim quantùm ad translationis rationem, inter hunc aut illum locum differentiæ obtinet ratio. Dico quantùm ad translationis rationem (præcisè) ne quis calumnietur &c. Ita qui Hebraicum textum Bibliorum feliciter transferat in aliam linguam, quidni & tabulas Thalmudicas? Vel qui istas, quidni & illum? Adeò nulla hìc est differentia, inter ea, quæ pertinent ad Fidem, & quæ non pertinent, quamuis in suo genere magna. Ex quo relinquitur, qui certitudinem versionum in principalibus locis sibi promittunt, contra artis præcepta ex maiori particulari in primâ figurâ Conclusionem inferre. *Ex hâc responsione, peculiare argumentum arbitrariè conficit Dorscheus, cùm non sit nisi argumenti, quod contra priora obijci potest, solutio. Sed audiamus §. 169. replicantem.*

95

Semel errās in translatione, semper præsumitur talis.

Ratio translationis non differt in grauibus & leuibus.

DORSCHEVS.

Dicit I. Non esse argumentandum, *ab aliquot locorum mendis ad totius versionis alicuius reiectionem. Obstare diuinam prouidentiam, quæ quod in communi malitia cursu facit, hìc quàm maximè deprauationi terminum figit.* Allegat Catharinum, qui in claui Scripturæ p. 44. dicit: *Proponi Scripturam aliquam vt sanctam, & vt talem probari ab Ecclesiâ, atque expertem protinus omnis erroris putandam esse; quia in hoc gradu proponitur, vt probetur, & sic probatur. Rursum proponi Scriptura aliquam translationem, & similiter offerri probandam Ecclesiæ. Hanc autem etsi probatur, non tamen vt Scripturam sanctam probari, quæ sit à Deo, sed vt interpretationem, quæ est ab homine. Et sic probari, vt recipi debeat, non quasi omnis prorsus erroris*

Ad §. 169. Dorsch. Resp. non esse ex vno loco totam versionem culpandam. Catharinus.

ris expers, sed vt illam, in quâ non sit error periculosus &c, & si quid tamen tale esset, nihilominus ad primam linguam emendari posset, ac deberet &c.

Crambes de Biblijs Sixtinis, & retorsio argumenti Kircheriani.

II. Recoquit crambem *de Biblijs Sixtinis.* Et, quòd in Editione vulgatâ leuiora menda superfuerint, hodiéque supersint; retorquet in nos argumentum Kircheri, asserentis *nullam ratione translationis, esse differentiam inter ea, quæ pertinent ad Fidem, & quæ non pertinent. Ex quo relinqui,* instat, *qui certitudinem versionis vulgatæ, in principalibus Scripturæ locis sibi promittit, cùm in leuioribus erret, eum contra artis præcepta ex maiore particulari in primâ Figurâ Conclusionem inferre.* Ita enim Kircherus contra alias versiones argumentatur.

Ecclesiam etiam infallibiliter gubernatam deficere in versionibus.

III. *Nihil Ecclesiam etiam infallibiliter gubernatam plus habere in versionibus 1. quia suppositâ etiam infallibili gubernatione, passa est ipsos fontes Hebræos corrumpi, vt Leo Castrius, & plurimi è Papatu clamitant. 2. Quia translationem LXX. Interpretum ab ipsis etiam Apostolis vsurpatam, perire passa est. Adsistitne Ecclesia ad infallibilitatis vsq; gradum Spiritus S., cùm connixisset ad similes corruptelas? 3. Quia S. Hieronymi versionem passa est confundi cum vulgatâ Italicâ, & ita innumerabilibus locis deprauari, vt post integri seculi industriam, nondum potuerit perpurgari, ipso etiam Paulo V. Codices in futurum, ad quærendam eius puritatem conquirente.* vbi allegat §. 67. & 68. ex prælim. 4. *Quia versio est res facti, de quo Pontifex alienis oculis, & iudicijs versorum & censorum credere cogitur. Itaq; vt aliàs, ita & in hâc re facti errare potest.*

RESPONDETVR.

96.

Ad §. 169. Dorsch. Agit malâ fide.

Ad I. Replicam RESP. 1. Kircherum id dicere duntaxat: quòd *ratione translationis NB. præcisè* (quam particulam malâ fide omittit Dorscheus) id est, quoad perfectam linguæ originalis notitiam, & facultatem transferendi in aliam linguam, cuius itidem quis perfectam notitiam habet, *nulla sit differentia inter hunc, aut illum Scripturæ locum*; æquè enim facilè & feliciter transferre potest vnum quàm alterum, siue ad fidem pertineant siue non, aut si non potest, linguarum eiusmodi perfectè peritus non est. Qui ergo translationem felicem principalium locorum sperat ab interprete, qui in minùs principalibus deficit, ita fallaciter colligit: *Aliquis locus Scripturæ rectè translatus est ab hoc interprete; iste vel iste, est locus Scripturæ; ergo rectè translatus*

Explicatur mens Kircheri.

latus &c. Vbi apertum est, concludi in primâ figurâ ex maiore particulari. Quin cùm perfecti interpretis sit, in vno loco seu libro transferendo non minùs verum sensum reddere, quàm in altero: eo ipso, qui in aliquibus præsertim leuioribus, adeóq; facilioribus aberrat, causam præbet, cur in grauioribus ipsi multò minùs fidendum sit. Hicque sensus est Kircheri, primo aspectu non ita planus.

Vnde RESP. 2. Diuinam prouidentiam malè à Dorscheo obijci: hæc enim nō pertinet ad rationem translationis *præcisè*, (quam particulam contra Kircheri admonitionem, fraudulenter in illius verbis recitandis omisit Dorscheus) cùm vt sic tota dependeat à facultate, peritiâ & fidelitate interpretis; cuius operi, si peculiariter diuina prouidentia interueniat, id non est ex naturâ translationis & peritiâ linguarum. *Communem malitiæ cursum* moderatur quidem prouidentia, *ne quousq; Satanæ volupe esset, grassetur.* Sed integritas & sinceritas Verbi diuini ad specialem Dei prouidentiam, quâ gubernat Ecclesiam, pertinet, vt videlicet ab omni errore fidei & morum sit immunis. In quâ immunitate, authentiam editionis vulgatæ constituimus, non item in immunitate à quibusuis leuioribus mendis & sphalmatibus. Acatholici autem vtrâque carent. Non solùm enim interpretibus, sed etiam Ecclesiæ vniuersim, negāt infallibilitatem in versionibus authenticis adornādis & declarandis. Nullam ergo agnoscunt versionem authenticam tam in doctrinâ fidei & morum, quàm in alijs; eoque ipso valde eleuant diuinam prouidentiam, quòd in summâ paucitate eorum, qui periti sunt linguarum originaliū, innumerabili multitudini reliquorum de versione aliquâ, saltem in doctrinâ fidei & morum (quam totam ex solâ Scripturâ peti volunt) authenticâ, siue infallibili non prouiderit.

Diuina prouidentia nō spectat trāslationem *præcisè.*

Integritas Verbi diuini pertinet ad prouidentiā specialem.

Acatholici nec in Fide quidem & moribus agnoscunt versionem authenticā.

RESP. 3. Neque *in quatuor paginis, quas ex Catharino*, vti & alia complura, ex alijs quoque ad libri sui molem augendam, exscripsit, quidquam vigoris, aduersùs Editionem vulgatam

reperiri.

reperiri. Obijt Catharinus teste *Bellarm. in Script. Eccles.* Anno 1552. postquam Decretum Concilij Tridentini *de Scripturis & Editione vulgata* aliquot ante mortem ipsius annis in sess. 4. celebratâ 8. Aprilis A. 1546. emanârat. Quod decretum si non vidit, veniâ fortè dignus est; si vidit & postea scripsit, quæ Dorscheus allegat, merentur censuram, quâ illum l. c. notauit Bellarm. *Multa illum scripsisse, sed aliqua iudicio Ecclesiæ improbata, aliqua communiter à Doctoribus reiecta*, quibus etiam hæc accenseri debent. Etsi enim Concilio non repugnat, quod ait, *translationem ab Ecclesiâ probatam recipi debere, non quasi omnis prorsus erroris expertem, sed vt illam, in quâ non apparet error periculosus &c.* illud tamen quod subdubitando subiungit: *& si quid tamẽ tale esset* (erroris periculosi) *ad primam linguam emendari posset &c.* Decreto Concilij, quod omne dubium de Editionis vulgatæ authentiâ in Fide & moribus sustulit, repugnat; vti & illud: quod absolutè negat, translationem, *quæ ab Ecclesiâ probatur, non tamen vt Scripturam sanctam probari, quæ sit à Deo, sed vt interpretationem, quæ est ab homine.* Falsum enim est translationem ab Ecclesiâ probatam, vt authenticam, *non esse itidem à Deo per peculiarẽ Spiritus S. assistentiam interpretem dirigente, ipsámq; Ecclesiam, vt approbet eiusmodi versionem,* quam pro eiusdem Ecclesiæ vsu & Fidelium necessitate, ita voluit Deus adornari, ne vllus in Fide & moribus error interueniret. Atqui, sicut Apostolis Christus Matth. 5. v. 13. cùm illos appellâsset, *sal terræ*, dixit: *Quòd si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilũ valet vltrà &c.* ita opponi posset diuinæ prouidentiæ: si Scriptura, quæ secundùm Acatholicos siue originalis, siue translata, est vnica Fidei & morum Regula, in translatione distorta fuerit: per quam aliam Regulam corrigetur ab illis, qui linguas originales non intelligunt?

Bellarmini in Catharinum Censura.

Catharinus refellitur.

Ad II. Replicam RESP. 1. de Biblijs Sixtinis nos abundè respondisse suprà num. 91. ad 4. Resp. 2. Argumentum & verba Kircheri malè à Dorscheo retorqueri. Nos enim authen-

Dorschei retorsio locum non habet.

tiam

tiam Editionis vulgatæ, non promittimus, neque asserimus *in locis principalibus, quæ doctrinam Fidei & morum continent, ex vi translationis PRÆCISE*, quæ subest communi duntaxat prouidentiæ, quâ Deus quæuis mala, adeóque etiam grauissimos errores, in translatione quorumuis librorum permittit; sed ex speciali prouidentiâ & infallibili assistentiâ, quâ Ecclesiam dirigit in Scripturis sacris, earúmque translationibus discernendis, & approbandis: postquam ipsos interpretes nec cogitantes quidem ita priùs manuduxit, vt eorum versio in Fide & moribus nihil aberret, adeóque ab Ecclesiâ probari possit: non obstantibus erroribus, & mendis leuioribus, quæ ex imperitiâ, vel negligentiâ Scriptorum & Typographorum oriuntur, quæque pro cursu & more humanæ imbecillitatis, vti vitari non possunt, ita nec impedire Deus voluit; cùm nullum Fidei vel moribus periculum creent, exercendis verò in Scripturarum studio, & ad earum intelligentiam acuẽdis ingenijs, plurimùm conferant. Hâc speciali prouidentiâ & assistentiâ Spiritus S. in præcauendis versionum fidem & mores concernentibus erroribus, cum se destitutos credant Euangelici, argumento Kircheri ex vi translationis *præcisè* ducto premuntur. Cùm enim hæc æqualis sit, in quibusuis libris & materijs transferendis, si in leuioribus error apparet, meritò grauiora itidem suspecta reddit: Neque enim communis *prouidentia in cursu malorum*, rerum vel actionum humanarum naturam aut conditionem immutat, sed his saluis illas moderatur.

Peculiariter Deus præcauet in versione approbandâ errores Fidei & morum.

Ad III. Replicam, dicimus *Falsum esse, quod Ecclesia etiam infallibiliter gubernata, nihilo plùs habeat in versionibus:* neq; enim rationes, quas adhibet Dorscheus, quidquam negotij in diluendo facessunt.

97. Ecclesiæ infallibilitas in versionibus non vacillat.

Non 1. & 2. Quod *Ecclesia passa sit ipsos fontes Hebræos corrumpi, & translationem LXX.* perire. Nam, vt maximè vtrumque verum esset, non ideo Ecclesiæ infallibilis autoritas, aut diligentia meritò foret suspecta. Neq; enim culpam habet ea

pati, quibus obsistere non possis. Sinit Deus iustis ex causis hæreses oriri, & quasdam per magnam orbis partem permisit grassari; idque Ecclesia pati coacta fuit, quantumuis pro viribus per Concilia, virósque Doctissimos & Sanctissimos contrà niteretur. Ita idem euenire potuit, in ferendâ deprauatione fontium, quorum sensum legitimum (in quo potiùs, quàm in literâ Verbi diuini cardo vertitur, vt diximus n. 79. in Resp. 2.) hæreticos iam olim deprauâsse, hodiéque idem factitare manifestum est, vt mirum non foret, si idem in literâ ad fraudes suas tanto speciosiùs tegendas, ausi fuissent. Neque verò ideo Ecclesiæ autoritas vacillaret. Sicut enim Spiritus S. Ecclesiæ infallibiliter adstitit, vt Verbi diuini sinceritatem, & Scripturarum orthodoxum sensum, sæuientibus licet vndique hæresibus per Pontificum Conciliorúmque decreta custodiret illibatum, & per Patrum scripta propugnaret: ita deprauatâ licet fontium quoque literâ, eidem infallibiliter adstitisset, in editione aliquâ seu versione deligendâ, probandâque velut authenticâ: quæ sensum, qualem litera fontium necdum vitiatorum exhibebat, redderet, & absque vllo Fidei aut morum periculo repræsentaret. Neq; enim Spiritus S. interpretem pro bono Ecclesiæ dirigens, aut non meminit quid in fontibus integris aliquando contineretur, aut vnquam patietur Fidelibus in re summi momenti, vnde salus ipsorum dependet, ab Ecclesiâ, (quam Matrem & Magistram ijsdem dedit,) falsa pro veris, & adultera pro genuinis obtrudi.

Ecclesia inuita passa est hæreses.

Fontibus licet corruptis, Spiritus S. Ecclesiæ adstitisset in sincerâ versione.

Atqui verò negandum est Ecclesiam passam esse, vt fontes Hebræi, & translatio Septuaginta, in ijs quibus doctrina Fidei & morum continetur, corrumperentur, aut perirent, quidquid nostri aliqui pugnent seu asserant; contrà quorum priuatam opinionem, nitimur publicâ Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ praxi & vsu. Nam quod fecit in alijs libris seu sacris, seu profanis, qui pestiferos errores continent, vt de hoc Fideles admoneret, aut penitus illis interdiceret: nihil illa de textu Hebræo,

Fontes non esse corruptos in fide & moribus, apparet ex Ecclesiæ praxi & vsu.

vel

vel editione L X X. veluti grauiter & periculosè vitiatis, vnquā vel admonuit, vel sanxit. Quin constat ex præfat. ad Lectorē, quæ *Biblijs vulgatæ editionis Sixti V. iussu recognitis, & Clementis VIII. autoritate editis*, præfigitur, ea non solùm *adhibitis antiquißimis Codicibus latinis manuscriptis, sed inspectis quoque Hebraicis, Græcisq; Bibliorum fontibus, consultis denique veterum Patrum Commentarijs, accuratißimè castigatam.* Quâ autem ratione tam solicitè inspicerentur hi fontes, si in Fidei vitæq; Christianæ summâ, aut articulis corrupti essent, vel perissent?

Quæ nunquam de hoc admonuit.

Ponderandum deinde est, quod sub finem ferè eadem præfatio admonet: *credendum, facilè fieri posse, vt maiores nostri, qui ex Hebræis & Græcis Latina fecerunt, copiam meliorum, & emendatiorum librorum habuerint, quàm ij sint, qui post illorum ætatem ad nos peruenerunt, qui fortaßè tam longo tempore identidem describendo, minus puri atq; integri euaserunt.* Ecce! Fontes tum Hebræi, tum Græci indistinctè, solùm *sub dubio, minùs puri atque integri* pronuntiantur, sunt ergo *absq; dubio absolutè puri atque integri*, judicio Sedis Apostolicæ, cuius autoritate præfatio illa Biblijs vulgatis præfixa noscitur. Quâ tam miti censurâ non notarentur, si in Fide & moribus corruptelam passi essent, quæ si vlla in dictis fontibus extaret, non *iam minùs puri*, sed *impuri* proclamandi essent. Denique vt ex Pontificali Romano constat, quando Pontifici recens creato, Iudæi Romæ Biblia Hebraica V. T. offerunt, respondet Pontifex: *Sanctam legē Viri Hebræi & laudamus, & veneramur: vtpote, quæ ab Omnipotente Deo, per manus Moysi Patribus vestris tradita est: obseruatiā verò vestram & interpretationē damnamus atq; improbamus:* Nō solā autem interpretationē damnarent Pontifices, sed ipsū etiam textum Hebraicū, si in doctrinâ Fidei & morū vitiatus esset. Quod argumētū pluriū seculorum vsu comprobatū, Fontium Hebraicorū propriū est. 98.

Præfatio Editionis vulgatæ pro illis facit.

Item responsum Pontificis recens creati ad Iudæos.

Futilior est ratio 3. *de confusione editionis nostræ vulgatæ* (quam S. Hieronymo indistinctè tribuit Dorscheus) *cum versione, quā idem S. Hieronymus communem & vulgarem, S. Augustinus Italam,*

Editio vulgata non est solius Hieronymi.

S. Gregorius veterem translationem appellat, vt in eâdem præfatione dicitur. Nam 1. hodierna editio vulgata, eiuſdem præfationis teſtimonio, non eſt ſolius Hieronymi, *ſed qui in eâ libri continentur (vt à Maioribus noſtris, quaſi per manus nobis traditum eſt) partim ex S. Hieronymi translatione, vel emendatione, ſuſcepti ſunt, partim retenti ex antiquiſſimâ quâdam editione Latinâ*, à Patribus præfatis celebratâ. 2. Id ipſum, quod Eccleſia ex vtrâque editione veluti delectum habuit, argumento eſt peculiari Spiritus S. inſtinctu factum; ídque confirmat perpetuus tot ſeculorum poſt S. Hieronymum vſus, quorum decurſu, Concilia, Patres, Doctores, Concionatores, hæc ipſa Biblia ad confirmanda, explicanda Fidei dogmata, morúmque Chriſtianorum doctrinam adhibuiſſe reperiuntur: vt ferrei oris & chalybei cordis ſit, qui dicat aut ſentiat, Eccleſiam tam diu fallaci ac deprauatâ verſione, deluſam fuiſſe & deceptam. 3. Aliud eſt duas verſiones temerè confundere; aliud vnam ex alterâ emendare, quod S. Hieronymus in nouo teſtamento, iuſſu Damaſi feciſſe creditur. Aliud denique aliquos libros editionis veteris retinere, qui vel à S. Hieronymo in linguam Latinam translati non ſunt, vel etſi tranſtulerit, vt Pſalterium, (quod in Hieronymi operibus exſtat, & à Pſalterio vulgato, ſaltem verbis multùm diſcrepat,) vſu tamen receptum non fuit; ídque eam ob cauſam eueniſſe non eſt incredibile, quia Clerus & populus pſalmis juxta veterem translationem recitandis, & decantandis longis annis aſſuetus, ab eâ conſuetudine non facilè poterat dimoueri.

Sed partim ex illâ, partim ex veteri quâdam.

Quod denique Dorſcheus *de innumerabilibus locis deprauatis* denuo aſſerit, ex dictis refutatum manet. In doctrinâ fidei & morum nullam vnquam corruptelam Editio noſtra vulgata admiſit; proferat Dorſcheus vel vnam, ſi vir eſt. In reliquis, vt retineamus verba præfationis ſæpius memoratæ, dicimus eam Pontificum (Clementis præſertim) autoritate, *quantâ fieri potuit diligentiâ caſtigatam: quam quidem ſicut omnibus numeris abſolu-*

In fide & moribus Editio vulgata corrupta non eſt.

absolutam, pro humanâ imbecillitate affirmare difficile est, ita cæteris omnibus, quæ vsq; ad hanc diem prodierint, emendatiorem, purioremq; esse, minimè dubitandum. Ex quibus verbis illud simul elucet, authentiam huius editionis ex sensu Pontificum & Ecclesiæ, non esse extendendam ad quasuis varias lectiones, aliásq; minutias: eámque ob causam hodiéque in his perpurgandis, in Ecclesiâ Romanâ laudabiliter laborari.

Quæstio de legitimâ versione, est magis iuris diuini, quàm facti.

Nec quidquam denique 4. cauillatur, *Versionem esse quid facti, in quo alienis oculis & iudicijs Pontifex credere debeat, adeòque vt in alijs quæstionibus facti, errare possit.* Nam vt suprà diximus num. 86. non est res merè facti, sed multò magis Iuris diuini, *an* videlicet *versio aliqua conueniat huic juri, quod Verbo diuino cōtinetur?* Neque ita illud alligatum est textui originali, vlliue Scripturæ, quin eâ deficiente aut quantûuis deprauatâ, secundùm illud Spiritus S. Pontificem, & Ecclesiam in Fide & moribus dirigeret, sicut direxit Ecclesiam primitiuam, antequam Scripturæ N. T. perficerentur, aut in omnes orbis partes perferrentur. Non igitur hâc in re Pontifex pendet ab alienis tantùm oculis & judicijs, sed multò magis ab internâ Spiritus S. directione. Etsi is velit humana quoque media adhiberi, quæ & ipsa, vbi opus est, ab eodem Spiritu veritatis, ad eandem reperiendam & conseruandam aptari est extra controuersiam; attingit enim *à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Sap. 8. v. 1. Quod denique dicitur *Pontificem in quæstionibus facti errare posse*, de factis priuatis intelligendum est, non de illis, quæ fideles vniuersim aut publicum Ecclesiæ bonum concernunt: in his etiam Pontificem falli, non permittit specialis illa prouidentia, quâ Ecclesiam suam Deus gubernat.

Verbum Dei non est alligatum textui.

Pontifex nō errat in quęstionibus facti, Ecclesiā concernentibus.

Falsò igitur Dorscheus asserit, *Nihil Ecclesiam etiam infallibiliter gubernatam plùs habere in versionibus*, & quod §. 171. f. 571. audacissimè scribit: *per se liquere, etiam juxta hypothesin* Catholicorum, *infallibilem Spiritus S. assistentiam non attingere versiones Scripturarum.* Nullam talem hypothesin habet, vel admittit

Spiritus S. non finit approbari versionem vitiosam in fide & moribus.

Ecclesia Catholica: sed credit Spiritum S. infallibiliter sibi assistere, ne versionem aliquam velut authenticam probet aut proponat, in quâ vllus Fidei aut moribus perniciosus error insit. Etsi verò vltra hunc infallibilitatis gradum, non procedat Spiritus S. non ideo veluti oscitans aut dormitans, conniuet ad alias corruptelas, vt argutari Dorscheo placet. Vbi enim Fidei & moribus planè ac plenè consultum est, in alijs suum humanæ tum industriæ, tum imbecillitati cursum ac morem idem Spiritus relinquit. Dorscheus verò obiurgandus est, qui tantam apud suos Euangelicos eidem Spiritui S. oscitantiam impingit, vt versionum deprauationi, etiam in perniciosis erroribus connixerit: neq; linguarum imperiti originalium, (quorum longè maxima pars est) translationem Bibliorum habeant vllam, ex quâ infallibilem Fidei & morum regulam possint petere, cum versionem nullam credant esse authenticam.

ARGVMENTVM VIII.

KIRCHERVS.

99. *Liberalis est Kircherus num.* 11. *&* dat ex abundanti, ne tantillum in suâ versione errâsse Lutherum, aut ab illo textu ablusisse, quem sumpserat transferendum. *Sed hâc licet hypothesi factâ, instituit quæstionem* de textu illo, quem in illo opere sequebatur Lutherus: fueritne *αὐτόγραφος* ille & originalis, ánne ex primo & originali descriptus?

Lutherus nō autographo vsus est, sed apographo Ecclesiæ fallacis.

Quidquid, *ait*, dixerint Lutherani, incertitudinis scopulum declinare non possunt, quantisper suam fidem & conscientiam Ecclesiæ Catholicæ non subijciunt. Autographum ipsum, vix erit, vt viderit aliquando Lutherus, secutum ergo fuisse exemplum aliquod descriptum oportet. Atque hoc eiusmodi quidem, quale tum in ærario suo custodiebat, aliísque commendabat Ecclesia Catholica. Hanc autem vt Antichristianam, & nullâ fide dignam reijcit & damnat. Quomodo ergo fidem potest habere illi exemplari, vnde transtulit? quomodo nos fidem ipsius versioni? aut si in illo argumento Fidem habet Ecclesiæ, cur habendam esse negat in alijs?

Neruus argumenti Kircheriani.

Neruus argumenti est: Qui destitutus autographo, exemplum inde descriptum, & ab Ecclesiâ Romanâ fallaci atque Antichristianâ sibi traditum, in translatione secutus est, fidem illi nec ipse habere potuit, nec alij possunt. Lutherus

therus in suâ versione destitutus autographo, exemplum inde descriptum, & ab Ecclesiâ Romanâ (vt ipse censuit) fallaci atq; Antichristianâ, sibi traditum, in translatione suâ secutus est, Ergo fidem illi nec ipse habere potuit, nec alij possunt; nisi Ecclesiam Romanam à fallaciâ & Antichristianismo immunem, credant & pronuntient.

DORCSHEVS.

Replicat §. 173. Dorscheus I. *Lutherum, etsi à Pontificiâ Ecclesiâ in solidum Codices originales Hebraeos & Graecos habuisset, eos tamen accepisse ab Ecclesiâ negligente, oscitante, bona sua ignorante, ac parum hos thesauros curante. Sexennio prius, quam Lutherus indulgentias oppugnasset, Complutense opus industriâ & impensis Fr. Ximenij prodijt.* Allegat Bzouium To. 18. Annal. A. C. 1502. n. 12. qui ex Gomezio id opus praedicat, & Ximenium ad illud suscipiendum promotum asserit, quod *praeuideret in tantâ inertiâ hominum diuinas literas negligentium, aliquos quàm primum exorituros, qui Christi Ecclesiam ausu nefario, à Catholicorum quorundam imperitiâ profecto, impugnare tentarent &c.* Replicae Dorscheanae ex Biblijs Ximenij.

II. *Hinc idem Dorscheus concludit, non ex aliquâ infallibili propositione Pontificis, sed curâ Ximenij, tum in lucem assertos fuisse fontes.*

III. *Hos vsurpâsse Lutheri in Germanicâ translatione cooperatores. Hos habuisse Ecclesiam, non vt fermento Papali corruptam, sed vt sponsam adhuc tabulas suas dotales integras habentem. Item sub Papatu pios nonnullos, catúsque illos, qui sese à tyrannide Pontificum dudum separauerunt. Inter quos VValdensium longè latéque diffusa multitudo, à multis seculis vsq; ad ea tempora Papae contradicens, principatum obtinuit.* Ex cœtibus piorum, praesertim VValdensium.

IV. *Neque verò hos habuisse certitudinem ex proponente, sed ex reipsâ tot praesidijs munitissimâ, quot c. 1. & 2 congesserit. Sed habuisse praeterea in promptu ex Graecâ Ecclesiâ, Codices praeclarissimè custoditos, ab Aldo excusos Venetijs. Neq; defuisse Iudaeorum passim Codices. Adeóque ab infallibili quâpiam assistentiâ Ecclesiae, dependere necesse non fuit.* Ex criteriis Verbi diuini.

RESPONDETVR.

100. Ad §. 173. Dorsch. Dorscheus sibi ipsi praeiudicat.

Ad vanissimas has replicas Respondemus I. Dum fatetur Dorscheus Lutherum Codices originales non quidem *in solidum*, sed tamen *etiam* ab Ecclesiâ Romanâ, *eáque oscitante, negligente, & bona sua ignorante &c.* accepisse, causam suam grauiter vulnerare. Necesse enim est dictorum Codicum fidem, quatenus ab Ecclesiâ Romanâ ad Lutherum venerunt, nutare; cum praesertim indistinctè Scripturam sacram inde ad se suósque

que (nullâ factâ mentione VValdensium, Græcorum, Iudæorum) peruenisse asserat ipse Lutherus in lib. aduersus Anabaptistas: *Fatemur*, ait, *sub Papatu plurimum esse boni Christiani, imò etiam omne bonum Christianum, atque etiam* NB. *illinc ad nos deuenisse. Quippe fatemur in Papatu esse veram Scripturam sacram &c. Dico insuper sub Papatu veram Christianitatem, imò nucleum Christianitatis esse.* Vide mi Dorschee, quàm parùm cum hâc Magistri tui Confessione tibi conueniat.

Lutherus in Papatu verā Scripturam asserit.

II. Dum ex Bzouio commemorat, neque improbat, *communicato cum Alexandro Pontifice Romano consilio, Ximenium editionem Bibliorum faciendam curâsse:* rursus sibiipsi præiudicans fateri cogitur, autoritate Pontificis eam editionem susceptam atque perfectam. Quorsum enim aliàs cum Pontifice Romano, sub cuius obedientia Ximenius viuebat, id communicâsset? Hispanus in Hispaniâ Sedi Apostolicæ deuotissimâ, nihil absque eiusdem autoritate & approbatione attentauit. Neque opus fuit peculiarem Spiritus S. assistentiam interuenire, cum nihil in ijs, quæ ad Fidem & mores spectantia Ecclesia Catholica recipit, Ximenius mutauerit. Reliqua autem, quæ ad Bibliorum in linguis originalibus & Latinâ vulgatâ, emendationem ac commodiorem vsum contulit, non quidem infallibilem approbationem, magnam tamen commendationem merentur. Quod verò textui vtrique Hebræo & Græco, non alium quàm Latinum editionis vulgatæ adiunxit, eo ipso idem Ximenius ostendit, quod ex sensu Ecclesiæ Romanæ, hunc textum præ alijs, cum fontibus conuenire iudicaret.

Ximenius non sine autoritate Pontificis Biblia edidit.

III. Quæ Bzouius affert de *inertiâ hominum diuinas literas negligentium*, plus exaggerationis habent, quàm oraculi. Scripsêre paulò ante Lutherum *Dionysius Carthusianus* in totam Scripturam, *Alphonsus Tostatus*, in magnam eius partem; quod itidem secluso decimo tertio fecêre *Nicolaus Lyranus*, & *Nicolaus Gorram*. Illi porrò, qui Lutherum primi oppugnârunt, *Ioannes Eckius, Conradus Koellin, Ioannes Roffensis, Thomas Morus,*

Sub tempora Lutheri non defuerunt viri Scripturarum periti.

Ioannes

Ioannes Faber, Iacobus Latomus, Ioannes Cochleus, aliíque doctissimis libris suis reipsâ demonstrârunt, illo tempore Ecclesiæ Catholicæ studium & scientiam Scripturarum, refellendis hæresibus necessariam, minimè defuisse. Sed commodè fatetur Dorscheus *paucis ante Lutherum annis, Ximenium curam emendandi & accuratiùs edendi Biblia suscepisse*; solet enim Deus, cùm nouas hæreses exoriri permittit, aliqua antidota prouidere, quæ ad ipsas faciliùs debellandas conducant. Sufficiebat integritati Fidei & morum, Editio vulgata: sed ne hæreticorum astutia linguarum originalium obtentu, pro libitu illam vitiaret aut traduceret: ingenia & industriam Ximenij aliorúmque excitauit, ad fontes pro veritatis defensione magis elucidandos, & studiosiùs propinandos, puriúsque hauriendos.

IV. Vtrùm hisce fontibus Ximenianis præcipuè Lutherus eiúsque Symmistæ vsi sint, nobis ambiguum est. Id mirum, cur sub illa tempora Dorscheus scribat, *eosdem habuisse Ecclesiã, nondum Papali fermento corruptam,* cùm iam tum (vti criminantur sectarij) & diu ante, doctrina Romano-Catholica totum Christianum orbem fermentâsset. Retinuit illa, retinétq; hodie *integras tabulas dotales*, vt vel editio Ximeniana, quæque aliæ deinceps secutæ sunt, confirmant. Neque enim circa Fidem & mores, in antiquioribus exemplaribus Hebræis & Græcis, ac vulgatis Latinis, ab Ecclesiâ Romanâ quidquam mutatum, aut corruptum fuisse, quisquam demonstrauit, aut demonstrare potest. 101.

Ecclesia Romana in fõtibus nihil mutauit.

V. Inter pios scilicet, *illósque cætus, qui se à Papæ Tyrannide separauerunt, Fontibus,* vt asserit, *Hebraeis Græcísque ad id vsi*: quòd VValdenses numerat, inscitiam suam prodit Dorscheus. Constat enim VValdonem idiotam fuisse linguarum imperitum, de quo, eiúsque sequacibus monet in Catalogo Hæreticorum Bernardus Luzemburgius: *Quòd olim Fides Catholica per potentes Principes, per argutos philosophos, per subtiles hæreticos fuit impugnata, diebus autem istis NB. per vilißimos idiotas, & laicos pauperrimos*

VValdenses imperitè Dorscheus prædicat.

perrimos tribulabatur. Falſum porrò eſt, *multis ante Lutherum ſeculis*, Eccleſiæ Catholicæ iugum illos excuſſiſſe. Vix tria interceſſerunt; exorti enim ſunt circa finem ſeculi duodecimi, & initium decimi tertij; tria autem multa dici, non habet communis loquendi vſus. Neque ita longè latéque diffuſi ſunt, vt inſtar aliorum hæreticorum, prouincias, aut integra regna occuparent, ſed potiùs inſtar pecorum gregatim vagarentur, ab Eccleſiâ, c. excommunicamus, c. extra de hæreticis, & ſæpius damnati. Vt omittamus, in grauibus quibusdam articulis, à Lutheranis illos diſſidere, vt videre eſt apud Æneam Siluium de orig. Bohemor. c. 35. vbi errores eorundem recitat.

Cuſtodiam Codicum Græcorum Eccleſiæ Græcæ vaniſſimè tribuit.

VI. *Codices Græcos ab Eccleſiâ Græca cuſtoditos vaniſſimè iactat.* Quid enim à Græcâ Fide magnopere ſperari queat? Conſtat illam Eccleſiam peperiſſe, & fouiſſe quatuor illas grauiſſimas hæreſes Arij, Macedonij, Neſtorij, Eutychetis, aduersùs quas prima quatuor celeberrima Concilia fuêre celebrata. Neque deinceps minùs ferax errorum, quàm Africa monſtrorũ, eadẽ Eccleſia fuit, donec Spiritu S. iniuriam violatæ ſuæ diuinitatis vlciſcente, iugo Turcico oppreſſa eſt. Nihilo plus præſidij eſt in *Iudæis*, quorum perfidia ad Fidem integritati Codicum Hebræorum aſſerendam non ſufficeret, niſi Chriſtianæ Eccleſiæ autoritas eandem confirmaret. Vt enim in doctrinâ Fidei & morum, textum ab illis corruptum eſſe non affirmamus: ità illuſtria quædam de Chriſto teſtimonia, illos omiſiſſe, ideóque hâc etiam in re fidei ſuſpectæ meritò eſſe, negari non poteſt. Denique, vt V. T. fontes Hebræos illis acceptos ferremus, cui cuſtodiam textus N. T. aſſignabit Dorſcheus niſi Eccleſiæ Catholicæ?

Similiter & Iudæis.

VII. Quod denique Dorſcheus nihilominus negat, (licet tot veritatis fontium firmamenta conquiſierit,) *Lutherum eiúſque cooperatores, VValdenſes itidem, alióſque certitudinem ex proponente, habuiſſe* rectè facit. Secundùm enim principia Lutheranorum, omnes iſti, vnde Biblia ad ipſos peruenerunt, homines

fuerunt

fuerunt fallibiles, neque habuerunt *infallibilem Regiminis diuini aßistentiam.* Nutat igitur Fides diuina, si aliud fundamentum non habet, cui certitudo textus sacri, ex quo vnicè fides Lutherana dependet, superstruatur. Quod verò ex *re ipsâ tot præsidijs,* (id est, criterijs Scripturæ) *munitißimâ, quæ* c. 1. & 2. *se congeßisse gloriatur,* certitudinem accersit, grauissimè fallit, & fallitur, vt ibid. demonstrauimus, præsertim c. 2. §. 4. 5. 9 Inuictus igitur manet argumenti Kircheriani neruus: quòd *Lutherus & Lutherani, destituti primigenio Scripturæ autographo, certi non sint de Verbi diuini legitimâ interpretatione, nisi Ecclesiam Romanam à quâ exemplum ex autographo descriptum acceperunt, pro verâ & legitimâ agnoscant.* In reliquis enim, quos in suppetias vocauit Dorscheus, certitudo proponentis fundari nequaquam potest, vt ipse fateri cogitur; neq; in criterijs textus, vti nos demonstrauimus. Ergo in hâc re, vnde salus dependet, vel in incerto nos fluctuare sinit Deus Opt. Max. qui *neminem patitur tentari supra id, quod potest,* 1. Cor. 10. v. 13. vel sacri textus & translationis authentia, non nisi ab infallibili Ecclesiæ Catholicæ Romanæ autoritate, peti potest ac debet.

ARGVMENTVM IX.

KIRCHERVS.

Kircherus deniq; sub Capitis finem f. 22. occupat obiectionem, quâ argumentum ipsius oppugnari posset, videlicet: Sicuti Synagoga Iudæorum, etsi à verâ fide in perfidiam degenerârit, non tamen Codices sacros corrupit, neque de corruptelâ susceptos tradidit Christianis: ita censendum est quoque de Ecclesiâ Romanâ, quòd nimirum, quamuis Antichristiana, & in cæteris fide indigna, integritatem Codicum sacrorum neutiquam violârit. 102. Exemplum à Iudæis desumptum aduersùs Ecclesiam Romanam.

Respondet Kircherus: Iudæorum hoc exemplum, à quibus veteris Instrumenti libros accepimus, instantiam suppeditare non posse. Nec enim tanto posterorum periculo, illi corrumpere Scripturæ textum potuerunt, quia noua erat expectanda Ecclesia, quæ illam fraudem facilè prodidisset. At Christiana Ecclesia, si vllâ in re malitiosè agere voluisset. Instantiam Kircherus refellit.

perrimos tribulabatur. Falſum porrò eſt, *multis ante Lutherum ſeculis*, Eccleſiæ Catholicæ iugum illos excuſſiſſe. Vix tria interceſſerunt; exorti enim ſunt circa finem ſeculi duodecimi, & initium decimi tertij; tria autem multa dici, non habet communis loquendi vſus. Neque ita longè latéque diffuſi ſunt, vt inſtar aliorum hæreticorum, prouincias, aut integra regna occuparent, ſed potiùs inſtar pecorum gregatim vagarentur, ab Eccleſiâ, c. excommunicamus, c. extra de hæreticis, & ſæpius damnati. Vt omittamus, in grauibus quibusdam articulis, à Lutheranis illos diſſidere, vt videre eſt apud Æneam Siluium de orig. Bohemor. c. 35. vbi errores eorundem recitat.

Cuſtodiam Codicum Græcorum Eccleſiæ Græcæ vaniſſimè tribuit.

VI. *Codices Græcos ab Eccleſiâ Græca cuſtoditos vaniſſimè iactat.* Quid enim à Græcâ Fide magnopere ſperari queat? Conſtat illam Eccleſiam peperiſſe, & fouiſſe quatuor illas grauiſſimas hæreſes Arij, Macedonij, Neſtorij, Eutychetis, aduersùs quas prima quatuor celeberrima Concilia fuère celebrata. Neque deinceps minùs ferax errorum, quàm Africa monſtrorũ, eadẽ Eccleſia fuit, donec Spiritu S. iniuriam violatæ ſuæ diuinitatis vlciſcente, iugo Turcico oppreſſa eſt. Nihilo plus præſidij eſt in *Iudæis*, quorum perfidia ad Fidem integritati Codicum Hebræorum aſſerendam non ſufficeret, niſi Chriſtianæ Eccleſiæ autoritas eandem confirmaret. Vt enim in doctrinâ Fidei & morum, textum ab illis corruptum eſſe non affirmamus: ità illuſtria quædam de Chriſto teſtimonia, illos omiſiſſe, ideóque hâc etiam in re fidei ſuſpectæ meritò eſſe, negari non poteſt. Denique, vt V. T. fontes Hebræos illis acceptos ferremus, cui cuſtodiam textus N. T. aſſignabit Dorſcheus niſi Eccleſiæ Catholicæ?

Similiter & Iudæis.

VII. Quod denique Dorſcheus nihilominus negat, (licet tot veritatis fontium firmamenta conquiſierit,) *Lutherum eiuſque cooperatores, VValdenſes itidem, alióſque certitudinem ex proponente, habuiſſe* rectè facit. Secundùm enim principia Lutheranorum, omnes iſti, vnde Biblia ad ipſos peruenerunt, homines

fuerunt

fuerunt fallibiles, neque habuerunt *infallibilem Regiminis diuini assistentiam.* Nutat igitur Fides diuina, si aliud fundamentum non habet, cui certitudo textus sacri, ex quo vnicè fides Lutherana dependet, superstruatur. Quod verò ex *re ipsâ tot præsidijs,* (id est, criterijs Scripturæ) *munitissimâ, quæ* c. 1. & 2. *se congessisse gloriatur,* certitudinem accersit, grauissimè fallit, & fallitur, vt ibid. demonstrauimus, præsertim c. 2. §. 4. 5. 9 Inuictus igitur manet argumenti Kircheriani neruus: quòd *Lutherus & Lutherani, destituti primigenio Scripturæ autographo, certi non sint de Verbi diuini legitimâ interpretatione, nisi Ecclesiam Romanam à quâ exemplum ex autographo descriptum acceperunt, pro verâ & legitimâ agnoscant.* In reliquis enim, quos in suppetias vocauit Dorscheus, certitudo proponentis fundari nequaquam potest, vt ipse fateri cogitur; neq; in criterijs textus, vti nos demonstrauimus. Ergo in hâc re, vnde salus dependet, vel in incerto nos fluctuare sinit Deus Opt. Max. qui *neminem patitur tentari supra id, quod potest,* 1. Cor. 10. v. 13. vel sacri textus & translationis authentia, non nisi ab infallibili Ecclesiæ Catholicæ Romanæ autoritate, peti potest ac debet.

ARGVMENTVM IX.

KIRCHERVS.

Kircherus deniq; sub Capitis finem f. 22. occupat obiectionem, quâ argumentum ipsius oppugnari posset, videlicet: Sicuti Synagoga Iudæorum, etsi à verâ fide in perfidiam degenerârit, non tamen Codices sacros corrupit, neque de corruptelâ susceptos tradidit Christianis: ita censendum est quoque de Ecclesiâ Romanâ, quòd nimirum, quamuis Antichristiana, & in cæteris fide indigna, integritatem Codicum sacrorum neutiquam violârit. 102. Exemplum à Iudæis desumptum aduersùs Ecclesiam Romanam.

Respondet Kircherus: Iudæorum hoc exemplum, à quibus veteris Instrumenti libros accepimus, instantiam suppeditare non posse. Nec enim tanto posterorum periculo, illi corrumpere Scripturæ textum potuerunt, quia noua erat expectanda Ecclesia, quæ illam fraudem facilè prodidisset. At Christiana Ecclesia, si vllâ in re malitiosè agere voluis- Instantiam Kircherus refellit.

ſet, maximè mala eſſe potuiſſet erga illud depoſitum: modiſque adeò indigniſſimis, & dolo peſſimo id corrupiſſet.

DORSCHEVS.

Si Iudæi V. T. conſeruârunt ſincerum, non eſſe neceſſariam Eccleſiam &c.

Replicat §. 175. Dorſcheus I. *Si Iudæi ſine infallibili atq; ordinariâ autoritate, non tantùm tempore Chriſti & Apoſtolorum, ſed etiam deinceps, non tantùm codices ſuos conſeruârunt ſinceros: verùm etiam autoritate illorũ Codices noſtros aduersùs gentiles confirmârunt, & confirmant: tum ad certitudinem ſacrorum Codicum V. T. conſequendam, neque nobis eſt infallibilis Eccleſiæ autoritas neceſſaria. Atqui prius verum eſſe teſtati ſunt Chriſtus, Paulus, Auguſtinus, Patres alij, Bellarm. l. 2. de Verbo Dei c. 2. §. 10. in quem finem Deus Iudæos diſperſit, per totum orbem, & circumferre voluit libros legis & prophetarum, vt inimici noſtri Chriſtianæ Veritatis teſtimoniũ præberent. Ergo inſtantia à Iudæis ad Chriſtianos in hâc re eſt efficax.*

Datam à Kirchero diſparitatẽ oppugnat.

Replicat II. aduersùs diſparitatem, quam Kircherus aſſignat: *Nouam Eccleſiam corruptioni Iudæorum obſtituram non fuiſſe, ſi quam attentâſſent. 1. Quia nonnulli Papiſtarum cenſent id à Iudæis reipsâ factum. 2. Quia iuxta eoſdem Eccleſia ſummum ſuum ornamentũ, Fontes videlicet Scripturarum amiſit, quos hucuſq; recuperare non potuit. 3. Quia Eccleſia inprimis primitiua, difficillimam habitura fuiſſet aduersùs Iudæos actionem, ſi fontes Hebræos, in fundamentis Chriſtianæ Religionis deprauare voluiſſent.*

Eccleſiã non potuiſſe efficaciter Sacras literas corrumpere.

Replicat III. §. 176. *Nec Eccleſiam Chriſtianam, cumprimis Papalẽ, ſi vel maximè voluiſſet, potuiſſe efficacem corruptionem ſacris literis inferre. 1. Quia vix poterat talis corruptio, omnibus ſub Papatu degentibus perſuaderi. 2. Quia Codices paſſim in Bibliothecis aliiſq; angulis latitantes, vix poterant omnes perquiri. 3. Quia ſemper aliqui pij, machinationibus Papæ obſtitiſſent. 4. Quia non omnia exemplaria erant in manibus Papatus, ſed multa penès Iudæos & alios. 5. Quia Eccleſia ſemper fuit ſub conſpectu, & cenſorijs oculis hæreticorum, ſchiſmaticorum, paganorum &c, qui animaduerſis eiuſmodi corruptelis, Religionis Chriſtianæ conuitijs proſcindendæ, ansã cepiſſent. 6. Denique, quia non vnius linguæ, ſed plurium, exemplaribus Sacræ literæ continebantur, & ſparſim in Græcorum atq; Latinorum Patrum voluminibus extabant; quæ omnia deprauare, quanta molis erat?*

Eccleſiam Chriſtianã id nec voluiſſe, nec potuiſſe.

Replicat IV. §. 177. *Eccleſiam noluiſſe, ſeu velle non potuiſſe Scripturas ita deprauare. 1. Noluiſſe, eâdem ratione probare licet, quâ probauit S. Auguſt. l. 15. de ciuit. c. 13. id noluiſſe Iudæos. Quis credat,* ait, *Eccleſiã, dum inuidet autoritatem, ſibi abſtuliſſe veritatem? 2. Vel Eccleſia id feciſſet ante hæreſes excitatas, vel poſtea. Non priùs, quia non apparet ratio id faciendi: non poſteriùs, quia fruſtra ſeròq; nimis id feciſſet. Velle non potuiſſe,*

cum

cum Bellarmino post Iustinum & Augustinum, l. 2. de Verbo Dei. c. 2. §. 10. argumentamur à prouidentiâ diuinâ, quâ Deus Ecclesiæ suæ semper prospexit. Nec enim verisimile est, Deum id passurum fuisse, vt verba tot illustrium Prophetarum generaliter falsarentur. Itaque, quidquid sit de Ecclesiæ in cæteris fallibilitate, siue deprauationis suspicione, adeóq; & hæsitatione: illius traditio hîc quidem acceptari poterat.

RESPONDETVR.

Ad I. Replicam RESP. I. Veram esse sequelam à Iudæis ante tempora Christi, ad Christianos; sed falsam esse minorem. Etsi enim demus ex eo, quòd Christus & Apostoli V. T. sæpius allegârint, nec vnquam illos de Scripturarum corruptione arguerint, rectè colligi, ante Christum nihil ab ipsis deprauatum: sine infallibili tamen & ordinariâ autoritate, quæ penès summum Pontificem, & Sacerdotes ipsorum tum erat, sacros Codices fuisse conseruatos, neque Christus, neque Paulus, neque vlli Patres vnquam testati sunt, neque Bellarminus cogitauit, qui id constanter asserit, *Ecclesiam V. T. non potuisse errare, donec post aduentum Christi cæpit deficere*, vti ostendit l. 2. de Concil. c. 8. & l. 2. de Ecclesiâ c. 17. Non minùs autem ad ordinariam Pontificis & Sacerdotum autoritatem, pertinebat legem asseruare, quàm interpretari. Quod pari & perpetua autoritate, facit ac faciet vera Christi Ecclesia, vsque ad finem seculi duratura, in quo longè superat synagogam. 103. Ad §. 175. Dorsch. Vera est sequela Maioris Dorscheanæ, sed falsa Minor.

II. Concedimus post Christi quidem aduentum, cùm Synagoga deficere, Messiámque suum negare Iudæi cæperunt, infallibilem & ordinariam autoritatem in illo populo sensim expirâsse; at nihilominus in custodiendâ sacrorum Codicum literâ, cuius sensum deprauâbant, pertinaciter perstiterunt: diuinâ prouidentiâ sinceram verbi sui literam contra deprauatũ malæ mentis sensum, in veritatis Christianæ confirmationem Iudæis inuitis, nec cogitantibus adhibente. Neque enim testes & librarij nostri fuêre volentes, & ex proposito: sed Deus nolentes licet, & aliud spectantes ita illos ordinauit, ac tales fecit. Post Christum Iudæi in custodiam SS. Codicũ Deo ita disponente perstiterunt.

Etsi igitur post Christum & Apostolos, synagoga eiúsque autoritas collapsa penitus fuerit, mansit tamen integra apud Christi, quæ illi successit, Ecclesiam: tum in Scripturarum custodiã & interpretatione, tum in alijs, quæ ad Fidem vitámque Christianam spectant. Addimus Christum, Apostolos, & hos deinceps alios, instruxisse procul dubio, de sinceritate textus & Canonis Scripturarũ, vnde potiùs his ista debemus, quàm Iudæis.

Sententia de Biblijs quoad fidem & mores corruptis nõ probatur.

Ad II. Replicam dicimus, sententiam illorum, *qui asserunt Biblia à Iudæis corrupta, minimè probari, si ad deprauationem* Fidei & morum *extendatur*; pugnat enim cum sensu & praxi Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ, vt patet ex præfatione Biblijs Sixtinis & Clementinis præfixa: item ex curâ accuratioris emendationis, quam hodiéque Sedes Apostolica viris doctis permittit, & per illos ipsa adhibet. Neq; tamen ideo Ecclesia *summum ornamentum suũ amisit*, cùm non nisi in leuioribus fontes corruptos credamus: quin neq; amitteret, etsi vniuersa Scriptura periret; consistit enim illud, dum viuimus, in *Fide, Spe, & Charitate*, quæ non ità pendent à Scripturis, vt sine illis nequeant diffundi in cordibus nostris, quemadmodum diffusæ fuerunt apud illas gentes, quæ teste S. Irenæo l 3. aduersùs hæreses cap. 4. *credebant in Christum, etsi illius tempore Scripturæ, necdum ad ipsos peruenissent.*

Summum Ecclesiæ ornamentum non est in Biblijs.

Bibliorum exemplaria omnia physicè adulterari non posse, sed moraliter.

Ad III. Replicam, RESP. duplicem distingui posse Scripturarum corruptionem, siue abolitionem. Vnam physicam & realem; alteram moralem. Damus hoc Dorschei argumẽtis, vix, imò moraliter neutiquam fieri posse, vt vniuersim omnia Bibliorum exemplaria reipsâ physicè adulterentur, & verus textus penitus aboleatur. Negamus verò illud fieri non posse moraliter, per contrariam doctrinam, magnâ præsertim autoritate fundatam, quæ decretis suis autoritatem vero textui abroget, illámque in falsum & adulterinum transferat Quo sensu rectè argumentatur Kircherus: *Christianam Ecclesiam, si vllâ in re malitiosè agere voluisset, maximè malam esse potuisse erga illud*

illud depositum Scripturarum. Potuisset enim per vnius, alteriúsue Concilij ad hoc conducti, sententiam, & Apostolicæ Sedis decreta, huiusmodi falsi textus veluti veri, persuasionem in totum, quà patet, Christianum & Catholicum orbem, introducere: nō obstātibus Codicibus sinceris, vbi vbi latitantibus, vel Patrum scriptis, Iudæorum itidem & hæreticorum contradictionibus. Prout his omnibus non obstantibus, in totum orbem Papatus enormes inuexit abusus, vt sectarij calumniantur. Sic postquam Editionem vulgatam, Conc. Trid. authenticam declarauit, omnes Catholici vt talem receperunt, recipiúntque. Neque opus erat singulos Catholicos conuenire, cùm enim Sedis Apostolicæ & Conciliorum decreta proponūtur, mox omnes sine vlteriori disquisitione illa recipiunt.

Per Sedis Apostolicæ & Cōciliorum decreta.

Neque obstitissent Patrum scripta, dici enim poterat, illos ante Ecclesiæ definitionem alium textum secutos. Hanc igitur moralem corruptionem, quæ singulorum exemplarium physicam interpolationem non requirit, potuisset Ecclesia Christiana Sacris literis inferre. Quo etiam pacto ac sensu, dicimus Scripturas à Luthero aliísque hæresiarchis per varias additiones, mutationes, detractiones vitiatas, etsi singula illarum exemplaria ab illis inquinari non potuerint. Pari ratione Iustinus aduersùs Tryphonem contendit à Iudæis plura Prophetarum loca, si non aliter deprauata, certè detruncata fuisse, illúdque inter cætera refert ex psal. 95. v. 10. *Dicite in nationibus, quia Dominus regnauit à ligno*; è quo versu illa verba, *à ligno*, detracta asserit, cuius truncationis illos non accusâsset, nisi exemplar aliquod integrum vidisset.

Non obstarēt Patrum scripta, sicut nec obstiterunt Luthero.

104. Ad IV. Replicam concedimus vltro, *Ecclesiam non voluisse, imò nec velle potuisse, Sacras literas deprauare*, assistente illi infallibili Spiritus S. ductu. Neque opus fuisse, vt hoc Dorscheus probaret, qui S. Aug. parùm sincerè adducit. Neque enim ille negat *Iudæos, ex inuidentiâ Veritatis erga Christianos sibi voluisse auferre Veritatem, sed non potuisse*, obstante vid. diuinâ prouidentiâ.

Dorscheus probat, quod vltro concedimus.

dentiâ. Nos vltrò itidem fatemur, Dei prouidentiam non tantùm generalem, sed specialem quoq; Dorscheo ignotam, quâ Ecclesiam infallibiliter gubernat, nunquam permisisse, aut permissuram: vt siue Scripturas ipsa adulteret, siue aliter à veritate Fidei & Legis diuinæ, *columna & firmamentum veritatis.* 1. Tim. 3. v. 15. aberret.

A Synagogâ igitur ad Ecclesiam Catholicam. non rectè arguit Dorschens.

Demonstratum igitur est, à *synagogâ Iudaeorum, etiam post defectionem, sacros Codices,* (saltem in puncto Fidei & vitæ Christianæ) *sinceros conseruante, non rectè Dorscheum, siue quemuis alium argumentari ad Ecclesiam Romanam: quòd inde Lutherus eosdem sacros Codices inuiolatos accipere potuerit, etsi illa instar synagogæ, defecisset à veritate.* Nam Synagoga ante defectionem, Scripturas infallibili ac ordinariâ autoritate non minùs cõseruauit, quàm interpretata fuit: post defectionem autem verâ interpretatione reiectâ, genuinam literam ex speciali erga Christianam Ecclesiam Dei prouidentiâ, quin etiam Christi & Apostolorum attestatione, sub seruitute eiusdem Ecclesiæ, conseruauit. Simili igitur infallibili & ordinariâ autoritate, quâ *Synagoga aliquando Fidelis,* id fecit, Scripturas non solùm interpretatur, verùm etiam hodiéque conseruat, *semper Fidelis vera Christi Ecclesia,* quæ non est alia, quàm Catholica Romana vt deinceps magis patebit. Cui, si in hâc traditione Fidem habuit Lutherus, habéntque Lutherani, frustra negant habendam in alijs, cùm elisâ de Iudæis instãtiâ, nulla disparitas supersit. & ignominiosum sit diuinæ veritati ac sapientiæ, ad diuinæ Veritatis voluntariam professámque attestationem siue confirmationem, adhibere Ecclesiam, in tot alijs grauissimísque causis fallacem, ac mendacem, vti eidem improperant veritatis prætensæ præcones.

Capitis Anacephalaeosis.

105 Kircherus concludit quamuis in

Finit Kircherus hoc caput, & infit: *Videt hic vnusquisque omnino se, velit nolit, saltem quoad praxin ipsam, in momento suæ fidei, dependere*

dependere ab Ecclesiâ Catholicâ. Dorscheus §. 178. nihil regerit, nisi generatim, *in hoc capite haberi aliquot deuiationis Kircherianæ documenta,* & illam propositionem: *Qui sacrarum literarum certitudinem habere vult, eum certum esse oportere, sibi proponi versionē legitimam, & per omnia linguis fundamentalibus consentientem: esse obnoxiam difficultatibus inexplicabilibus, & continere postulatum impossibile.* Sed nos versionis legitimæ cum linguis originalibus consensum non requirimus, nisi in ijs, quæ tangunt Fidem, & mores Christianos, vt ex toto huius Capitis decursu patet. In ventos igitur pugnauit Dorscheus, neque solùm deuiauit à veritate, verùm etiam à scopo.

suâ fide dependere ab Ecclesiâ Catholicâ.

Deuiationes Kircheri, quas dicit esse aliquas in hoc capite, negamus esse vllas; contrà Dorscheum toties dicimus deuiâsse, quot argumenta proposuit, in quibus neq; semel quidem, Kircheriani argumenti neruum aut attigit, aut fregit.

Dorscheus toties à veritate, quot argumentis à scopo aberrauit.

CAPVT IV.

De Canone, siue numero Sacrorum librorum seclusâ Ecclesiæ autoritate, Euangelicos certos esse non posse.

KIRCHERVS.

HVic difficultati *de versione Scripturæ* accedit alia, *ait Kircherus num.* 12. Nam vt maximè, quantùm ad ipsam versionem, rectissimè se haberent omnia: etiam constaret tum de infallibilitate translationis, tum de ipso Codice, quem Biblia nominamus, quòd contineat aliquod Dei verbum: tamen adhuc non sequeretur illos libros, qui in isto Codice continentur, eiusdem esse generis, diuinámque & Canonicam autoritatem juxtà, singulos obtinere. Quidni enim fieri posset, vt in eodem Codice & Canonici contineantur libri, & alij contineantur non Canonici? 106.

Etsi certa Bibliorum foret autoritas, & versio, nutaret Canon.

DORSCHEVS.

Replicat Dorscheus §. 180. *ad certitudinem fidei diuinæ, non esse necessariam notitiam infallibilem de Canonis omnibus & singulis libris. Nam discrimen constituendum inter Canonem quoad rem ipsam, hoc est, salutiferam veritatem, & quoad numerum librorum, illam veritatem comprehendentium.*

Canonis certitudinē non putat necessariam.

tium. Illo modo necessarius est Canon, de quo cap. 2. disputauit, hoc modo non item.

Possunt separari Canõ intensiuus & extensiuus.

I. *Quia ista commodissimè possunt separari, Canon scilicet intensiuè consideratus, quoad salutiferam rerum diuinarum comprehensionem: & extensiuè quoad numerum. Quo posteriori modo, Canon non semper in eâdem quantitate extitit.*

II. *Quia scire omnem rationem atq; extensionem Canonicorum librorum ad fastigium pertinet, non ad infallibilem Fidei certitudinem. Hinc aliter digerunt libros N. T. Veteres, aliter Recentiores; aliter libros V. T. Iudai, aliter Christiani.*

Nullum fidei periculum ex negatione alicuius libri Canonici.

III. *Quia nullum periculum nascitur Fidei, ex ignoratione, aut hæsitatione, aut etiam negatione alicuius libri. Imò si quis negaret, Scripturam esse Verbũ Dei, non protinus fidem in vniuersum abijceret, quæ ante Scripturas in cordibus Sanctorum excitata fuit. Periculosè tamen erraret, partim negando Verbum Dei, quod vt agnoscamus, Deus à nobis postulat, partim sibi ipsi præscindendo medium fidei, & æternæ salutis nanciscendæ: hoc est, periculosè erraret moraliter, non autem Fidem euerteret dogmaticè. Cui periculo, qui vnum tantùm aut alterum librum in dubium vocat, se non inuoluit. Si vllum esset, hoc esset: fieri posse, vt in vno alteróue tali libro, extet articulus aliquis ad salutem necessarius, qui in alijs extra dubitationem positis, non comprehenditur. At hoc metuendum non est, vt patet ex consideratione librorum quorumuis. Et de facto ponderatis libris N. T. in dubium reuocatis, planè nihil decedit Canonis integritati, siue perfectioni intensiuæ.*

Veteres quoq; hâc de re dubitârunt.

IV. *Quia Veteres, etiam supponentes Sacras literas esse principium Fidei, tamen de librorum Canonicorum numero dubitârunt.*

---

§. I.

Euangelicis ad Fidei certitudinem, necessariam esse infallibilem notitiam de omnibus & singulis Canonis libris.

RESPONDETUR.

107. Ad §. 180. Dorsch. Catholicis per se nõ est necessaria notitia totius Canonis.

RESP. I. Nobis quidem Catholicis, necessariam per se non esse notitiam infallibilem de Canonis omnibus & singulis libris; qui credimus etiam sine Verbo Dei scripto consistere & traditionibus Apostolicis fideles gubernari posse. Etsi, postquam Verbum Dei scriptum, & singuli libri Canonici per Ecclesiæ

clesiæ propositionem nobis innotuerunt, necessarium est, vt Scripturam & singulos eiusdem libros sic propositos, fide diuinâ amplectamur. Neque sine Fidei & salutis dispendio, vllum ex dictis libris in dubium vocare possumus.

Resp. 2. Prætensis verò Euangelicis, notitiam infallibilē de Canonis omnibus & singulis libris necessariam esse; quia in solis Scripturis vnicum & adæquatum Fidei & doctrinæ salutaris principium constituunt; de cuius doctrinæ integritate securi non sunt, si vel vnus liber illos prætereat, de quo paulò pòst. Rationes Dorschei in contrarium efficaces non sunt.

Sed Euangelicis, à solâ Scripturâ suspensis.

Non I. Quia etsi successiuè Canon creuerit, maximè post Christi mortem, accessione librorum N. T. non potest juxta Dorscheum Canon intensiuè consideratus, separari ampliùs à Canone extensiuo, postquam S. Ioannes veluti *supremus Bibliorum Anagnostes*, vt fabulatur §. 155. eundem condidit atque constituit. Vide num. 76.

Canon intensiuus & extensiuus non possunt ampliùs separari.

Non II. Quia scire omnem rationem atque extensionem Canonis, apud Euangelicos non solùm pertinet ad fastigium, verùm etiam ad Fidei infallibilem certitudinem: quam non habent, nisi omnes Scripturarum angulos peruaserint, ne quid ibi lateat, quod scire, aut credere intersit.

Non III. Quia falsum est 1. eum, qui negat totam Scripturam, vel aliquam eius partem, errare solùm moraliter, non autem dogmaticè. Traditionem enim, per quam Scripturæ Canon ad nos peruenit, continere diuinam reuelationem, & Fidei dogma, demonstrauimus contra Dorscheum num. 76. 77. 78. 2. Verum est quidem, Fidem & Ecclesiam esse Scripturis priorem & antiquiorem, idque ipsum est, quod contendimus: Deum ex solis Scripturis Fidei doctrinam nunquam postea suspendisse, cum Ecclesiæ & verbi non scripti infallibili autoritate, eam initio fundatam nobis reliquerit. Dic Dorschee, quando, aut vbi Christus fideles suos, abrogatâ Ecclesiæ, & traditionū infallibilitate, solis Scripturis alligârit? Pro-

Qui negat Scripturam, aut eius partem, errat tam dogmaticè, quàm moraliter.

Ecclesia Scripturis antiquior, cui Deus in-

fallibilitatē nunquam abrogauit.

fer Scripturam, aut traditionem. Illud verò apertè falsum est, quod inde, *quia Fides sine Scripturis, antequam conderentur & ad omnes terras peruenirent, stetit: confici autumas, neq; jam illam violari aut peccari dogmaticè, si quis vniuersam Scripturam, aut aliquē eius librum repudiet, vel in dubium vocet.* Perinde fallit hæc consequentia, ac si dicas: ante sufficientem Fidei propositionem, absq; Fidei violatione poterant negari, vel in dubium vocari mysteria necdum proposita, ergo etiam postea possunt.

Periculum, ne in vno libro insit, quod non extat in alijs.

3. Falsum, est non esse *periculum, quin fieri poßit, vt in vno alteróue tali libro, extet articulus aliquis ad salutem neceßarius, qui in alijs extra dubitationem positis, non comprehendatur.* Falsum est, *hoc metuendum nullà ratione esse, idque patere ex consideratione librorum quorumuis de facto; nempe ponderatis libri N. T. in dubium vocatis, nihil planè decedere Canonis integritati, siue perfectioni intensiuæ.* Dic inprimis Dorschee, Canonis integritas, siue perfectio intensiua, quænam est, & in quibusnam libris? An sparsa per omnes? An tota in vno, vel altero? Si prius; grande periculū est, ne aliquo intensionis gradu neglecto Canonem mutiles, si vel vnum librum, aut vnam illius partem ignores, vel in dubiū voces? Si posterius; quis tandem liber, vel qui illi libri, qui totum Canonem intensiuè (articulos vtique necessarios per hancce intensionem intelligis) comprehendunt? Fortassis cum tuo Luthero sentis, qui in præfat. Germanicorum Bibliorum suorum, editionis antiquioris (nam ex posterioribus editionibus, Lutheranorum verecundia id sustulit) dicit: *S. Ioannis Euangelium, & primam eius Epistolam, S. Pauli Epistolas, præsertim ad Romanos, Galatas, Ephesios, & S. Petri primam, eos esse libros, qui tibi Christum monstrant, & omne id docent, quod tibi scitu neceßarium est, etiamsi alium librum, neq; doctrinam vnquam videas, nec audias.* Quæ magna est in cæteros libros & Scriptores Canonicos iniuria, quasi superflui sint.

Canonici perfectio intensiua inexplicabilis.

Lutheri hâc de re sensus.

Sed, cùm Lutherus ideo maximè, memoratis libris doctrinæ necessariæ summam tribuat, quòd de iustificatione per Fidem

in Chri-

in Christum plurima, de operibus autem pauca contineant; necessarium profectò erit, Epistolam S. Iacobi veluti Canonicam, indubitanter recipere, etsi Lutherus vocet stramineam. Affirmat enim S. August. lib. de Fide & operibus c. 14. *Temporibus Apostolorum, non intellectis quibusdam sententijs Apostoli Pauli, eum quosdam arbitratos fuisse dicere, fidem solam sufficere. Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, alias epistolas: Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ: contra eam maximè, dirigere intentionem, vt vehementer adstruant Fidem sine operibus nihil prodesse.* Quàm ergo necessarium est, vt doctrinam de Fide & operibus rectè intelligant Euangelici, tam necessarium est illis, vt has epistolas credant infallibiliter esse Canonicas: ne periculo se exponant, in doctrinâ operum, quam Paulus aut non attigit, aut obscurè proposuit, à salutis semitâ aberrandi. Vt taceamus Sacramentum Extremæ Vnctionis, morituris admodum salutare, in eâdem S. Iacobi ep. c. 5. v. 14. clarissimè fundari: in cuius diuinæ institutionis contemnendæ periculum, Lutherus se suósque coniecit, cum illius autoritatem in dubium vocauit. Neque enim alibi de hâc Vnctione tam clara fit mentio.

Epistolæ Iacobi, Petri, Ioan. ad doctrinam Fidei & operũ necessariæ.

Extrema Vnctio.

Sic, dum autoritatem Epistolæ ad Hebræos impugnauit, *præcipua testimonia aduersùs Missam, quæ in illâ epistolâ haberi* fatetur Apolog. Conf. Aug. tit. de sacrificio, eneruauit; vti & illa, quibus Papam esse verum Antichristum, ex Apocalypsi vehementissimè pugnant; nam illam quoq; Lutherus suspectæ Fidei esse scripsit, imò in præfat. antiquiore V. T. *similem* judicauit *libro quarto Esdræ.* Denique libros Machabæorum reijciendo, graui se suósque periculo exposuit, crudelitatis in defunctos, imò seipsos. Iuuari mortuos suffragijs viuorum, clarissimè habetur lib. 2. Machab. c. 12. Si autem libri isti Canonici sunt (vt verè sunt) illos respuendo Euangelici crudeles monstrãtur, & Christianæ charitatis violatores: quia mortuos eo ipso orationibus priuant, quibus possent à tormentis longè grauissimis liberari. Ex quibus manifestum est, Euangelicos,

Ep. ad Hebr. Euangelicis necessaria aduersùs Missam, & Apocalypsis aduersùs Papam.

De libris Machabæorum.

eos, dum libros eiusmodi in dubium vocant, in euidenti discrimine versari: ne vnum pluresue saluti necessarios aut proficuos articulos, in alijs libris vix aut non nisi obscurè explicatos, perperam intelligant, aut penitus ignorent. Vnde vlterius apparet, quod negat Dorscheus, *ad Fidei diuinæ certitudinem, Euangelicis necessariam esse infallibilem notitiam, de omnibus & singulis Canonis libris*, immeritò ab illo negari.

Veteres non credebant, solum Verbũ scriptum esse principiũ fidei.

Nullius verò momenti est 4. Ratio, quam assignat, *Veteres etiam supponentes Sacras literas esse principium Fidei, tamen de librorum Canonicorum autoritate dubitâsse.* Supposuerunt quidem Veteres, Sacras literas esse principium Fidei, sed non solas: ideóque, etsi de aliquibus libris Canonicis dubitârint, non tamẽ ideo periculum erat, ne aliquid non crederent, quod in alijs libris non contineretur: quia Fidei diuinæ Regulam non circumscribebant solis Scripturis, sed autoritate Ecclesiæ, quæ dogmata, quorum causa Euangelici libros istos reijciunt, omnibus credenda proponit.

§. II.

Canon Sacræ Scripturæ à tempore Innocentij I. in Ecclesiâ receptus, & sufficiente traditione ad nos propagatus: Concilij verò Tridentini autoritate nouissimè definitus, aduersùs Dorschei allegationes defenditur.

KIRCHERVS.

109\. Ecclesiæ traditio de Canone Scripturarũ.

Sanè *quidem ait Kircherus num.* 12. Ecclesia Catholica ab annis mille & ducentis omnes illos libros, qui in vulgato Codice continentur, pro Canonicis agnouit & recepit. Non, quòd de non Canonicis ipsa Canonicos faceret, sicut ineptè quidam calumniantur; sed quòd illorum aliquos, de quibus nonnulli dubitârunt primùm, exploratâ re, postea tales, quales in se erant, publicâ definitione declararet.

A Luthero conturbata.

At Lutherus, sicut multa alia, ita vetustissimas quoque, & tot seculorum decursu comprobatas Canonis rationes, temerario quodam ausu miserrimè conturbauit: eliminatis hinc inde libris, qui à tempore

Innocen-

Innocentij I. Pontificis (vixit autem is A. Christi 102.) in Ecclesiâ erant recepti, ac non interruptâ traditione, ad hæc vsque tempora pro Canonicis habiti.

DORSCHEVS.

Totis viribus Dorscheus impugnat Canonem Catholicum, eáq; argumenta, quibus communiter Catholici illum propugnant. 1. Autoritatem Innocentij I. in ep. ad Exuperium. 2. Concilij Carthaginensis tertij. 3. Gelasij Papæ & Concilij Romani. 4. Concilij Florentini. Quæ omnia falsò iactari contendit.

I. Replicat §. 181. *Canonem nostrum, seculorum priorum quatuor suffragio destitui. In primo seculo Canonem Lutheranorum stabiliuisse Iosephū. In secundo quoad V. & N. T. Melitonem Sardensem. In tertio Origenem. In quarto Athanasium, Hilarium, Cyrillum Hierosolimytanum, Gregorium Nazianzenum, Amphilochium, Epiphanium, Hieronymum, Ruffinum, & horum omnium σύγχρονον Synodum Loadicenam, à Synodo Generali confirmatam &c.* Dorscheus in partes trahit priorum seculorum Patres.

RESPONDETVR.

De primis quatuor seculis.

Resp. 1. Etsi primis seculis de quibusdam libris Canonicis nonnulli dubitârint, nihil id Canoni nostro officere; id enim fecerunt re necdum satis exploratâ, & antequam publicè in Ecclesiâ quid decerneretur. Quam solutionem affert Kircherus; ideóque Dorscheus eâ præteritâ, prima secula obiectare non debuisset. Ad §. 181. Dorsch. Res tū nondum erat explorata.

2. Falsum est Patres illos Canonem Lutheranum stabiliuisse. Nam Iosephum inprimis non moramur, vtpote tot alijs erratis & falsis, quæ in Annalibus suis Salianus demonstrat, ipsâque Iudaismi perfidiâ infamem, vt hâc in re tam firmum eius testimonium haberi non debeat. Deinde difficile est videre, an Iosephus in illis viginti duobus libris, quibus Canonem cōprehendit, reponat *Iob & Esther*, quos tanquam Canonicos hodie recipiunt Lutherani, vt obseruat Serarius in proleg. Bibl. c. 8. q. 16. Denique valde probabile est, duos fuisse Canones Hebræorum: vnum Esdræ tempore confectum, & ipsius po- Iosephi autoritas non tanti, neque satis clara.

tissimum

tiſſimum autoritate, de quo Canone loquuntur Patres aliiq; & ipſi hodie Rabbini: alterum, qui poſt priorem illum confectus fuerit, & in eo fuiſſe libros Tobiæ, Iudith, Machabæorum &c, vt opinatur Genebrardus lib. 2. Chronolog. Quam opinionem ex ipſo *Ioſepho, Iunilio, & Rabbi Azariâ*, ita confirmat Serar. l. c. vt certum ſit, non eſſe certum, hos libros à Iudæis nunquam habitos Canonicos: ac proinde etſi daremus illorũ autoritati ſtandum, ex priori illorum Canone, non duci infallibile (quale ad fundandam Fidem diuinam requiritur) argumentum, pro Canonicâ autoritate hiſce libris abrogandâ.

Incertũ eſt, vtrum non duo fuerint Hebræorum Canones.

110. Falsò itidem producit *Melitonem, Athanaſium, Gregor. Nanzianzenum*; hi enim ponunt extra Canonem librum *Eſther*, quem Canon Lutheranus recipit. Idem *Melito* recipit in Canonem librum Sapientiæ, quẽ Lutherani excludunt. *Hilarius* nominatim in Canone ponit epiſtolam Ieremiæ, quæ continetur vltimo capite *Baruch*, cuius totum librum cenſent Lutherani apocryphum; eundem librum citat *Cyrillus Alexandrinus* ſub nomine diuinæ Scripturæ, *Hieroſolomytanus* verò expreſsè ponit in Canone Catecheſi 5. *Epiphanius Sapientiam & Eccleſiaſticum* numerat inter libros diuinos, in hæreſi Anomæorum. Cùm verò lib. de pond. & menſuris, negat eſſe receptos, loquitur de Iudæis; vel Lutherani fateri coguntur, eſſe teſtem ambiguum. *Hieronymus* etſi negat *librum Iudith* pro Canonico haberi apud Iudæos, aſſerit receptum *in numero Sacrarum Scripturarum à Concilio Niceno*, præfat. in Iudith; cuius Concilij autoritatem cùm fuerit ſecutus, ex ſuâ ſententiâ *Iudith* à Canone, quod faciunt Lutherani, minimè excluſit. *Origenes, & Ruffinus epiſtolam ad Hebræos*, indubitanter recipiunt, quam negârũt eſſe Pauli, vel vllius Apoſtoli Lutherus, *Brentius, Kemnitius, Magdeburgenſes*. Porrò *Amphilochius in Carmine, quinam Scripturæ libri ſint legendi?* to. m4. Biblioth. magnæ PP. edit. Binianæ f. 927. præter *Prouerbia, Eccleſiaſten, & Cantica*, nominat *Sapientiam*, etſi tres ſolùm numeret libros Salomonis. *Eſther* relinquit

Melito, Athanaſius, Nanzianzenus non fauent.

Neq; Hilarius, Cyrillus, Epiphanius.

Neq; Hieronymus, Origenes, Ruffinus, Amphilochius.

linquit sub dubio, & multò magis *Apocalypsin*, quos Lutherani hodie indubitanter recipiunt.

Nullus igitur ex Patribus à Dorscheo hic allegatis, cum Canone Lutheranorum & Caluinianorum in solidum consentit. Quin multi ex Patribus primorum quatuor seculorum, etsi Catalogum librorum Sacrorum nō texant: hos ipsos libros, quos Acatholici damnant, sub nomine & autoritate Scripturæ diuinæ promiscuè, cum alijs libris indubitatis citant; vti videre est apud Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei, in singulis capitibus, vbi libros eiusmodi defendit. Ibidem reperies loca Patrum hic non expressa, quos sui Canonis patronos facit Dorscheus, toties fallax, quot ex illis produxit.

Patres antiqui, libros olim dubios, citant sub nomine diuinarum Scripturarum.

Nec deniq; meliori Fide allegat *Concilium Laodicenum*, quod nimis inconsideratè appellat συγχρονον *NB. omnium* illorū, quos allegauit ex quatuor videlicet seculis. Impossibile enim est, vt vna Synodus fuerit σύγχρονος aut contemporanea quatuor seculorum. Sed ad rem. Hoc Concilium can. 59. inter *Canonicas Scripturas* tam græcè, quàm latinè recenset, Βαρούχ. θρῆνοι. καὶ ἐπιστολαί. *Baruch, lamentationes, & epistolas*; (Ieremiæ vid. vbi fortassis errore Scriptorum, pluralis positus est pro singulari; non habet enim Baruch, nisi vnam Prophetæ huius epistolam) Omittitur verò *Apocalypsis* in textu tam græco, quàm latino. Non ergo Concilium Laodicense, quo tantopere gloriatur Dorscheus, prætensum Canonem Euangelicum stabiliuit, sed euertit. Recipit enim librum *Baruch in epistolâ Ieremiæ*, quem librum excludit Canon Lutheranus; contrà non numerat in Canone *Apocalypsin*, quam Luthero suo licet inuito, in illum recipiunt hodierni Euangelici. Peccat igitur Canon illorum contra Canonem Laodicenum, defectu & excessu.

Non bonâ fide allegat Conc. Laodicenum.

Cum adhæc teste S. Hieron. præfat. in Iudith. & ep. 3. *Patres Niceni Concilij* librum Iudith *velut sacrosanctum in Canonem Scripturæ receperint*, quem Euangelici, hodiéque pertinaciter inter Apocryphos reijciunt: consequens est, Canonem Acatholicum

Patres Nicæni aduersantur, quia recipiunt librū Iudith.

tholicum tum Lutheranorum, tum Caluinianorum esse reprobatum à 318. Patribus sacrosancti Concilij Nicæni. A quo, cum Symbolum Nicænum recipiant, nihil causæ habent, cur in reijciendo libro *Iudith*, ab eius autoritate discedant. Nihil igitur Canoni nostro Catholico, priora quatuor secula præiudicant, etsi Patres aliqui de eiusmodi libris aliter senserint, aut dubij hæserint, quia necdum definitum aut declaratum erat, quid hâc de re sentiendum esset.

DORCSHEVS.

De Innocentio I. eiúsque epistolam ad Exuperium.

III. Repliceæ Dorschei aduersùs ep. Innoc. I. ad Exuperium.

II. Replicat §. 182. aduersùs Innoc. I. eiúsque epistolam ad Exuperium, & autoritatem audacter inuadit. *Secundò* ait *iactatur definitio, Innoc. I. Pontificis. Quanta hic incertitudinis confluentia? 1. Dubitatur, an penès Papam fuerit, sítque determinatio librorum Canonicorum? Id quidem illo seculo Pontifici Rom. concessum non fuit. 2. An solus sine Concilio, hanc potestatem habeat? vide prælim §. 17. Innoc. autem nominatur vt solus determinans. 3. An Epistola ad Exuperium sit authentica? Quanta in Ecclesiâ sit dubitatio de Epistolis Pontificum decretalibus, notum est. 4. An vt Papa, an verò vt priuatus Doctor scripserit? An sufficienter Ecclesiæ insinuauerit, vt obliget? (vid. §. 6. prælim.) præsertim cum scripserit ad Episcopum Tolosanum. Verba videntur priuati. Dilectio tua institutum secuta prudentum, ad Sedem Apostolicam, (non vocatur Sedes Apostolica κανονικῶς, multò minùs ἀρχικῶς, & παντοκρατορικῶς, vide § 89.) referre maluit, quid de rebus dubijs custodire deberet &c. Mihi quoq; ipsi de collatione docilitas accedit &c. Hinc varias rationes per Epistolam spargit, procul dubio, vt priuatus Doctor, vtpote in quibus euidentissimum deliquium Spiritus S. passus est.*

Verba Innoc.

Apocryphi illo seculo dicti, quorũ autores hæretici, & notoria falsitas.

5. Constat Innocentij seculo, Canonici & Apocryphi nomen latiùs vsurpatum, & Apocryphos quidem libros dictos fuisse, quorum vtpote ab hæreticis confictorum, notoria est falsitas, Canonicos autem, qui in consuetudine lectionis Ecclesiasticæ sunt. Confer August. l. 15. de ciuit. Dei. c. 23. Fatetur idem Caietanus sub fin. Commentar. in libros historicos. Idem ante ipsum dixit Hugo de S. Caro. Strictè inquit, *vocantur Canonici 22. libri V. T. & largè dicuntur, & Hagiographa. Vides Kirchere, quàm parum prosit causæ tuæ Innocentius!*

RESPON-

RESPONDETVR.

Resp. I. Determinationem Canonis, quem Innoc. I. Epistolæ ad Exuperium inseruit, nemo ante Lutherũ oppugnauit, veluti defectu autoritatis aut potestatis laboraret. Qui post illam aliter de Canonicis libris sensêre, eius notitiam non habuerunt. Multa Conciliorum etiam Generalium Acta, diu multis locis ignota fuêre, & partim penitus interierunt. Idem euenisse multis decretalibus Pontificum epistolis, ambigi non debet. Si solus Pontifex sine Concilio non sit infallibilis autoritatis, (cuius sententiæ videtur Kircherus,) est tamen Innocentius recipiendus, tanquam testis ratione dignitatis & officij omni exceptione maior: qui de Canone Scripturarum non aliud publicâ autoritate responderit, quàm quod in Ecclesiâ *custodita temporum series demonstraret.* Hócque ipsum seu testari, seu definire voluisse testatur materiæ grauitas, & Exuperij intentio, qui certam de Canone sententiam expetebat & expectabat. Quæ ex §. 6. &. 17 prælim. conferri iubet, sunt cauilli & exaggerationes ex diuersis Theologorum ac Scholarum sententijs, in ventos contortæ. Afferat Dorscheus dissensionis Catholicorum exempla ijs de rebus, quæ exprese à Pontificibus vel Concilijs definita sunt: ità vt vna, vel altera, vel vtraq; pars Pontificis aut Concilij alicuius Generalis definitionem oppugnet.

Ad §. 10. Dorsch.

Canonem Innocentius aut definiuit, aut de eo testatus est.

Ad §. 6. & 17. prælim.

Atqui ait, *Innocentium scripsisse duntaxat ad Episcopum Tolosanum:* quasi responsa ad quæstiones de Fide, non contineant doctrinam Catholicam ab omnibus tenendam, si de illa respondere aut decernere pertineat ad officium publicum respondentis: etsi, qui quæstiones proponit sit priuatus, nedum Episcopus! Paulus epistolas suas non scripsit ad omnes fideles, sed ad particulares Ecclesias & personas: nemini tamen dubiũ est, quin eius doctrinam sequi debeant Fideles vniuersi. Obligatio non pendet ex solâ intentione definiendi, vel obligandi: sed ex legis quoque, siue definitionis sufficienti publicatione,

Respondetur & priuatis ad quæstiones de Fide omnibus cõmunes.

veluti conditione sine quâ non, quæ varijs modis impediri potest, ne ad omnes perueniat.

Non Innocentius, sed Dorscheus deliquium patitur.

Quod porrò ait, verba esse *priuati Doctoris*, vtpote in quibus *euidentißimum deliquium Spiritus S. passus est*, iniurium apparet. Sed quid aliud speres ab illo, qui veræ Fidei deliquium patitur? Nempe Decretalis huius Caput I. vbi Pontifex *de Continentiâ Sacerdotum & Clericorum* decernit, deliquij Dorscheani causa est, cui vertiginem parit, ex primis & puris, vel purioribus, (vt ipsi quidem pro arbitrio statuunt) seculis, repetita Cælibatus Sacerdotalis, & Clericalis orthodoxa antiquitas.

112. Dorscheus malè carpit potestatem Innoc.

Debebat Dorscheus ad illa Sancti Pontificis verba: *Et quidem Dilectio tua institutum secuta prudentium, ad Sedem Apostolicā referre maluit, quid de rebus dubijs custodire deberet &c.* scrupulo tangi Sedis Romanæ, (quam solam *Apostolicæ Sedis* appellatione perpetuò, ac per antonomasiam dignabatur antiquitas) nō deprimendæ &c. Sed per malè fundatam & græculam parenthesin negat dici Apostolicam, *vnicè*, aut *principaliter*, aut *à iure gubernandi vniuersam Sanctam & Catholicam Ecclesiam.* Quod ius exercuisse Innocentium apparet tum ex hâc ad *Exuperium Episcopum Tolosanum in Galliâ*; tum ex alijs epistolis, quas Seuer. Binius retulit in tom. 1. Conciliorum Generalium, fl. 608. & seqq. ad variarum prouinciarum ac Sedium, etiam Patriarchalium Episcopos, videlicet: *Victoricium Rotomagensem, itidem in Gallia; ad Decentium Eugubinum in Italiâ, ad Felicem Nucerinum ibidem; ad Aurelium Carthaginensem in Africâ; ad Alexandrum Antiochenum in Asiâ; ad Episcopos Macedoniæ; ad Episcopos in Synodo Toletanâ; itidem in Concilio Carthaginensi & Mileuitano; Ioannem Chrysostomum Constantinopolitanum, Theophilum Alexandrinum, Ioannem Ierosolomytanum.* Quibus epistolis varia decreta & ordinationes continentur, responsa quoque ad diuersas quæstiones & alia, quæ supremam Pontificis Romani autoritatem & Iurisdictionem testantur.

Cuius iurisdictionem in totam Ecclesiam testantur Epistolæ Decretales.

Neq;

Neq; ideo reijciendæ sunt Pontificum Epistolæ, quia Dorscheo, Blondello & similibus sunt suspectæ. Non negamus depræhensa in ijs aliqua suppositia vel vitiata; sed multæ sunt genuinæ, in quas suspicio non cadit. Quæ autem vitium, aut ambiguitatem passæ sunt temporum iniuriâ, aut Scriptorum incuriâ, eas notârunt, emendârunt, aut immeritò insimulatas, egregiè explicârunt & defenderũt, Baronius maximè & Franc. Turrianus; qui non minùs feliciter operam suam probauit in dictis Epistolis, quàm in libris Constitutionum Apostolicarum S. Clementis Romani; etsi tam felix non est Dorscheus, vt à veritate oppugnandâ desistere in animum inducat. Epistolam Innocentij, quâ Arcadium & Eudoxiam, Chrysostomo licet mortuo, ob eius persecutiones & eiectionem in consilium, *segregat à perceptione immaculatorum mysteriorum Christi, Arsacium pro Chrysostomo intrusum exautorat, eiq; adhærentes Episcopos, nec non Theophilum &c*, si decretales aliæ Pontificum tibi suspectæ sunt, apud Nicephorum lib. 13. hist. Eccles. c 34. legito Dorschee, vti & alteram eiusdem Arcadij Cæsaris, quâ Innocentiũ *enixè obsecrat, vt à segregatione se liberet* apud Glycam Annal parte 4. & agnosce potestatem pascendi oues Christi, Petro commissam, in eius successoribus.

Epistolæ Pontificum non passim reijciendæ.

Ep. Innoc. quâ excomunicat Arcadiũ, apud Nicephorũ &c. & altera Arcadij quâ absolui petit.

1134 Resp. II. Nimis te prodigum esse famæ, quam vel maximè commendat Veracitas, dum asseris *Innocentiano seculo, Apocryphos libros dictos fuisse, quorum vtpote ab hæreticis confictorum notoria est falsitas, Canonicos autem, qui in Consuetudine lectionis Ecclesiasticæ sunt.* Fieri non potest, vt nunquam Hieronymi Prologum Galeatum in Biblia legeris. Eius, postquam recensuit libros, quos ex Hebræo vertit, *viginti duos*, vel vt nonnulli diuidunt *viginti quatuor*, hæc sunt verba: *Hic Prologus Scripturarum quasi Galeatum principium, omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, conuenire potest: vt scire valeamus, quidquid extra hos est, inter NB. apocrypha esse ponenda. Igitur Sapientia, quæ vulgò Salomoni inscribitur, & Iesu Filij Syrach Liber, & Iudith, & Tobias, &*

Ingens Dorschei fraus in Apocryphi acceptione.

Refellitur ex Hieronymo.

 Pastor

Pastor non sunt in Canone &c, sunt igitur inter Apocrypha ex sententiâ Hieronymi, quia non sunt in Canone, ex sententiâ eiusdem, vel Iudæorum magis, ab eo relatâ. Falsum autem est, hos libros confictos ab hæreticis, cum illos iam olim in *consuetudine lectionis Ecclesiasticæ* fuisse, ex Augustino & aliunde constet irrefragabiliter. Falsum igitur est, quod parum verecundè fabularis: *Innocentiano seculo tantùm Apocryphos habitos esse libros, quorum vtpote ab hæreticis confictorum, notoria est falsitas.* Hieronymus enim testis omni exceptione maior, qui Innocentianum seculum non solùm attigit, verum etiam aliquot annis Innocentio superuixit, huius te falsitatis conuincit.

Falsum est libros, de quibus hîc est, confictos ab hæreticis.

Iubes conferri Aug. Lib. 15. de C. D. c. 23. & 36 l. 2. de doct. Christ. c. 8. l. 2. contra Gaud. c. 23. Appenderes verba, si pro te starent. Parcimus tempori & chartæ; omittimus reliqua: vnum tibi in os regerimus, quod S. D. Verba *ex l. 2. de doct. Christ. c. 8. à Kemnitio, iam olim contra Canonem nostrum perperam detorta, & solidè dissoluta à Bellarm. lib. 1. de verbo Dei c. 10.* solutione tacitâ, per crimen stellionatus denuo producis. Neque istud mirum est, cumulas enim hoc loco falsa falsis, dū Caietanum & Hugonem de Caro, in partibus tuis numeras. Etsi enim illi sensu Ecclesiæ non satis perspecto aut animaduerso, libros inter nos & vos controuersos, negant esse Canonicos ad *firmanda ea, quæ sunt* fidei, affirmant tamen esse Canonicos & Hagiographos *ad edificationem fidelium* quos eo ipso ex mente Hieronymi, & illorum, quin etiam ex tuorum Bibliorum syllabo, apocryphos esse, rectéque dici, cogeris fateri, contra superius tuum fabulamentum.

Frustra allegat August.

Caietanum item, & Hugonem de S. Caro.

DORSCHEVS.

De Concilio Carthaginensi.

114. III Replicat Dorscheus §. 183. aduersùs *alterum præsidium* Canonis Catholici, quod asserit *nos collocare in Cōcilio Carthaginensi III vt vocatur.* Hoc contendit esse *inualidum, quia Canon 47. in quo Catalogus librorum*

Replicat Dorscheus

brorum Canonicorum texitur, nō est huius Concilij, sed alterius cuiuspiam, vti fatetur Coriolanus in Sum. Conc. p. 309. & alij. Itaq; insititius est, & dubiæ fidei. Meminit Bonifacij Papæ; is verò post Innoc. & Zosimum vixit A. C. 417. notante Bellarm. in Chronico. Conc. Carthaginense III. non cadit in A. C. 402. sed 397. Confer. Possev. in Appar. p. 317. verbo Carthaginense III. p. 317.

Itaque, si Canon hic esset Concilij Carthaginensis, non esset determinatiuus, quia ante Innocentij definitionem publicatus. Quidam vetustus Codex sic habet: De confirmando isto Canone transmarina Ecclesia consulatur. *Vulgò additur,* Bonifacium esse pro confirmando Canone Biblico, quem à Patribus acceperint, certiorem reddendum. *Taceo Concilium hoc vix esse nationale,* 44. *Episcoporum duntaxat, & aliqua habere, quæ parum cùm Papismo quadrant. Nondum etiam liquet, an in stricta significatione Canonicos libros nominet, designat enim illos à lectione sub nomine diuinarum Scripturarum, in Ecclesiâ.*

RESPONDETVR.

RESP. I. Rursus Fidei non bonæ specimen, edit Dorscheus. *Carthaginense Concilium, quod Collector Conciliorum putauit esse tertium, fuisse postremum eorum omniū, quæ ab illo numeratа sunt septem,* ait Posseuinus verbo Carthag. Concilium mihi f 299. ídque confirmat ex Baronio; qui cum antea secùs censuisset. (tom. 5. A.C. 397.) retractauit denique in Appendice X. tomi, editâ A. 1602. Eundem sequitur Serar. in proleg. cap 8. q. 10. Hos autem lectos esse Dorscheo patet, cum frequenter illos alleget, & hoc ipso loco Posseuinum, qui verba Baronij exscribit. Quâ ergo fronte obijcit nos niti Concilio Carthaginensi, quod vocatur Tertium? Nitimur Canone, non numero Concilij Carthaginensis. Fatemur erratum in numero, neque esse tertium, sed quintum, vel sextum, vel aliud. Nulla est sequela: *Incertus est numerus Concilij, in quo Canon iste editus, ergo ipse Canon dubius & incertus;* neque melior, quàm illa: *Incertum est, quando vel vbi dixerit Christus, quod allegat Paulus Actor. 20. v. 35. Beatius est magìs dare, quàm accipere: Ergo incertum est, an Christus hæc verba dixerit.* Vel ista: *Incertus est annus Mundi vel Augusti Cæsaris, quo natus est Christus,* (varij enim variè computāt) *ergo incerta & dubia est Natiuitas Christi.* Esse

Ad §. 183. Dorsch. Fidei non bonæ specimen. Scit nos fateri erratum in Concilij numero.

Ex incertitudo numeri non concluditur incertitudo Concilij & Canonis.

Esse hunc Canonem alicuius Concilij Carthaginensis argumento est, quod nemo, nisi fortassis Dorscheo similis, veluti spurium impugnârit. Exceptione omni maior est autoritas S. Aug qui huic Concilio, quotumcunque fuerit, subscripsit, & præfatum Canonem hisce verbis confirmat ep 235. ad Quintianum: *Miror* ergo ait, *prudentiam tuam, quod me admonueris, vt iubeam non recipi eos, qui ad nos à vobis ad monasterium veniunt, vt quod statutum est NB. à nobis in Concilio, permaneret: & tu non memineris, in Concilio institutum, quæ sint NB. Scripturæ Canonicæ, quæ in populo Dei legi debeant. Lege ergo Concilium, & omnia, quæ ibi legeris, memoriæ commenda &c.* **Fuit ergo in aliquo Concilio, cui Augustinus interfuit, de Canonicis Scripturis statutum,** neque in alio, quàm in isto ipso: cum alius hâc de re, in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ non extet.

Non esse fictitium probat autoritas Aug. qui interfuit.

Quem Codicem ex Concilijs Carthaginensibus, Mileuitanis, & Africanis conflatum, ita iisdem Concilijs, (prout hoc, vel illo tempore celebrata videntur,) adaptauit Seuerinus Binius, vt nullo omisso Canone, totus in primâ parte Tomi primi Cōciliorum, editus reperiatur. Canon iste de libris Canonicis, in Concilio Carthaginensi, quod vulgò & falsò dicitur tertium, est 47. in *alijs autem certis Conciliorum libris, ipsóq; Codice Canonū Ecclesiæ Africanæ, numeratur 24. Concilij Carthaginensis* (cuius textum per Concilia Carthaginensia diuisum, à f. 577. vsque ad finem primi tomi, græcè & latinè exhibet Seuerinus) *celebrati post Consulatum Honorij duodecimum & Theodosij octauum, quorum annus currit sub Bonifacio,* ne putes nos ignorare aut conturbare veram Pontificum Chronologiam. Quin dicimus, hanc Synodum cæptam sub Zosimo, ac interruptam postea, resumptam fuisse sub Bonifacio: denique terminatam sub Cælestino, vt ex Epistolis Synodalibus ad hos Pontifices colligitur, & pluribus in Notis ad Concilium Carthaginense *Nomine sextum, re quintum,* vti appellat lit C demonstrat Binius post Baronium A.C. 419. à num. 49. vsque ad 90.

Codex Canonum Ecclesiæ Africanæ totus insertus. to. 1. Concil. à Binio.

De tempore Concilij, cui insertus iste Canon.

Illud

Illud porrò, quod textus Latinus & Græcus habet, *vt hoc Bonifacio, vel* (in Græco est καὶ) *alijs earum partiū Episcopis, pro confirmando isto Canone innotescat, quia à Patribus ista accepimus, in Ecclesiâ legenda*, Dorscheo & Sedis Apostolicæ autoritatem, & Canonis nostri antiquitatem ob oculos ponere debebat, nisi ad salutaria cæcutiret. Concilium hoc fuisse Prouinciale, neq; eius sententiam definitiuam pro totâ Ecclesiâ verum est; fuisse publicatum ante Pontificis Innocentij definitionem, tam facilè negamus, quàm sine probatione Dorscheus asserit. Nos Canonē hunc nō ad tempus Innocentij, sed Bonifacij referimus, & epistolâ Innocentij ad Exuperiū statuimus posteriorem, ex Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ. Etsi verò tantum quadraginta quatuor Episcopos subscripsisse demus, hic numerus maior est numero illorum, quos contra nostrum Canonem producit Dorscheus. Neque isti 44. Patres testantur solùm de suâ sententiâ, sed Maiorum quoque. Quid si non solùm 44. (quem numerum non reijcit Dorscheus) sed 217. Episcopi subscripserint? Binius enim, in Notis ad Conc. Carthaginense septimum f. 732. (itidem post Consulatum Honorij XII. & Theodosij VIII.) censet illud potius fuisse diuersam sessionem Concilij Sexti, quàm diuersum Concilium, *cui interfuerint ex omnibus Ecclesiæ Africanæ prouincijs viginti duo Episcopi: delecti iudices & legati, postea verò ducentos septendecim Episcopos suâ subscriptione approbâsse, quibus nomen legati suæ prouinciæ subscriptum inuenerant.* Sed nobis sufficit in tam ambiguâ Canonum & Conciliorum Carthaginensium numeratione, Canonem hunc in se nec esse dubium, neque fictitium, vti Dorscheus vellet.

Canon hic referendus ad tempus Bonifacij.

Quid si non solùm 44. sed 217. Episcopi subscripserint?

Resp. II. Diuisionem *Canonis, siue Librorum Canonicorum in Canonem Fidei, & Canonem lectionis Ecclesiasticæ*, itidem esse fictitiam, & Sanctis Patribus incognitam. 1. Si enim intelligatur lectio Ecclesiastica, quæ tanquam vtilis morum ædificationi, in Ecclesiâ vsurpari potest, aut solet: tum non tantùm Scripturæ inter nos & aduersarios controuersæ, sed multi SS.

Diuisio in Canonem fidei, & Canonem lectionis fictitia.

Patrum libri, ac homiliæ, itémque SS. historiæ, ædificationi plebis Christianæ statim ab initio vtiles fuerunt, hodiéq; sunt. Quos cum neque Ecclesia, neque SS. Patres vnquam designauerint, sequitur nullum lectionis Ecclesiasticæ Canonem vnquam in Ecclesiâ fuisse constitutum. 2. Patres qui dicunt *vtiliter quosdam in Ecclesiâ libros legi, ex quibus fidei dogmata possint confirmari*, non ponunt illos in Canone, sed extra Canonem. Quare ex horum sententiâ Canon neutiquam diuidi potest in eum, qui *fidei* sit, & eum, qui *lectionis*. 3. Euangelici ideo maximè Macchabæos reijciunt, quod l. 2. c. 8. commendetur oratio pro mortuis, & c. 14 videatur laudari Razias, qui occidit seipsum. Tobias est suspectus, quia c. 6. apparet species Magiæ. In Iudithâ displicet superstitiosum ieiunandi, & corpus affligendi studium. Cum ergo hos aliósque libros propter erroneam doctrinam reijciant, quâ ratione potuerunt à SS. Patribus, & veteri Ecclesiâ censeri vtiles, ad ædificationem plebis? Aut illos necesse est deceptos in diiudicandis erroribus, aut Euangelicos; qui non ægreferant, si istud potiùs imputamus ipsis, quàm illis.

Canon lectionis nunquam definitus.

Euangelici sibimet aduersi.

DORSCHEVS.

De S. Augustino.

116. Ad §. 183. Dorsch.

IV. Replicat Dorscheus aduersùs S. Augustinum, qui l. 2. de doctrinâ Christianâ c. 8. nostrum Canonem fideliter adnumerat, & epist. 236. se interfuisse Concilio, *in quo institutum fuit, quæ sint, Scripturæ Canonicæ, quæ in populo Dei legi debeant*: testatur, illique subscripsit. Ait vero Dorscheus: *Huic præsidio*, quod *subministrat Concilium* Carthaginense (non III. sed VI, vel aliud) *autoritatem conciliare debebat Augustinus, sed quia Canon est insititius, frustra est.*

RESPONDETVR.

Dorscheus Augustino non par.

Non pugnamus esse insititium respectu Concilij Carthaginensis III. negamus esse talem respectu VI. vel alterius. Conciliat illi autoritatem tantam Augustinus, quantæ frustra se opponit Dorscheus; quod verò addit *Augustinum nomen Ca-*

nonici

nonici latiùs vsurpare (pro ijs scilicet libris, qui non ad doctrinam fidei, sed ædificationum morum spectant,) *idque esse certissimum:* pace tuâ dictum sit Dorschee, certissimum est esse falsissimum.

I. Quia PP. qui de aliquorum librorum autoritate ad confirmandam doctrinam fidei sufficiente, dubitârunt, vel eam penitus negârunt: non posuere illos vnquam in Canone, neq; Canonicos appellârunt, quod vtrumque facit Augustinus l. 2. de doctrinâ Christianâ c. 8. Cum verò ibidem iubet Scripturas, *quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesijs Catholicis, anteponi eis, quas quædam non accipiunt: in eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponi eas, quas plures grauioresque accipiunt*, non loquitur de autoritate essentiali & necessariâ ad certitudinem Fidei, sed accidentali, quæ ex plurium Ecclesiarum acceptatione consequitur. Neque enim ætate Augustini Canonica omnium librorum, quos enumerat, autoritas, satis per vniuersam orbem innotuerat. Patres de quibusdam libris dubij, non appellant eos Canonicos. Augustini mens.

II. Initio cap. seq. dicit: *In his* omnibus *libris timentes Deū, & pietate mansueti, quærunt voluntatem Dei.* Non rectè autem in omnibus his libris quæritur voluntas Dei, si aliqui sunt dubiæ doctrinæ, aut erroneæ, de quâ Euangelici libros, quos reijciunt, accusant.

III. S. Augustinus hos ipsos libros, & vniuersim iudicauit cum cæteris esse infallibilis autoritatis, & ad probandam Fidei doctrinam adhibuit: *Ego enim* ait epist. 19. ad Hieron. *Solis eis Scripturarum libris, qui NB. IAM CANONICI appellantur, hunc timorem & honorem didici deferre, vt nullum eorum autorem scribendo aliquid errâsse, firmiter credam.* In libro de curâ gerendâ pro mortuis c. 1. ex libris Macchabæorum confirmat orationem pro defunctis: *In Macchabæorum* ait, *libris legimus pro mortuis oblatum sacrificium. Sed etsi nusquam omnino in Scripturis veteribus legeretur, non parua est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hâc consuetudine claret, autoritas.* Ex lib. Sapientiæ, pugnat aduersus S. Aug. hos libros iudicauit esse infallibilis autoritatis.

Semi-Pelagianos c. 14. de Prædest. SS. dicens: *Non ideo librum Sapientiæ, qui tantâ numerositate annorum, legi meruit in Ecclesiâ Christi, pati debere iniuriam, quoniam resistit eis*, videl. Pelagianis. Et c. 17. ait eius *libri autoritate vsos esse magnos & doctos viros, qui longè ante ipsum eloquia diuina tractârunt.* Verè ergo Augustinus hunc librum Canonicum censuit, dum iniuriosum asseruit eius autoritatem Canonicam repudiare, quod fecisse Semi-Pelagianos in epist. ad Augustin. ijs libris præfixâ, testis est Hilarius.

Neque verò si Augustino epist. 235. credimus, in Ecclesiâ Africanâ legebantur, vel legi debebant *Scripturæ, quas Ecclesiasticus Canon non recipit.* Intelligit autem *Canonem in Concilio institutum*, cui ipse interfuit. Esse verò hunc Canonem duntaxat idoneum ædificationi, non doctrinæ Fidei, asserunt illi, qui super arenam ædificant Fidem quaquauersus vacillantem. Est ergo Augustini Canon, nostri Canonis firmamentum.

DORSCHEVS.

De Gelasio I. & Concilio Romano.

117. Replicæ Dorschei aduersùs Gelasium & Conc. Rom.

V. Replicat §. 184. Dorscheus aduersùs Gelasium Papam & Concilium Roman. d. 15. cap. Sancta Romana. & notat 1. *Esse distantiam integri sæculi. Innoc. enim in principio, Gelasius in fine quinti sæculi vixit.* 2. *Nesciri, vnde illa numeratio Canonicorum librorum promanârit, quâ occasione, & quæ præterea fuerint Synodi actiones.* 3. *Accedit suspicio corruptelæ ex Antonino, nam part. 3. summ. mor. tit. 18. c. 6. §. 2. ita loquitur de libris dubijs V. T.*

Antonini iudicium de libris dubiis.

Hebræi non ponunt in Canone SS. Scripturarum, sed appellant Apocryphos, & de his dicit Hieron. super Iudith, quod autoritas horum librorum ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minùs idonea iudicatur. Sed tamen Synodus Nicæna in numero S. Scripturarũ legitur computâsse. Hoc dicit Hieron. de Iudith, & idem de alijs quatuor videtur dicendum. Et de hoc habetur d. 15. in Paleâ. Et idem etiam dicit Thomas in 2. 2. Et Nicol. de Lyrâ super Tobiam: scilicet, quod isti non sunt tantæ autoritatis, quod ex dictis eorum posset efficaciter argumentari in his, quæ sunt Fidei, sicut ex alijs libris Scripturæ.

Vnde

Vnde fortè talem habent autoritatem, qualem habent dicta SS. PP. & DD. approbata ab Ecclesiâ.

Vbi obseruamus illud: Hoc dicit Hieronymus de Iudith, *non respicere ad posterius; neq; enim vult* Antoninus, *Synodum Nicænam, & alios libros in numero SS Scripturarum computâsse. Quis enim vnquam hoc asseuerauit? Reijcit igitur ad prius, quod scilicet Hieronymus de solo libro Iudith dicit, cuius autoritas ad roboranda illa &c. id de reliquis etiam Apocryphis dicendum esse, & hoc dixisse Paleam, quod nuspiam hodie cum Paleâ extat. Et hæc de quinto sæculo.*

RESPONDETVR.

Resp. I. Nihil obstare distantiam integri seculi, sicut nihil obstat distantia primorum quatuor seculorum, quibus de Canone Scripturarum nihil à Pontificibus vel Concilijs determinatum legimus. Neque ex hoc quinto seculo quenquam pro suo Canone produxit Dorscheus; non magis ergo nobis obijcere debet distantiam secularem, quàm sibi ipsi. Neque verum est tantum spatium interesse, septuaginta enim Episcopi, qui cum Gelasio Canonem nostrum ratum habuere, non vtique excogitârunt ipsi, sed accepêre à maioribus, qui illo seculo vixêre, & hi à prioribus. Non constare, quâ occasione Synodus illa facta fuerit, vel quænam aliæ ipsius fuerint actiones, nihil mirum est. Multa diuturnitas temporum aboleuit. Quod dicta Synodus in tomos Conciliorum relata est, & signata suo anno, nempe A. C. 494. *eiusdem Anni consulibus Asterio atque Præsidio*, argumento est aliquando celebratam, etsi tota non extet. Credimus illis, qui fragmenta Historiarum aliorúmq; librorum, Liuio, Sallustio, Ciceroni, aliísque tribuunt, cur Fidem negemus Collectoribus Conciliorum?

118. Ad §. 184. Dorsch. Soluuntur inanes Replicæ.

Resp. II. Temerariam & nullius consecutionis esse suspicionem corruptelæ factæ, quam de hac Synodo ex Antonino mouet Dorscheus. Amabò te, quæ hæc consequentia? *S. Antoninus seculo XIV. dubitauit de libris Apocryphis, quos Ecclesia habet pro Canonicis; ergo supposititia & per corruptelam inserta est tomis Conciliorum, Synodus Romana LXX. Episcoporum sub Gelasio.* Quin

Suspicio corruptelæ ex Antonino temeraria.

tu potiùs ita arguis: *Ergo Antoninus non credidit Pontificem sine Concilio generali, habere autoritatem infallibiliter definiendi, neque ad hoc sufficere Concilium particulare aut prouinciale, quamuis ab ipso confirmentur.* Sed non est necesse Sanctissimum virum ita sensisse, (etsi obscuriùs hâc de re loquitur, & magis in contrarium, 3. part. summ. Theolog. Tit. 22. c. 3. §. 1. Tit. 23. cap. 2. §. 6 cap. 3. §. 4.) id concedimus non animaduertisse satis ad Pontificis & Synodi mentem. Cum enim Decreti titulus non sit, nisi iste: *Ordo Librorum V. T. quem S. Romana suscipit & veneratur Ecclesia, digestus à B. Gelasio Papâ, cum LXX. Episcopis.* Item: *Ordo Scripturarum noui & aeterni testamenti:* potuit existimare, hoc ordine non solùm contineri libros ad confirmationem Fidei idoneos, qui dicuntur Canonici, sed etiam aedificationi vtiles, ideóque nomen ordinis potiùs quàm Canonis, Synodum vsurpâsse. Etsi ex initio sequentis decreti, quod ita habet: *Post Propheticas, Euangelicas, atq; Apostolicas Scripturas, quibus Ecclesia Catholica per gratiam Dei fundata est, &c.* Clarè sensus Pontificis eluceat. Neq; enim Ecclesia Catholica fundata est alijs Scripturis quàm Canonicis, siue illis, quae sunt infallibilis autoritatis, tam in Fide, quàm in moribus. Decretum Innocentij de Scripturis, apparet Antonino visum non fuisse, nullam enim eius mentionem facit, sicut meminit decreti Gelasiani; etsi alia huius Pontificis decreta, refert. 2. part. summae Histor. tit 9. cap. 2. sub fin.

S. Anton. non satis aduertit ad mentem Gelasij.

Mens Pontificis & Synodi clara ex seq. decreto.

119. Antonini mens.

Aduertimus praeterea 1. S. Antoninum, etsi nemo alius id asseuerârit, existimâsse, quod *nō solùm Librorum Iudith, verùm & Tobiae, Sapientiae, Ecclesiastici, Macchabaeorum, Concilium Nicaenum, in numero SS. Scripturarum computârit*, planum est cuiuis bonâ mente, verba expendenti. Sed *Nihil tam clarè dictum est, quod malè interpretando obscurari non possit.* Certè, cum S. Antoninus Concil. Nicaenum receperit, non potuit librum Iudith in dubium vocare.

De S. Th. Aquin.

2. Allegat Antoninus Thomam, Sanctus Sanctum, & quidem

quidem ex 2. 2. sed nec quæstione, nec articulo expresso. Nobis quidem hactenus nihil simile in 2. 2. occurrit. In primâ tamen parte q. 89. art. 8. cum S. D. secundò obiecisset: *frequenter mortuos viuis apparere, sicut Samuel apparuit Sauli*, respondet ad 2. de Samuele *dici posse, quod ipse apparuit per reuelationem diuinam, secundùm hoc, quod dicitur Ecclesiastici* 46. quod dormiuit, & notum fecit Regi finem vitæ suæ. *Vel illam apparitionem fuisse procuratam per dæmones. NB. Si tamen Ecclesiastici autoritas non recipiatur propter hoc, quod inter Canonicas Scripturas apud Hebræos non habetur.* Quæ eò tendunt, vt videatur S. Doctor fuisse dubius de autoritate Canonicâ Ecclesiastici, aliorúmque librorum, qui non fuere in Canone Hebræorum. In Com̃entario super librum S. Dionysij de diuinis nominibus cap. 4. lect. 9. id solùm dicit, Librum Sapientiæ *tum nondum habitum fuisse pro Canonico.* Atqui hoc ipsum *nondum*, significat *iam tum* fuisse Canonicum, cum hoc Angelicus Doctor scriberet. Denique in 2. 2. q 16. art. 1. *Vtrum in veteri lege debuerint dari præcepta credendi?* argumentatur S. Doctor quintò, *Omnes libros veteris testamenti sub lege veteri continentur &c. Sed Ecclesiastici 2. dicitur:* Qui timetis Dominum, credite illi, *ergo in veteri lege fuerunt præcepta danda de Fide.* Neque aliud respondet, quàm *in istâ etiam autoritate præsupponi Fidem, per quam credimus Deum esse &c.* nihil autem contra autoritatem huius libri addit, adeóque fatetur illum inter libros V. T. contineri. Non ergo S. Thomas stat pro Canone Lutherano, sed potiùs pro nostro, vel vt summùm dubius fuit.

S. Thomas pro nobis potius.

120. Nicolai Lyrani sententia & Britonis.

Nicolaus de Lyrâ Præfat. *super Tobiam* dicit quidem libros, *qui non sunt de Canone* (Hebræorum intellige, quem ex Hieron. in Prologo Galeato sequitur) *receptos esse ab Ecclesiâ, vt ad morũ informationem in eâ legantur: tamen ad probandum ea, quæ in contentionem veniunt, minùs idoneos reputari.* Sed Brito in Præfat. libri Iosue, quam præmisit Postillæ Lyrani, ait: *quia de veritate istorum librorum non dubitatur, illos recipi ab Ecclesiâ.* Quod videtur

Item Hugonis de S. Caro, cuius dicta parum cohærent.

detur desumpsisse ex Hugone de S. Caro, qui in Prologum Galeatum S. Hieron. ante libros Regum fol. 211. lit. h. asserit, *dupliciter librum aliquem dici apocryphum, vel quia autor ignoratur, sed veritas patet; & tales recipit Ecclesia non adprobationem Fidei, sed ad morum instructionem. Vel quia veritas dubitatur, & tales non recipit Ecclesia, vt est liber de infantiâ Saluatoris, & de Assumptione Corporis B. Virginis.* Similia habet in Præfat. libri Tobiæ.

Hugo Victor. refellit falsam Dorschei explicationem de Apocryphis.

Vbi obserua 1. Parum hæc duo cohærere, *Veritas horum librorum patet, & quia de veritate horum librorum non dubitatur, recipiuntur ab Ecclesiâ.* Deinde istud alterum: *Tales libros recipit Ecclesia non ad Fidei probationem, sed ad morum instructionem.* Si enim veritas illorum est patens, manifesta, & extra dubitationem, cur non possint adhiberi ad Fidei probationem? 2. Cōfirmat Hugo, quod diximus, falsam videl. solutionem esse Dorschei supra num. 114. refutatam, quod *Innocentiano seculo, eodémque Hieronymiano & Augustiniano, illi libri solùm dicerentur Apocryphi, quorum essent autores hæretici, & falsitas notoria.* S. Hieronymus enim expresse *ponit inter apocrypha, quidquid est extra Canonem Hebræorum.* Quare rectè admonet Hugo in Præfat. super Tobiam, *quod in præfatione eiusdem Hieronymi super Tobiam legitur: hunc librum Hebræos de catalogo diuinarum Scripturarum secantes, his NB. quæ Hagiagrapha memorant, mancipare &c.* quod itidem de libro Iudith in Præfat. eiusdem asserit, illum apud *Hebræos inter Hagiographa legi:* vel *largè ab ipso sumi Hagiographa, vt in eis comprehendat primam speciem apocryphorum.*

S. Hieron. libros dubios inter Hagiographa non numerauit.

vel *forte Scriptoris vitio factum esse hoc: qui scripsit Hagiographa, vbi deberet scribere Apocrypha.* Certū enim est, à S. Hieronymo hos libros non numerari inter Hagiographa, qui juxta Canonem Hebræorum constituunt tertiam illius classem, vt asserit in Prolog. Galeat. Aduertit hoc Dorscheus, qui Hugonis verba allegat, tantóque est inexcusabilior, dum Apocrypha nulla agnoscit Hieronymi ætate, nisi ab hæreticis conficta & notoriè falsa, contra apertam Hieronymi sententiam, & Hugonis mentem.

Quod

Quod denique vrget Dorscheus in cap. Sancta Romana. d. 15. *extitisse decretum Gelasij de libris Canonicis*: ac denique sub finem §. 184. addit, *hoc dixisse Paleam, quod nusquam cum Paleâ extat.* Si de catalogo Scripturarum intelligit, falsum est, extat enim ille catalogus tom. 2. Conciliorum; si de eo, quod Antoninus ex Hieronymo asserit, *libros Apocryphos minùs esse idoneos ad roboranda ea, quæ in contentionem veniunt*; rursus fallitur: quia Antoninus hoc in Paleâ contineri non dicit, neque constat, quid in illâ Paleâ vltra Decretum de Scripturis contineretur. In nullo enim Iuris Canonici exemplari hodie fortassis reperitur. Refert Antonius Contius in emendatione decreti Gratiani, *se antiquum illius exemplar habuisse, in quo pleraque Paleæ desint.* Potest denique ex d. 15. cap. Sancta Romana illud saltem argumentum duci pro Canone nostro, quod ex libris quoque istis, non minùs quàm alijs Scripturis, *secundùm Ritum, quem Apostolica non reprobat, sed sequitur Ecclesia in officijs diuinis*, soleant lectiones desumi nullo discrimine Autoritatis Canonicæ apparente.

Dorscheus fallit.

Palea ab Antonino allegata hodie non reperitur.

DORSCHEVS.

De seculis posterioribus.

VI. Replicat Dorscheus §. 185. *& procedit per secula posteriora ad totius orbis Christiani*, (si Dijs placet) *consensum, ad nostra vsq; tempora demonstrandum. Tres tantum produci*, ait *à Becano. Cassiodorum è sexto, Isidorum Hispalensem è septimo, Rabanum Maurum è nono seculo. Postea*, ait, *deuoluitur ad Concilium Florentinum, hoc est, à seculo quinto vsq; ad decimum quintum: atq; adeò mille annorum interstitium, tribus iisque non satis ad rem loquentibus testibus, complet. Pro nobis*, ait, (Dorscheo scilicet & Lutheranis) *est è seculo VI. Iunilius Africanus, Leontius Byzantinus, & Gregorius Magnus Papa. Ex seculis sequentibus Strabus Fuldensis, Hugo de S. Caro Cardinalis, Radulphus Flauiacensis, Hugo & Richardus de S. Victore, Thomas Aquinas, & plures alij.*

121. Dorscheus procedit per secula posteriora ad nos vsq;.

Respondetvr.

Resp. I. Egregiè gloriosi militis partes implere Dorscheum, dum à seculo sexto vsque ad nostra tempora, totius Christiani

Ad §. 185. Dorsch.

stiani

Dorſcheo glorioſo militi Christiani multi PP. non ſunt.

ſtiani orbis conſenſum iactat; quaſi Chriſtiani non fuiſſent: Caſſiodorus, Iſidorus, Rabanus, qui Canonem noſtrum non confinxêre ipſi, ſed à maioribus, vtique etiam Chriſtianis acceperunt. Quaſi Chriſtiani non fuerint Patres ac Doctores, qui etſi Canonem integrum non recenſent, libros tamen à Iudæis in Canonem non receptos ſine diſcrimine, inſtar aliarum Scripturarum, his ſeculis paſſim in Commentarijs & libris ſuis citârunt. Quaſi Chriſtianis Dorſcheus non annumeret *Lutherum*, *Kemnitium*, *Brentium*, *Centuriatores Magdeburgenſes*, qui paulo ante noſtra tempora repudiârunt *Epiſtolam ad Hebræos*, *item Iacobi, & Iudæ, nec non* (ſi Magdeburgenſes excipias) *Apocalypſin Ioannis*. Vt omittamus de quibuſdā alijs in V. T. ipſos dubitâſſe, quæ omnia nunc ſine vllâ diſtinctione Apocryphorum, Scripturis N. T. attexunt. Neque Lutherani igitur, nedum totius Chriſtiani orbis conſenſum pro hodierno Euangelicorum Canone, Dorſcheus demonſtrare poteſt.

Neq; ipſi Lutherus, Kemnitius, Brentius &c.

Interſtitium mille annorum falsò exaggerat.

Quod deinde *interſtitium mille annorum à ſeculo quinto vſque ad decimum quintum* exaggerat, videtur oblitus Rabani, quem vix tribus verbis interiectis ex ſeculo nono nobis conceſſit: queſtus Becanum poſtea deuolui ad Concilium Florentinum. Inter ſeculum nonum autem, & decimum quintum nequaquam mille anni intercedunt.

122\. Malè allegantur PP. pro Canone Lutherano.

RESP. II. Illos, quos produxit Dorſcheus, veluti pro ſe, eſſent, falsò trahi in partes Lutherani Canonis. 1. Quia omnes parati erant ſe ſubmittere definitioni Concilij Generalis, abſque contradictione recepturi decretū de Scripturis, ſi aliquod à tali Concilio emanâſſet, ſicut emanâuit à Concilio Tridentino. Canon autem Lutheranus non minus aduerſus Concilia quæcunque quàm Pontificem obuertit cornua. 2. Omnes hi non minùs vtique, quàm S. Gregorius M. d. 15. cap. 2. *Sicut ſancti Euangelij quatuor libros, ita quatuor Concilia ſuſcipiebant & venerabantur.* Concilium autem Nicænum I. *librum Iudith in numero ſanctarum Scripturarum computauit* teſte Hieronymo;

Recipiebant omnes librū Iudith cum Conc. Nicæno,

ergo

ergo neque voluere, neq; potuere illum excludere à Canone, sicut faciunt Lutherani, qui hodiéque illum inter apocrypha numerant. 3. Sed neque de alijs libris planè conueniunt cum Lutheranis.

Iunilius Africanus lib. 1. de partibus diuinæ legis cap. 3. ait *plures* (libris ad diuinam historiam pertinentibus) *adiungere libros Paralipomenon, Iudith, Iob, Esdræ, Esther.* Et mox ad Quæstionem, *cur non hi libri inter Scripturas Canonicas currant?* respōdet: *Quoniam etiam apud Hebræos sub hâc differentiâ recipiebantur, sicut Hieronymus cæteriq; testantur.* Non numerauit igitur *Iunilius* libros *Paralipomenon, Iudith, Iob, Esdræ, Esther,* quos sine ambiguitate Euangelici recipiunt, in Canone; Et dum affirmat *sub eādē differentiâ receptos fuisse apud Hebræos,* indicat, quod supra dicebamus num. 109. duplicem fuisse apud Hebræos Canonem; vnum antiquiorem, alterum recentiorem post tēpora Esdræ conditum, in quo ipsi libri Esdræ, & alij fuerint repositi. Etsi in Hieronymo quidem hactenus nemo hoc (quod sciamus) deprehendit, sed fortasse aliqua ipsius epistola vel liber interiit, in quo Iunilius ista legerit. Rabanus certè lib. 2. de Instit. Clericorum cap. 154. ex sententiâ *sapientis cuiusdam,* quem nominat, ait *librum Sapientiæ à Iudæis de Canone recisum, propter clarissimum de Christo testimonium, quod in personâ impiorum* cap. 2. extat. Neque de alijs libris conueniunt, maximè Iunilius.

Præterea *Iunilius* cap. 3. libris Prouerbialibus indubitatis, præter Prouerbia adiungit *IEsum Sirach*, quem itidem expungunt prætensi Euangelici; postea addit *à quibusdam adiungi librum Sapientiæ.* Denique cap. 6. & 7. negat *esse libros absolutè Canonicos, etsi à quamplurimis adiungantur: Epistolam Iacobi, Petri secundam, Iudæ vnam, Ioannis duas, eiusdémq; Apocalypsin,* quæ vehementer aduersantur Canoni Dorscheano. Iunilius in pluribus discrepat.

Neque fauet *Leontius Byzantinus*, is enim *libro Actionum aduersùs sectas, quas ex ore Theodori Abbatis excepit*, actione 2 ponit Leont. Bizant. omittit Esther.

quidem Canonem Scripturæ, sed omittit librum *Esther*, quem Canonicis accensent Lutherani.

Frustra porrò allegat Gregorium Magnũ, is enim cum Concilio recepit librum *Iudith* ab Acatholicis exautoratum, vt iam dictum est. Ad illa verò verba, quæ afferuntur ex lib. 19. Moral. cap. 17. *de quâ re non inordinatè agimus, si ex libris NB. licet non Canonicis, sed tamen ad ædificationem Ecclesiæ editis*, testimonium (de Eleazaro) *proferamus &c.* responderunt dudum Nostri: illud *licet* sumi aliquando hypotheticè, ita *vt sit verbum concedentis, idem significans quod Esto*, vt notatur in Lexico Pasferatij. Adeóque sensum Gregorij esse: *posito, hos libros non esse Canonicos, rectè tamen testimonium inde sumi, cum saltem ad Ecclesiæ ædificationem sint editi*, quo ipso testatur esse immunes ab erroribus, quos Acatholici illis hodie impingunt. Errores enim in doctrinâ Fidei, Ecclesiam non ædificant, sed destruunt. Addimus, etsi juxta *Innocentij & Concilij Carthaginensis*, ac *S. Augustini* sensum tum constaret, libros, quos Iudæi reijciunt, esse Canonicos: necdum tamen sub præcepto & Anathemate, quod apposuit Concil. Trident. erat prohibitum, ne Canonem Hebræum quis sequeretur, cui cùm aliquos etiamnum inhærere sciret Greg merito illud *licet* adhibuit.

Greg. M. explicatur & defenditur.

Rabani Mauri discipulum Strabum, à Magistri sui doctrinâ de Canone Scripturarum dissensisse, nemo nudâ Dorfchei assertione sibi persuaderi patietur, qui præsertim ponderârit, quod scripsit Trithemius lib. 2. vitæ Rabani: *Monachũ videlicet nomine Strabum, patriâ Francum, ex vrbe Praæpolitanâ oriendũ, virum in omni scientiâ diuinarum, humanarúmque literarum doctissimum, carmine ac prosâ longâ exercitatione peritum, nec minus vitæ merito, quàm Scripturarum eruditione venerandum: quem post se Scholæ Monachorum præfecit, & introductum modum docendi obseruare & continuare præcepit. &c.* Neq; dubiũ est, quin hoc præceptum Strabus impleuerit in conspectu propè positus Præceptoris sui, qui ad Archiepiscopalem vicinæ Moguntiæ apicem postea

Strabum à præceptore Rabano dissentire, non est credibile.

postea euectus; intra limites iniuncti mandati continere poterat vel inuitum. Sed volens secutus est nobilis discipulus præstantissimum Magistrum, cuius autoritate in glossâ ordinariâ super his ipsis libris, de quibus controuertimus, vsus est. Videtur Dorscheus deceptus Præfationibus, quas Prologis Hieronymi in antiquâ glossæ ordinariæ editione, præfixit Brito quidam Ordinis Minorum monachus, *temerè & inscitè, de his libris commentatus ex sensu suo, non Strabi. Quas vt nullius penè ponderis, ac tanto opere indignas, penitus expunxerunt Iacobus Gueillyus, Franc. Feuardentius, Ioannes Dadreus, viri celebres, atq. Theologi Parisienses, è glossâ ordinariâ & interlineari: cum vtramq. sub initium huius seculi emendatiorem emitterent in publicum.* Teste Posseuino in Apparatu.

Dorscheus fortè deceptus à Britone.

1131 Neque Hugonem de S. Victore patronum habet.

De Hugone de S. Caro & S. Thoma iam diximus. Hugo de S. Victore, neq; ipse solidè Dorscheo patrocinatur. Nam etsi de Sapientiâ dicit cap. 7. de Scripturis Sacris, *illum librum apud Hebræos nusquam esse, & non constare, quibus autoribus Iudith & Tobias, & libri Machabaeorum scripti sint*, de solo tamen *Ecclesiastico* ait: *eum apud Hebræos reperiri, sed inter apocryphos haberi.* Reliquos autem nunquam apocryphos nominat, eo ipso indicās, esse in Canone Christianorū, etsi sint extra Canonem Hebræorum. Certè descriptio Apocryphorum, quam ponit cap 11. neque his libris, neq; Ecclesiastico conuenit. *Est enim*, inquit, *eorum origo occulta, neque patet SS. Patribus, à quibus edita sint: in quibus etsi aliqua veritas, tamen propter multa falsa, nulla est in eis Canonica autoritas.* Non esse autem in his nostris libris multa, imò nulla falsa, inde liquet, quia omnes consentiunt, illos saltem ad ædificationem in Ecclesiâ legi consueuisse; falsa autem præsertim multa, non pariunt ædificationem, sed scandalum, & ruinam. Non sunt ergo isti libri ex mente Hugonis apocryphi. Illud enim, quod autores habeant incertos, ad apocryphorum classem non sufficit, sed ipsis cum quibusdam libris etiam indubitatis, commune est. Denique lib 9. *Allego-*

riarum & mysteriorum S. Scripturæ, non minùs absque vllo iudicio apocryphorum explicat allegorias & mysteria, quæ in libris Esther, Tobiæ, Iudith, Machabæorum continentur, quàm quæ in alijs Scripturæ libris.

Quidam Scriptores non ad manus.

Radulphi Flauiacensis, Petri Cluniacensis, Richardi de S. Victore libros & scripta, nunc quidem ad manum nō habuimus: haud dubiè similia depræhensuri, qualia in aliorum allegatione deprehendimus. Id sufficiat, hos & alios, quos pro se Dorscheus allegat, vel allegare potest ex SS. Patribus, & orthodoxis Doctoribus, autoritatem Concilij Nicæni, adeóque & librum Iudith recepisse. Nullus ergo ex illis Canonem Lutheranum, seu Caluinianum probauit vel recepit. Consistit enim Canon *in certo Sacrorum librorum numero,* (etsi is pro variâ eorundem diuisione variè iniri potest, quâ ratione teste Hieronymo in Prologo Galeato, *aliqui viginti duos V. T. libros numerant, alij viginti quatuor,*) à quibus si vel vnum auferas, cæteris licet intactis, non est idem numerus, ac proinde nec idem Canon. Sublato v. g. vno libro ex viginti duobus, non remanent nisi viginti & vnus, quos numeros specie diuersos esse nemo non videt. Cùm igitur omnes à Dorscheo allegati, Libris Canonicis saltem adiungant Iudith, quem Acatholici omnes detrahunt: sequitur tam fieri non posse, vt vnus sit vtrorumque Canon, quàm fieri non potest, vt duo sint tria, vel viginti duo viginti tria. Vt omittamus non tantùm vnius, sed plurium librorum discrepantiam, nos in plerisque demonstrâsse.

Canon consistit in certo numero; si vnū demas, vel addas, non est idē.

Dorscheus hiatum duorum seculorum relinquit.

Aduerte denique duorum seculorum hiatum interesse inter illos, quos hactenus Dorscheus allegauit, & *Antoninum, Abulensem, & Ximenium,* quos §. seq. allegat. Postremus enim tempore, ex allegatis est *Hugo de S. Caro, qui floruit circa Annum Christi 1245.* Inde autem vsque ad *Abulensem & Antoninum, qui floruerunt circa Annum Christi 1445.* intercessere ducenti anni, ex quibus Dorscheus producit neminem. Non igitur per singula secula vsq; ad nostra tempora iuit; *neq; totius Christiani orbis consensum,*

sensum, sed veriùs dissensum à suo Canone demonstrauit. Neq; mille annorum hiatum in deducendo Canone nobis falsò obijcere debuit, cui verissimè obijcimus hiatum mille quingentorum annorum, in prætensi Euangelij doctrinâ, ab Apostolis vsque ad Lutherum deducendâ: quam nemo vnus integram, & non nisi hæretici, ante ipsum per particulas, velut in semine tenuisse comperiuntur.

DORSCHEVS.

De Concilio Florentino.

VIII. Denique replicat Dorscheus §. 186. aduersùs *prouocationem ad Concilium Florentinum*, & dicit 1. *In illo Concilio, ne verbo quidem de Canone Scripturarum tractatum esse.* 2. *Carranzam, & qui Carranzam sequitur, Coriolanum, memorare in tractatu de Vnione Armeniorum & Iacobitarum id factum esse.* 3. *Hæc tractata esse Græcis iam profectis teste Platinâ in Eugenio. Acta Græcorum & Latinorum subscriptione firmata A. C. 1439. die 1. Iulij. Tractatum cum Armenis eodem Anno, Cal. Decemb. demùm absolutum* in Synodali sessione publicâ, *vt* ait *Eugenius in suâ Decretali. Platina* ait *literas Eugenij datas* in Sacrosancti Oecumenici Concilij Florentini, quod in Cathedrali Ecclesiâ habitum est, sessione A. C. 1439. die 22. Nouemb. *quod falsum est, erat enim Concilium iam finitum.* 124. Ad §. 186. Dorschei. Replicæ cõtra Concil. Florentinũ.

4. *Ista tractata cum Armenis nihil habere de Scripturis. A Carranzâ quidem & Coriolano, tanquam septimum caput, proponi Catalogum librorum Canonicorum; illósq; X. capita vnionis, Petrum Crabbe autem, & Bzouium tantum octo numerare, adeóque hos nihil habere de catalogo. His suffragari F. Iouerium Theologum Parisiensem, in compend. Concil. & decret. Pontif.* 5. *Se prodere illud adulterinum Caput, dum Manichæos anathematizat, qui duo principia, vnum visibilium, alterum inuisibilium statuerunt. Quasi Eugenij & Episcoporum tanta circa Manichæorum errores fuerit ignorantia.* 6. *Hinc & Antoninum Florentinum, & Alphonsum Abulensem, & Franc. Ximenium Toletanum, coætaneos Concilij Florentini: à catalogo, quem Carranza prodidit ex angulo nescio quo, liberè dissensisse, & Euangelicis* (si Dijs placet) *accessisse partibus.* Nihil contineri in Cõc. nec in Instructione Armenorũ de Scripturis. A Carranzâ alij liberè dissentiunt.

Videat igitur, quomodò audacia illa verba excusare possit Kircherus, quibus tam confidenter nos apostasias insimulat.

RESPONDETVR.

Ad §. 187. Dorschei.

RESP. I. Neq; hunc Nodum esse Gordiũ, sed absq; læsione Canonis Tridentini, vel solui, vel scindi. Nam. 1. Nemo qui Concilij Florentini textum legit, affirmat in ipso Concilio ante discessũ Græcorũ, de Scripturis quidquam expressum esse. 2. Verũ est *Carranzã & Coriolanũ memorare id in tractatu Armeniorũ & Iacobitarũ factũ*. Vtrùm verè memorẽt, paulò post patebit. 3. Dorscheus imponit Platinæ, quasi absolutè memoret, *ista tractata esse Græcis iam profectis*. Non hoc dicit Platina, cuius repræsentamus verba: *Abeuntibus autem*, ait, (quod rectè intelligi potest, *abiturientibus*, siue *sub abitum illorum*, cum præsertim non omnes simul discesserint) *Græcis re hoc modo compositâ, Armenij etiam cum Fide nostrâ conuenêre, sublatis crebris disputationibus eorum erroribus, promulgatisq; Eugenij literis super eâ re, quæ rationem Concordiæ ostenderent cum inscriptione:* Datum in sacrosancti Oecumenici Concilij Florentini, quod in Cathedrali Ecclesiâ habitum est, sessione. Anno M. CCCC. XXXIX. 22. Nouemb. Illud: *Sacrosancti Oecumenici Concilij Florentini* non habet textus decreti nec Latinus nec Græcus, sed hoc solum: *Datum Florentiæ in sessione publica Synodali &c.*

Dorscheus imponit Platinæ, quod ipse non dicit.

125. Neque vrget, quod decretum Vnionis Generalis, datum est Florentiæ *Anno Incarnationis Dominicæ 1439. pridie Nonas* (id est 6.) *Iulij*. Non enim inde necessariò consequens est, Concilium continuò finitum, & Græcos statim discessisse. Post decretum enim illud, inter Patrum subscriptiones ponuntur aliquot quæstiones ab Eugenio & Latinis propositæ, sed à Græcis declinatæ. Sub quarum ferè medium habetur: *Dum hæc fiunt, lapsos esse dies: die verò 14. Iulij Feriæ III. Papam Orientales omnes Præsules ad se conuocâsse, & cum aliquot ex ijs profecti essent &c.* Vnde apparet tum aliquos, non autem omnes, abijsse. Denique sub finem habentur hæc: *His ita gestis, præteriêre dies aliquot, vsq; ad diem Dominicum; Feriâ vero secundâ die Iulij 28. subscripsisse tomos* (decreta Vnionis vnum Latinum, alterum Græcum intellige,)

Conc. Florent. post decretum vnionis non statim finitum.

telligere,) *Præsules, qui proficisci cogitauerant. Hi porrò erant Heracliensis, Cizicenus &c. Ex Clericis etiam profecti sunt cum illis, ad quinquaginta, nos expectaturi. Nos autem Feriâ III. vno & vigesimo die Iulij, congregati in Vestiarium Imperatoris, tomos subscripsimus. Ita finem habuit totum negotium sanctæ Vnionis*, non vtiq; ante finem Concilij. Græci primùm subscripsere 21. Iulij.

His omnibus sub peculiari titulo, siue rubricâ (*de Armenis* græcè & latinè subtexuntur ista: *Post aliquot dies venerunt ex Armeniâ Apocrysiarij Patriarchæ Armeniorum, virtute præstantes viri, qui etiam Beatissimam Papam venerati, viserunt Imperatorem: consiliúmq; suum & animum de conficiendâ cum Ecclesiâ Catholicâ Vnione exposuerunt, petentes, vt ferret auxilium, & prudentiâ suâ iuuaret. Imperator autem respondit, multùm sibi placere eorum studiũ, & gratum fore, si accesserint ad orthodoxam fidem & Catholicam Ecclesiam &c. His dictis recesserunt Armenij. Nos verò Florentiâ exeuntes Venetias petiuimus, & inde rursus domum redijmus.* Quando autem Armenij aduenerint, non constat; ex decreto Eugenij apparet aduenisse Concilio etiamnum durante; ait enim *se deputâsse de omni statu huius Sacri Concilij, viros iuris diuini & humani peritißimos, qui cum ipsis tractarent.* Sub finem aduenisse argumento est, quod decretum de Vnione & instructione ipsorum tam serò emanauit. Quæ de Armenis subtexantur. Armenos aduenisse ante finem Concilij.

Cum verò à Datâ decreti Generalis super Vnione Græcorũ & Latinorum, quatuordecim ferè dies abierint, vsq; ad abitum Græcorum posteriorem, qui contigit 21. Iulij, ambigi non debet, illorum causam omnibus vel aliquibus Patribus Græcis etiamnum præsentibus, in Concilio propositam: & à Græcis abiturientibus, vnum alterúmue pro hoc negotio relictum, aut Latinis commissum, vt cœpta communi nomine prosequerentur, & absoluerent. Quod denique eodem anno decimo Calendas Decembris, (non, vt Dorscheus falsò ponit, ipsis Calendis) contigit, in dictâ Synodali sessione, nomine videl. & autoritate totius Concilij: cui ideò Decretum illud meritò adscribitur Eorum causa, præsentibus omnibus PP. proposita.

tur

Terminata autoritate totius Concilij, ex eiusdem Commissione.

bitur juxta ipsius Eugenij verba asserentis: *sub quodam breui compendio, Orthodoxæ fidei veritatem per hoc decretum, Sacro hoc approbante Florentino Concilio, ipsis Oratoribus ad hoc consentientibus traditum.* Antoninus 3. par. summ. historialis, tit. 22. cap. 11. ait: *Factum id à Sede Apostolicâ, cum Concilio Prælatorum.* Vt adeò nihil causæ supersit, cur præstantissimum decretum, quod ob doctrinam maximè de septem Sacramentis, à Latinis Græcisque receptam, Euangelicorum oculos vrit, Dorscheus in suspicionem falsi vocet.

126. Nos initio hunc Canonem auersatos.

RESP. II. Initio ea, quæ contra Canonem Scripturarum, huic decreto insertum Dorscheus affert: visa nobis efficacia, & à Caranzâ deceptos esse, qui non inspecto Concilij textu illum secuti sint. Nam 1. non reperimus hunc Catalogum in exemplaribus, vti putabamus, accuratissimis dicti Concilij. Quale Græcolatinum ex editione Vaticanâ, tomo 4. Conciliorum nouissimè inseruit Seuerinus Binius: asserens in Præfat. tomi primi, *se generalia Concilia* (inter quæ Florentinum) *quæ autoritate Sedis Apostolicæ ex Vaticanâ Typographiâ, Anno 1608. Græcè & Latinè in lucem prodierunt, suis locis inseruisse, nec verbulo quidem addito, aut dempto.*

Non extat in exemplaribus Vaticanis.

Coætanei Canonem aliû secuti.

2. Fatemur efficax visum argumentum Dorschei, quod petit à *Scriptoribus Concilio Florentino coætaneis*, Antonino maximè, qui l. c. Sum. hist. testatur nominatim, *Disputationi de processione Spiritus S. inter Græcos & Latinos se interfuisse, cum corruptum S. Basilij exemplar Græci proferrent.*

Carranza omittit librum Iob.

3. Caranza in suo Canone omittit *Librum Iob*, quod non factum errore Typographi, suadebant editiones, quas vidimus plures, eâdem lacunâ fatiscentes. Non est ergo Canon Carranzæ Canon Ecclesiæ Catholicæ, quem Concilium Tridentinum repræsentat.

4. Impertinens quoque, (vti Dorscheo) videbatur Manichæorum Anathematizatio; & ille articulus, quem octauo loco subtexit Carranza de formâ consecrationis, cum hoc assumento:

mento: *Panis verò triticeus in quo Sacramentum hoc conficitur, an eo die, an antea decoctus sit, nihil omnino refert, dummodò panis substantia maneat.* Iudicabamus hanc de Eucharistiæ Sacramento laciniam, ab eodem Sacramento auulsam, nunc demum post catalogum Scripturarum, intempestiuè assutam: cum plenissima eiusdem Sacramenti explicatio, tertio de Sacramẽtis Articulo, paulò ante præcesserit. Atq; has ob causas de Canone Florentino, veluti suppositio, putabamus conclamatũ.

Re verò cum doctis viris communicatâ, quos rogauimus, vt vlterius inquirerent: responderunt, *Bullam Eugenij in Concilio Florentino editam super Vnione Iacobitarum,* (Carranza vocat decreta super Vnione Iacobinorum & Armenorum) *in quâ integer extat Canon Bibliorum, prout à Concilio Tridentino sub anathemate sancitus est: reperiri in nouißimâ* (nobis ignotâ) *editione Bullarij Romani, quod post Laertium Cherubinum, emisit in publicum, eiusdem nominis & sanguinis Angelus Maria Cherubinus. Est autem id opus impressum Romæ, in Typographiâ Reuerendæ Cameræ Apostolicæ Anno 1638.* Legimus postea ipsi Bullam, & deprehendimus Spiritu Apostolico plenam, iisq; fultam suffragijs, vt nemo æquus rerum æstimator fidem illi negare possit: & argumenta, quæ in contrarium vrgere videbantur, dissoluere minimè sit operosũ. Docti super hoc consulti. Canon iste defenditur ex Bullario nouissimo.

Resp. Enim ad I. Nihil obstare, quod in Conciliorũ tomis, etsi accuratè antehac impressis, decretum istud non reperiatur. Indies enim plura documenta & antiquitatis monumenta, tum Romæ in Bibliothecâ Vaticanâ, tum alibi inueniri, aut antehac non obseruata, in manus & oculos incurrere, nihil inusitatum est. Neque ideo talia à viris prudentibus & doctis in dubium vocantur, sed potiùs gratâ mente accipi solent. Certè ipsi Carranzæ, præter decretum super Vnione Armenorum, quod hactenus solùm legebatur in Conciliorum tomis, aliisq; libris Concilio Florentino adiunctum, visum fuisse istud alterum Decretum de Vnione Iacobitarum, inde manifestum est: quod inter hæc decreta præter Canonem Scripturarum, alia Identidem aliqua reperiuntur aut obseruãtur.

plura refert, in Decreto priori non extantia: vt *Articulum de Manichæis*, item quam vocauimus laciniam, siue assumentum *de formâ Consecrationis & pane triticeo*, nec non *de quartis nuptijs non prohibitis.* Sed Carranza vid. ex vtroq; decreto, compilauit decreta Concilij Florentini, de Vnione Iacobitarum & Armenorum. Vnde error obrepsit multis, hæc omnia vnico decreto comprehendi; ídque suspicionem aliquam insititij Canonis mouere potuit: cum sint Decreta planè diuersa, ambo quidem in Concilio Florentino, eiúsque autoritate (eo, quo supra in Respons. 1. pro huius Concilij allegatione n. 125. explicauimus modo,) edita, sed ad diuersas gentes, & diuerso tempore.

Carranza duo decreta coniunxit.

Nam etsi Carranza Iacobitas & Armenos coniungit, & *Iacobitarum autor Iacobus Syrus, Eutychetis, Dioscorj, Petri Cnaphej, & Seuerianorum receptis erroribus, autor quoque extitit sectæ Armeniorum, quæ fuit veluti hæresum omnium sentina*, vti scribit Nicephorus l. 18. hist. Eccles. cap. 52. & 53. diuersas tamen in proposito indicari sectas, aut certè gentes: quarum illa autoris nomē sibi magis vendicârit, altera Armeniorum nomen potiùs, veluti generale retinuerit: manifestum est inprimis, ex illis, quæ Eugenius IV. sub initium Bullæ posterioris dicit: *Nondum exacto triennio, in hâc Sanctâ Oecumenicâ Synodo saluberrimam trium magnarum Nationum Vnionem, Dominum nostrum IEsum Christum effecisse &c. Primò etenim Græcj, & ij qui subsunt Quatuor Patriarchalibus sedibus, multas gentes nationésq; & idiomata continentibus: Deinde Armeni multorum populorum gens: Hodie verò NB. Iacobini, magni etiam per Ægyptum populi, S. Sedi Apostolicæ vniti sunt.*

Iacobitę & Armeni hìc diuersi.

In Conc. Flor. triplex Vnio perfecta.

Deinde in illis, quæ post Decretum super Vnione Græcorum subiuncta, supra allegauimus, dicuntur *post aliquot dies venisse ex Armeniâ Aprocrisiarij Patriarchæ Armeniorum.* Pro Iacobinorum autem Vnione, *à Ioanne Iacobinorum Patriarchâ, missum fuisse Andream natione Ægyptium, Abbatem Monasterij S. Antonij apud Ægyptum; in quo & habitâsse, & mortuus esse Sanctus ipse Antonius perhibetur,* testis est idem Eugenius

Diuersitas vtriusque Decreti.

sub

ſub initium eiuſdem poſterioris Decreti, cuius initium eſt: *Cantate Domino, quoniam magnificè fecit &c.* Decretum autem prius ſuper Vnione Armenorum ita incipit: *Exultate Deo adiutori nostro. &c* & *Datum est Florentia, in publicâ ſeſſione Synodali ſolenniter in Eccleſiâ Maiori celebratâ. A. C. 1439. 16. Cal. Decemb. Pontificatus* Eugenij *anno quarto.* Poſterius verò decretum de Iacobinis legitur *Datum Florentiæ in publicâ Seſſione Synodali, ſolenniter in Eccleſiâ domus S. Mariæ Nouellæ, apud quam tunc Eugenius reſidebat, celebratâ, Anno Incarnationis Dominicæ 1441. Pridie Nonas Februarij, Pontificatus* Eugenij *Anno vndecimo.*

Vnde apparet dictum Concilium Generale, traditâ Latinis à Græcis quoque poteſtate, & fortaſſis aliquot ex ſuis Legatorum loco relictis, duràſſe vſque in tertium annum: quo necdũ exacto, hàc Bullam emanâſſe apertũ eſt ex verbis Eugenij paulò antè allegatis. Quam ipſam Petrus Arcudius lib. VII. de Concordiâ vtriuſque Eccleſiæ, cap. 29. tanquam in Concilio Florentino promulgatam, indubitatè citat. Eſtque eruditum illud opus acerrimè examinatum Romæ, mandato Pauli V. & denique approbatum, vti conſtat ex ampliſſimis teſtimoniis eidem operi præfixis. Quin Pontificem Eugenium Florentiæ vſque ad A. C. 1442. moratum, apparet ex Bullâ quâdam ibidem datâ ſeptimo Idus Iunij, quæ in eodem recentiſſimo Bullario extat. Certè *Eugenium, Florentinis quouis modo fruſtra eum retinere annixis, demum A. D. 1443. die 28. Sept. Romam veniſſe,* teſtis eſt Platina. Ex quo apparet Italiam tum fuiſſe bellis implicitam, vt minùs mirum accidat, Acta Concilij Florentini non haberi prorſus integrè collecta: & ſubinde hoc ipſum ſuper Vnione Iacobinorum decretum, ſeriùs fuiſſe deprehenſum aut obſeruatum.

Conc. Flor. durauit vltra tertium Annum.

Quo ſuppoſito, ad II. de Scriptoribus Concilio huic coætaneis, Reſp. Canonem Scripturarum, neque in Conc. Florent. fuiſſe ſub anathemate ſancitum, ſed ex communi ſolùm Eccleſiæ ſenſu, abſque præcepto recenſitum: vti ſupra dicebamus,

Non prohibuit Canonem Iudæorum.

cum Dorscheus, Gregorium M. nobis obiectaret. Licitum ergo erat coætaneis illis Conc. Florentini Scriptoribus, sequi Canonem Hebræorum, qui passim tribuitur etiam S. Hieronymo: cum reipsâ in illo proponendo, vti sæpiùs solet, non suam sed alienam Iudæorum sententiam secutus inde concludatur: quod autoritatem Conc. Nicæni, in recipiendo libro Iudith, Canonem Iudæorum reprobantis, vllâ in re ipsum repudiâsse, nec suspicari quidem fas sit. De S. Antonino peculiariter respondimus supra Resp. 1. ad §. Dorsch. 184.

Liber Iob oscitanter omissus.

Neq; III. vrget liber Iob, à Carranza omissus; rectè enim illud adscribitur oscitantiæ Scriptoris, aut Typographi, cum præsertim ille liber exprimatur in Nouissimâ Bullarii editione.

Anathematizatio Manichæorum non impertinens.

Neq; IV. Impertinens est Anathematizatio Manichæorum; rectè enim cohæret, cum art. 6. Bullæ Iacobinorum, in quâ *prædicatur vnus Deus vniuersorum Creator, & reiectâ naturâ mali, Autor vtriusque Testamenti: post cuius libros enumeratos.* §. 7. *propterea Manichæorum anathematizatur insania, qui duo principia posuerunt, vnum visibilium, aliud inuisibilium, & alium Noui Testamenti, alium Veteris esse Deum dixerunt.* Tum aliæ contra SS. Trinitatem, & Christi ac Spiritus S. diuinitatem, hæreses singulæ singulis paragraphis damnantur.

Neque assumenta vlla otiosa.

Nec denique otiosum assumentum censeri debet, quod forma Consecrationis exprimitur in Decreto Iacobinorum, factũ est enim id ad pleniorem instructionem. *Verùm* ait Pontifex §. 24. *quia in suprascripto Decreto Armenorum* (Ecce! quàm clarè rursus apparet horum Decretorum diuersitas,) *non est explicata forma verborum, quibus in Consecratione Corporis & Sanguinis, Sacrosancta Romana Ecclesia, Apostolorum doctrinâ & autoritate firmata, semper vti consueuerat, illam præsentibus duximus inserendam &c.* Declaratio verò *de pane triticeo*, quod *non necesse sit pro Consecratione esse recentem &c*, haud dubiè addita est, quia aliquem super hoc scrupulum Iacobini per suum Oratorem mouerunt. Non igitur auulsa est aliqua lacinia, ab Articulo septimo Bullæ Armeno-

Armenorum, sed doctrina illius Articuli, non in eâdem, sed longè diuersâ Iacobinorum Bullâ, pleniùs est declarata, & vberiùs tradita.

Vt adeò nihil causæ superſit, cur propter Dorscheanos scrupulos, duo hæc decreta, & Canonem Scripturarum posteriori insertum, in dubium vocemus, aut illis præiudicatū credamus.

De Concilio Tridentino.

Resp. III. Canonem Scripturarum à Concilio Tridentino demum, infallibili, & apud omnes Catholicos receptâ autoritate, definitum esse Sess. 4. decr. de Script. Constat hæc autoritas ex generali Ecclesiæ Catholicæ de Concilijs Oecumenicis, siue Generalibus doctrinâ, quam explicat & defendit Bellarm. lib. 2. de Concil. Neque obstat post tot secula tam serò hanc causam decisam. Nam 1. Symbolum Nicænum à Concil. Nicæno post tria, Constantinopolitanum, à Constantinopolitano, post quatuor ferè à Christo nato secula, vnà cum additione de Processione Spiritus S. à Filio, edita, & ab vniuersâ Ecclesiâ recepta sunt. Non fuit autem minoris autoritatis, Cōcilium Tridentinum ad constituendum Canonem, quàm illa Concilia fuerint ad edenda Symbola. Neque enim seculorum multitudo Ecclesiæ autoritatem minuit, cum illius Fundator Christus promiserit, se nobiscum futurum *vsque ad consummationem seculi.* Matth. vlt. v. vlt.

Canon à Conc. Trid. definitus autoritate infallibili.

Quæ tanta fuit ad condendum Canonem, quanta in Nicæno & Constantinopol. ad condenda Symbola.

2. Plurimi ex SS. PP. & DD. omni æuo libros, quos Acatholici prò apocryphis habent, inter Canonicos computârunt, videlicet *XLIV. Episcopi* (quem numerum Dorscheus non inficiatur) *in Concilio Carthaginensi; Innocentius;* Item *Episcopi LXX. in Concilio Romano sub Gelasio; Augustinus, Isidorus, Procopius, Rabanus*, qui integrum Canonem Tridentinum recensent, non tanquam nuper inuentum, sed veluti à maioribus acceptum. Alij innumeri, (vt iam dictum) ante Concilium Tridentinum, etsi Canonem non texunt, sine discrimine tamen eosdem libros

Plurimi & præcipui ex PP. hos libros habuere pro Canonicis omni æuo.

bros passim, veluti alias diuinas Scripturas vsurpârunt, & allegârunt. Qui Canonem Hebræorum sequebantur, autoritate maximè S. Hieronymi commoti fuêre, in eo nihilominus conspirantes, esse hos libros *ad ædificationem vtiles:* neque propter doctrinam erroneam (quæ ad ædificationem minimè conducit) vt faciunt prætensi Euangelici, illos reijciebant. Neque ideo instar illorum, in periculo versabantur alicuius diuinæ doctrinæ, quæ in alijs Scripturis non contineretur, contemnendæ: vtpote amplectentes omnia, quæ Ecclesia credenda proponit, siue scripta ea sint, siue non sint.

3. Cum superiori seculo Lutherus & Caluinus partim nouis, partim veterum hæreticorum erroribus Ecclesiam Romanam & Catholicam, turmatim oppugnarent: hos etiam libros, quos sectis suis clarè aduersari cernebant, non Hebraici Canonis, sed erroneæ doctrinæ, quam illis impingebant, obtentu, pertinaci perpetuóque decreto (cui non potest præscribi *bonũ factum*, vt Tertullianus alicubi loquitur) in apocryphorũ ordinem redegerunt. Ideóq; Sancta Oecumenica Synodus Tridentina, vt verbi diuini fundamenta, quæ præter traditionis Apostolicæ autoritatem, in hisce libris habet reposita, sarta tecta seruaret: consideratâ eorundem cum alijs Scripturis, & Apostolicâ doctrinâ ac traditione, consensu, nec non sententiâ vnanimi SS. PP. & DD qui vniuersi illos *ædificationi vtiles*, adeóq; erroris immunes, plurimi etiam Canonicos ex suo maiorúmque sensu iudicârunt: animaduersâ deniq; Spiritus mendacij, per *Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum, &c* latus, veritatem oppugnantis, astutiâ: spiritu veritatis dirigente, hos libros pari cum alijs Scripturis iure Canonicos esse definiuit, & pro talibus habendos sub Anathemate sapientissimè sanctissiméque præcepit.

Quibus ex causis Conc. Trid. hos ll. Canonicos Spiritu S. dirigente definierit.

Lutherani à Kirchero iure accusati.

Iure igitur Lutheranos incusat Kircherus, quod magistri temeritatem secuti, non solùm spretâ Concilij Tridentini, Innocentij, Gelasij, Augustini, aliorúmque deinceps autoritate, in

Canone

Canone Scripturarum mutilando persistant: verùm etiam contra vnanimem veteris Ecclesiæ sensum ac traditionem, quæ hos libros ad ædificationem vtiles semper censuit, illorumque diuinam autoritatem, multis magnisque testimonijs fundatam, hucusque propagauit: ipsi de varijs erroribus notatos in destructionem & ruinam factos, reipsâ (si non verbis) asseuerant.

---

§. III.

Apud Protestantes nullam esse de Scripturarum Canone Certitudinem, ideoque ex hoc etiam capite, Religionis summam nutare.

KIRCHERVS.

Qui de Canonicâ cuiusdam libri autoritate certior esse velit, *ait Kircherus pag.* 25. necesse est eum vel ex ipsâ Scripturâ, vel ex internis quibusdam documentis siue criterijs, vel ex testimonio Ecclesiæ certum reddi. At nullum ex istis omnibus, certum esse potest homini Lutherano: 128. Kircheri argumentum trimembre.

Certè non ipsa Scriptura; in illâ enim ipsi duntaxat libri occurrunt: Iudicium de libris, Canonici sint, an Apocryphi, reperitur nullum. Scriptura ipsa non ostendit Canonem.

DORSCHEVS.

Replicat Dorscheus § 187. & contendit, *Sacras Scripturas ipsas indicare suum Canonem, tum linguarum originalium conformitate, tum harmoniâ rerum & temporum, tum allegatione & testificatione mutuâ. tum quoad V. T. terminorum positione, tum fidelissimorum Bibliothecariorum commendatione.*

RESPONDETVR.

RESP. Verba hæc esse mera, eáq; inanissima; ad quæ iam respondimus n. 58. 59. 60 & seqq. Illud quærimus, quis posuerit terminos libris V. T. vt vlteriùs nihil in Canonem reciperetur? vbinam hi termini? De Iudæorum duplici Canone & perfidiâ vide num. 109. & 122. Ad §. 187. Dorsch. Verba illius inania.

KIRCHERVS.

Pergit Kircherus. Neque hoc possunt præstare criteria; hæc enim, vt suprà animaduersum, humanum solùm pariunt discursum. Neque criteria Canonem manifestant.

DORSCHEVS.

Replicat Dorſcheus, negando *criteria nihil poſſe ad manifeſtationem librorum Canonicorum*, aitque *ſe cap 2. docuiſſe, quod per iſta SS. Literæ ſint vindices ſui.* Sed nos ibidem Dorſcheum nihil docuiſſe docuimus ll. cc. & præterea §. 9. per totum, num. 79. 80 81.

KIRCHERVS.

Probat id Kircherus, quia Luth. pro arbitrio libros alios reiecit. alios probauit.

Quod Dorſcheus negat, Kircherus euidentiſſimè ex ipſo rei euentu commonſtrat 1. Epiſt. ad Hebræos Canonicam eſſe negauit Lutherus. quod, vt ipſe loquitur, vno alteróue duriore laboret nodo. Nunquid in Epiſt. ad Rom. etiam occurrunt aliqua duriter dicta, quæ vt loquitur Petrus 2. Epiſt. *indocti deprauant?* Non minùs in ſpeciem cap. 9. ad Rom. fauet Caluinianis, quàm duo loca 6. & 10. cap. ad Hebræos, hæreſi faueant Nouatianæ.

2. Librum Baruch. epiſt. Iacobi &c. Canonis honore dedignatur Lutherus, quia nullum in ijs deprætendat ſpiritum diuinum? Quid ergo tantùm ipſi placuit in libro Ruth, quo humiliorem materiam cõtinet nullus, quos in Apocryphorum loco idem haberi voluit? Quæ criteria deprehendit in Cantico Canticorum? Cur librum Sapientiæ eliminat, in quo maior ſpiritus, quàm in Canonicis quibuſdam alijs?

Vertigo Lutheranorũ, quos Lutherus libros reiecit, hodie recipientium.

3. Libet videre Spiritum vertiginis Lutheranorum. Epiſt. ad Hebræos, & Apocalypſin excludit à Canone Lutherus; idem cum eo faciunt Brentius & Kemnitius (*imo & Magdeburgenſes quoad Epiſtolam ad Hebræos, licet Apocalypſin recipiant*) Moderni Lutherani libros eoſdem Canonicos eſſe agnoſcunt. Si dicti Libri nunc habent illa criteria, habuerunt & olim. Si habuerunt, cur Lutherus, Brentius. Kemnitius non iudicârunt ex illis? *ſi non potuerunt, vani arguuntur; ſi noluerunt, malitioſi.* Et vt in ſpecie hoc dicam, de interno ſenſu teſtimonióque Spiritus S. cui hoc iudicium inprimis deferunt Lutherani: aut deſtituti illo fuerunt Lutherus, Brentius, Kemnitius &c. aut moderni Lutherani. Eligant, quod velint, tertium non datur. Fallax verò ſenſus, fallax Spiritus, qui aliud vni, aliúdque dictet alteri.

DORSCHEVS.

129. Replicat Dorſch. etiã antiquos PP. hâc in re variâſſe.

Replicat Dorſcheus 1. § 188. *Non obſtare, quod nonnulli in criterijs illis eruendis variârint. Variâſſe quatuor primorum ſæculorum DD. in eruendâ traditione de libris Canonicis; imò labentibus illis, quæ ſumunt Ieſuitæ ad cauſæ ſuæ patrocinium, vſq; ad Trid. Conc. inexploratam fuiſſe iſtam traditionem. Habere libros Canonicos criteria non omnes omnia, non omnes eodem gradu, ſed tanta vnumquemque, quanta ſufficiant ad ſui vindicias. Eſſe etiam in Apocryphis aliqua diuino Spiritu orta, & plurima ex libris Canonicis eruta, ſed humanâ manu, non infallibiliter gubernatâ.*

Repli-

Replicat 2. §. 189. *Lutheri, Brentij, Kemnitij iudicia de quibusdam libris N. T. esse eadem, qua magnorum in antiquitate virorum nonnullorum. Vidisse in illis notas S Spiritus. An sint ab immediatâ illuminatione, an verò ab humanâ industriâ? dubitâsse. Spiritus S. motus internos ex illis monumentis omnes sensisse; de modo exhibitionis suspensum habuisse animum. Deceptionem tam hic non metuendam, quàm neq; primorum seculorum Patres, infallibilis traditionum Custodia decepit, vel deseruit, quando Canonem eo modo non consignârunt, quo Papista.* Esse eadem iudicia Lutheri & magnorū olim virorum.

Replicat 3. §. 190. Negando *testimonium Ecclesiæ nihil iuuare Euangelicos. Quomodo aut ipsos iuuet, aut Iesuitas destituat, breuibus indicatū esse. Quem gradum infallibilitatis Ecclesiæ tribuant, se Cap. superiori* (labitur memoriâ, cap. 2. id egit) *docuisse. Falsum esse, ab hodiernâ Romanâ Ecclesiâ, omnia antiquitatis monumenta dependere.* Denique etiam *huic capiti finem imponit, in quo incertitudines & deuiationes Kircheri, se notâsse plurimas* iactat. Negat testimonio Ecclesiæ non iuuari Lutheranos.

Respondetur.

Resp. I. Dorscheum verbis & rebus destitutum, quibus nunc maximè opus esset, Kircheri argumenta, ex Lutheri & Lutheranorum vertigine petita, declinare potiùs, quàm vt iisdem respondeat. Vbi illud inprimis pro confesso accipimus, quod nihil eorum, quæ Kircherus de Lutheri Lutheranorúmque sententiâ circa hosce libros affert, inficietur: eóque ipso vera & comperta illum recensere agnoscat, & reipsâ fateatur. 130. Dorscheus ea iudicia, de Lutheranis recenset, non negat.

Resp. II. Quæ de quatuor seculorum primorum DD. & magnorum in antiquitate virorum, circa Canonem variantibus sententijs & iudicijs replicat, Luthero, Brentio, Kemnitio, Centuriatoribus ex vnâ: & modernis Lutheranis ex alterâ parte, neutiquam patrocinari. Nam 1. Nullus ex his omnibus, vt §. 2. ostensum est, Canonem Euangelicum Lutheranorum recipit; vel enim excessu is peccat, vel defectu plurium librorum, aut certè vnius. 2. Variârunt ante Ecclesiæ in Concilio Generali definitionem, cui parati erant se submittere, sicuti extra controuersiam se submiserunt Concilio Niçæno, & autoritate eiusdem receperunt librum Iudith: si à dicto Conc. inter Sacras Scripturas vti testatur S. Hieron. computari sciuerunt, Variantes Veterum sententiæ non patrocinantur. Nullus consentit plenè Lutheranis.

runt, vel meminerunt, & suam potius, quàm Hebræorum sententiam de illo explicârunt. Euangelici autem Conciliorum Generalium, & vel maximè Tridentini, autoritatem vniuersim negant esse infallibilem, neque meliùs de illis sentiunt, quàm Lutherus in libro de Concilijs ipsos sentire docuit. 3. Patres & DD. antiqui non crediderunt doctrinam erroneam in his libris contineri, neque variârunt de dogmatibus, quæ inde confirmari possunt, etsi impugnentur ab Euangelicis.

A regulâ Lutheri de Apocryphis recedunt moderni Lutherani.

RESP. III. Lutherum, eiúsque asseclas præfatos non dubitâsse, nec suspensum habuisse animum de libris Apocryphis N. T. sed certâ & definitiuâ sententiâ autoritatem Canonicam ipsis abrogâsse per Magistralem scilicet illam Regulam: *Nulli libri, de quorum Canonicâ siue diuinâ autoritate in primâ & veteri Ecclesiâ dubitatum fuit, in Sacrarum Scripturarum Canonem recipiendi sunt.* Quam Regulam latè multis fallacijs confirmare nititur Kemnitius parte 2. Examinis Tridentini *super decreto de Scripturis* mihi f. 115. & seqq. Ab hâc Regulâ recedentes moderni Lutherani, N. T. libros olim dubios, videlicet Epistolam *S. Iacobi, secundam Petri, secundam & tertiam Ioannis, Iudæ, Apocalypsin,* indubitatis Sacris Scripturis, absq; vllâ notâ Apocryphæ ambiguitatis, quam libris quibusdam V. T. apponunt, in Biblijs suis accensent, & ad ea *confirmanda, quæ in contentionem de Religione veniunt* (v. g. ad probandum Papam esse Antichristū ex Apocalypsi, confirmandam claritatem Scripturæ ex 2. Petri 1. &c) sine hæsitatione cordatissimè allegant. Neque modernæ igitur Ecclesiæ Euangelicæ, neq; primitiuæ Pastores & DD. habuerunt, vel habent suspensum circa hos libros animum, sed obfirmatum ad istos seu reijciendos, seu recipiendos. Quâ in re SS. PP. qui Canoni Hebræo inhærebant, suspensi nihilominus mansêre ab autoritate Ecclesiæ: parati recipere, quidquid illa vt Canonicum recepisset, prout in Concilio recepit librum Iudith, cùm occasio ferret vt eius libri autoritas declararetur.

Non dubitant, de Canone suo, sed absolutè illi inhærent.

Est sa-

Est sanè hoc palmarium argumentum, quòd illius Concilij trecenti & octodecim Patres, Canonem Hebræorum, non habuerint pro Regulâ discernendi Scripturas Canonicas à non Canonicis: alioqui librum Iudith, quem Hebræi pertinaciter reijciunt, in numero Sacrarum Scripturarum non computâssent. Fuit ergo primitiuæ Ecclesiæ (in cuius tertio seculo tot hi Patres, maiorem ætatis partem exegerunt) sensus de Canone Scripturarum longè alius, quàm Euangelici illi affingant. Quod confirmant illi apud Bellarm. pro singulis libris olim dubijs lib. 1. de V. D. allegati, Apostolorum coætanei, vel temporibus proximi, qui ijsdem perinde, ac si dubij non essent, vsi sunt: de diuinâ harum Scripturarum autoritate ab Apostolis, vel eorum successoribus vtique edocti. Horum testimonium & præterea omnium aliorum Patrum sensum, quòd hi libri nihil ædificationi aduersum, (alioqui nec ad ædificationem legendos putâssent) continerent: secuta S. & Oecumenica Synodus Tridentina, debitum in Canone locum, quem Spiritus S. illorum auctor (etsi non omnibus id innotuerit,) assignârat, temporum malignitate, nunc demum illud vel maximè postulante, ijsdem restituit. 131.

Patres Cōc. Nic. non habuerunt Canonem Iudæorum pro regulâ.

Testes Apostolorum coætanei, vel illis proximi.

Ex quibus denique prætensum Euangelicorum Canonem instar arundinis vento agitatæ, infeliciter vacillare sic demonstramus: Si Euangelici de suo Canone certi forent, ea certitudo, vel quoad V. T. in Canone Iudæorum; vel quoad vtrumq; Testamentum in SS. Patrum veterísque Ecclesiæ variante, & dubiâ sententiâ; vel in criterijs quibusdam; vel in aliquâ Ecclesiæ cuiuscunque definitione aut declaratione; vel denique in his omnibus simul fundaretur. Neq; enim præter hæc quidquam excogitari potest: Nihil horum ex parte Euangelicorum firmum est, aut stabile. Ergo &c

Canon Euangelicorū arundo ventis agitata.

Non 1. Quia Canonem Iudæorum, non esse legitimam Regulam Canonis Christianorum, euincunt Patres, qui in primitiuâ Ecclesiâ ac judicio Euangelicorum, puris seculis, (inter

Non habet robur à Canone Iudæorum.

quos eminent Episcopi 318. in Concilio Nicæno, 44. in Carthaginensi, (præter Innocentium & Augustinum) à Iudæorum Canone intrepidè recesserunt, vt ex dictis patet.

Neque ab incertâ PP. quorundam sententiâ.

Non 2. Quia Patres antiqui itâ sequebantur Canonem Iudæorum, vt parati essent, iudicio Ecclesiæ se submittere, si aliud statueret, prout factum est in receptione libri Iudith post definitionem Concilij Nicæni. Sic autem non sunt affecti Euangelici Conciliorum Lutheri exemplo contemptores, quod sæpius monuimus. Accedit antiquissimos Patres, Melitonem apud Euseb. l. 4. hist. c. 26. Athanasium in Synopsi Greg. in Carmine de Scripturis, integrum librum *Esther* posuisse extra Canonem, quin imò *Iunilium neque libros Paralipomenon, Iob, Esther, Esdræ*, inter Canonicos numerâsse, vt supra dictum. Non potest ergo diuini Canonis certitudo, super ambiguâ & incertâ aliquorum Patrum sententiâ fundari, cum præsertim neq; vnus sit, qui cum Euangelicis de Canone Scripturarum planè consentiat.

Incertitudinem Lutherus, & primores Lutheranorum augent.

Quam incertitudinem ipse Lutherus vnà cum primipilis suis plurimum auxit, dum in sententiâ veterum quorundam de *epistolà Iacobi, secundâ Petri, & tertiâ Ioannis, item Apocalypsi eiusdem perstitit, quin & epistolam ad Hebræos*, (quam veteres vt sacram recepêre, etsi de autore aliqui dubitarent) diuinam & Apostolicam esse negauit. Neque igitur cum antiquis Patribus, neque cum suo Luthero, suisque primipilis moderni Lutherani (qui ista omnia indubitatè recipiunt) consentiunt; tanto in suo Canone incertiores, quanto pluribus suffragijs post Lutherum suum dubitare coguntur.

Criteria vacillant.

Non 3. Neque enim criteria vllius certitudinis anchoram recipiunt. Ait Dorscheus *habere libros Canonicos criteria, non omnia omnes, non omnes in eodem gradu; sed vnumquemque tanta habere, quanta sufficiunt ad sui vindicias.* Sed nos criteria hæc frustra iactari ostendimus, n. 58. 59. 60. 61. 62. 63. Nunc verò sic instamus. Vel criteria eiusmodi sola sufficiunt ad discernendos libros Canonicos, vel præterea aliquid requirunt. Non

sufficere

sufficere ipse Dorscheus confitetur, cum ait *Lutherum, Brentium, Kemnitium in libris N. T. vidisse notas S. Spiritus*; (quas alias, quam criteriorũ nomine designatas?) *& Spiritus S. internos motus sensisse* vnâ cum criterijs animo illabentes: *sed de modo exhibitionis suspensum habuisse animum.* Ergo criteria sola ad propositum non sufficiunt, sed sunt frustratoria. Et falsum est, quod dicit Dorscheus, *vnumquemq; librum tanta criteria habere, quanta sufficiunt ad sui vindicias.* Stantibus enim Verbi diuini notis & sensibus internis, stat hæsitatio. Ergo præter motiua aliud quidpiam requiritur: certitudo videlicet *de modo exhibitionis per immediatam illuminationem, non per solam industriam humanam.* Vnde verò illa dignoscitur? Ex *traditione scilicet & fidelissimâ Iudæorum custodiâ!* Atqui demonstratum est testimonio præsertim 318. Patrum Concilij Nicæni, & 44. Concilij Carthaginensis, & 70. Concilij Romani sub Gelasio Canonem Hebræorum primis Ecclesiæ seculis non agnitum fuisse, pro Regulâ Canonis Christianorum. Nutat ergo hactenus Canon Euangelicorum.

Non sufficiunt ex Confessione Dorschei, qui præterea recipiunt modum exhibitionis.

Quin imò Criteriorum tibicines, quibus Canonem suum Dorscheus suffulsit, à Kirchero fractos & subrutos id argumento est, quod pluribus argumentis illius respondet nihil. Obijcit Kircherus *epistolam ad Romanos duriore laborare nodo, quàm ep. ad Hebræos à Luthero reiectam.* Tacet Dorscheus. Interrogat Kircherus: *Cum idem Lutherus reÿciat librum Baruch, Sapientiam, Ep: Iacobi &c, veluti Spiritu diuino carentes: quid tantopere ipsi placuerit in libro Ruth, cuius materiâ nulla est humilior, in libris, quos vocat, Apocryphis? Quæ criteria deprehenderit in Cantico Canticorum?* Tacet ad ista Dorscheus. Repræsentat Kircherus vertiginem Lutheranorum, quâ *acti moderni, à Patriarchâ suo, alijsque proceribus defecerunt, nullo reperto argumento, quo Veterum aliquorum & primitiuæ Ecclesiæ* (vt aiunt) *de his libris dubium tolleretur.* Nihil affert Dorscheus, sed & ipse vertigine percitus in circuitu ambulat. Fixum ergo esto, quod ait Kircherus, *sensu*

Kircheri argumentis Dorsch. non respondet.

criteriorum & Spiritus S. afflatu, vel Lutherum cum socijs caruisse, vel modernos Lutheranos carere. Nihil superest, quod ipsi eligant. Superest autem, quod nos concludamus: *errare videlicet vtrosq;.*

132. Nullum in Ecclesiâ vllâ asylum.

Non 4. Nulla enim Ecclesia Canoni illorum aperit asylũ. Non primitiua, vti manifestum est ex tanto testium numero, qui primitiua, & ipsis Euangelicis probata secula attigerunt, vel eorum sensum à maioribus acceperunt. Non Ecclesia Romana moderna, quam veluti Antichristi synagogam execrantur. Non Ecclesia Caluiniana, vel alterius sectæ, quia neq; has credunt esse autoritatis infallibilis. Non Lutherana, quia nihilo plus infallibilitatis suæ Ecclesiæ arrogant, quàm alienis Ecclesijs concedant. Neque, vt maximè Ecclesiæ Euangelicæ autoritas infallibilis constaret, vnquam Canonem Scripturarum vllo decreto ipsa sanxit, aut in libro Symbolico Concordiæ, vel alio eius mentionem fecit. Erubuerunt videlicet ab autoritate Lutheri recedere. Non minùs ergo vacillat Canon, quàm ipsæ Ecclesiæ Euangelicæ autoritas, quam dum hypotheticæ conformitati cum Scripturis alligant, ludibrio promissiones diuinas Ecclesiæ absolutè factas exponunt, vt paulò post cap. 7. patebit, quidquid Dorscheus contrà oggerat.

Neque diuisim neque collectim vllæ sunt suppetiæ.

Non 5. Sicut enim diuisim hæc Canoni Euangelicorum nec plenè, nec planè suffragantur, neque ambiguitatem illius certiori aliquâ autoritate tollunt, ità neque collectim energiæ quidquam ad eiusdem Canonis prætensi probationem conferunt: sed Dorscheum Kircheri, nostrísque argumentis conuictum, inter fluctus dubitationis, de pluribus Scripturæ libris, (*non sine periculo necessariam aliquam Verbi diuini partem,* vt §. 1. dictum est, *reÿciendi, aut apocryphum quid pro Canonicâ Scripturâ amplexandi*) destituunt, cum totius ædificij Euangelici, quod solis Biblijs superstruunt, concussione, quod demonstrandum erat.

Capitis Anacephalæosis.

Iactat Dorscheus ***se multas Kircheri incertitudines in hoc capite notâsse.***

notasse. Nos nullas in Kirchero notauimus, & quas ipsi Dorscheus impegit, refutauimus. E contrà, quæ Dorscheus pro Nouitio modernorum Euangelicorum Canone attulit, aut nutant, aut fallunt omnia. 133. Dorschei vana iactantia.

1. Distinguit inter Canonem intensiuum & extensiuum, neque dicere potest, in quibusnam libris perfectè Canon intensiuus contineatur, aut in quo consistat? num. 108. ideóq; in periculo sunt Euangelici, ne si totum Canonem perspectum non habeant, aliquem librum reijciant pro Apocrypho, in quo pars Verbi diuini saluti necessaria contineatur. ibid.

2. Producit ex antiquitate incerta testimonia, & fallaces, ac falsas & inefficaces pro suo Canone cumulat allegationes. *Iosephi Iudæi* n. 109. Falsæ, fallaces, & frustratoriæ allegationes.

Melitonis, Origenis, Athanasij, Hilarij, Cyrilli, Nazianzeni, Amphilochij, Hieronymi, Concilij Laodiceni. n. 110.

Immeritò oppugnat ep. Innoc. I. ad Exuperium, eiúsque autoritatem. num. 111. 112.

Falsò asserit Innocentiano seculo Apocryphos libros dictos, *quorum vtpote ab hæreticis confictorum notoria est falsitas, &c* quod ex S. Hieronymi Prologo Galeato euidenter refellitur. n. 113. vbi itidem falsò in partes trahit *Hugonem de S. Caro, & Caietanũ.*

Probat dolo non bono, *Canonem de Scripturis non esse Concilij Carthag. III. prout Collector Conciliorum ante hac per errorem numerauit:* cum vltro id nos fateri non ignoret, imò certus sit ex Posseuino, quem allegat. Nos Canone nitimur, Concilij Carthaginensis, non numero. num. 114. Fingit diuisionem in Canonem Fidei & Lectionis ibid.

Imponit Augustino, quod nomen libri Canonici latiùs vsurpârit, *pro ijs etiam libris, qui etsi non ad doctrinam Fidei, ad morum tamen ædificationem spectant,* quod falsum esse ostenditur. n. 116.

Temerariè suspicionem mouet ex Antonino, *de corruptelâ commissâ in Synodo Romanâ sub Gelasio I.* cuius decretum, in quo noster Canon extat, refertur to. 2. Conciliorum. n. 117. 118.

Falsò noſtro Canoni objicit *hiatum mille annorum, num.* 121. Falsò pro ſuo allegat *Iunilium, Leontinum Byzantinum, Gregor. Magnum, Strabum, Hugonem de S. Victore.* num. 122. Ne vnum quidem ſolidè habet patronum; & præterea hiatum duorum ſeculorum vſque ad noſtra tempora relinquit. num. 122.123.

4. Abſq; iuſtâ causâ Decretum Eugenij IV. *Super Vnione & Inſtructione Armenorum,* imò & Iacobinorum, quod Decreto de *Vnione Latinorum & Græcorum* ſub finem Conc. Florentini ſubiungitur, vocat in ſuſpicionem, num. 124. 125.

5. Denique, nihil ad plures Kircheri rationes reſpondendo, cauſam ſuam ipſe prodit num. 131.

Reſtat igitur, vt poſtquam primitiuæ, ac Veteris Eccleſiæ, & omnium quos allegant, Patrũ ac Doctorum prætenſa teſtimonia, ipsáq; Scripturæ criteria Euangelicis eripuimus: rurſus Dorſcheum ad Eccleſiæ Romanæ autoritatem compellamus, poſtremo hocce Kircheri argumento: *Se mutuo,* ait, *conſequuntur iſta.* 1. *Eccleſia Catholica Romana, ex ſententiâ Euangelicorum, fallibilis eſt; infallibile ergo illius teſtimonium eſſe nullo modo poteſt, quia qualis teſtis, tale teſtimonium.*

Poſtrema Kircheri argumentatio.

2. *Non aliunde, quàm à teſtimonio & traditione Eccleſiæ Catholicæ Romanæ dependere poteſt Canonis certitudo, quod per remotionẽ aliorum, à Kirchero & nobis iam demonſtratum eſt. Ne Dorſcheus dicat nos ſupponere, quod eſt in quæſtione &c.*

3. *Qualis certitudo Canonis, talis etiam articulorũ, qui juxta Lutheranos ab illo adæquatè dependet* (periculum enim eſt, ne ſi vel vnus liber Scripturę ignoretur, aut per errorem pro apocrypho habeatur, aliquid ſaluti & fidei neceſſarium in ipſo extet, vti oſtendimus §. 1.) *At certitudo Canonis non eſt infallibilis, quia teſtificatio Romanæ Eccleſiæ iudicio Euangelicorum eſt fallibilis. Nulla ergo fides infallibilis apud Euangelicos, de vllo relinquitur fidei articulo.*

Quæ tantiſper ſtabit conſequentia, quantiſper Catholicam Romanam Eccleſiam, infallibilem eſſe Acatholici non agnoſcent. En ergo iterum ſpecimen incertitudinis Fidei Lutheranæ, ſiue potius arundinis vento agitatæ!

CAPVT

CAPVT V.

Vt de Scripturæ Veritate, Versione, Canone Acatholici maximè certi essent: de vero sensu, in quo Verbi diuini summa consistit, certos esse non posse.

KIRCHERVS.

134. DOrscheus, vt argumenti momentum extenuet, aut dissimulet, Exordium Kircheri penitus omittit. Si maximè ait ille n. 13. in portu, quod aiunt, Lutherani nauigarent, quantùm ad illa omnia, quæ hucusque à nobis sunt allata: in incerto tamen futura omnia, nisi de vero sensu Scripturæ constaret liquidissimè: qui quod nucleus est in cortice, anima in animantis corpore, verissimè id est, ratione Scripturæ. Illum eâ omnino certitudine certum oportet esse, cui non queat subesse falsum, & quæ omnem contrarij formidinem penitùs excludat. Nec enim Scripturæ cortex (vt sic hoc dicam) articulum mihi parient fidei, nisi pro articulo velim venerari, quæ & cum Scripturâ ipsâ, & cum ratione rectâ pugnant manifestissimè.

Verus sensus Scripturæ nucleus & anima.

Hoc supposito, quæro iam, vnde, aut quibus medijs, certus ille, primóque intentus à Spiritu S. sensus, à me possit comparari? Vbi tria duntaxat occurrunt, quæ ducere ad illam rem & circa eandem aliquid possunt. 1. Autoritas siue Maiorum, seu quorumuis aliorum, quibus non parum ego tribuam. 2. Argumentatio, siue discursus proprius. 3. Autoritas deniq; Ecclesiæ Catholicæ. *Hæc tria, cum singillatim explicet Kircherus, eúmq; in singulis oppugnet Dorscheus, aliquot §§ persequemur.*

Tria veri sensus eruendi media.

§. I.

Ex solo textu ad veram intelligentiam Scripturarum non perueniri.

DORSCHEVS.

135. Dorscheus § 192. reipsâ ostendere conatur, argumentum Kircheri esse mancum, quod in commemoratione eorum, ex quibus verus Scripturæ intellectus indagandus sit, omiserit ipsum textum: in quem summam rei non minùs, quàm in discernendâ eiusdem Scripturæ Veritate, Versione, Canone confert, contendens Scripturam hâc in re, primarias partes sustinere. *Replicat, styli συγκαταβάσει, vt cuiuis non pertinaci pateat. 2, Styli δυνάμει, siue efficaciâ, de quâ supra §. 100. 3. Styli περισσείᾳ,*

Dorscheus argumentũ Kircheri arguit veluti manum.

siue copiâ & abundantiâ. 4. *Eiusdem σαφηνεία, siue dilucidâ, & nobis attemperatâ claritate* ad rectam Verbi diuini intelligentiam nos perduci: *etsi hæc non sint vbique æqualia, attamen tanta passim, quanta ad salutem necessaria.*

Id nisi concedatur, varijs negantes vrgeri absurdis.

Pergit id probare §. 193 *Si enim in Sacris Literis legendis nullum certum atque infallibilem sensum, ipsarum adminiculo, & S. Spiritus in illis gratiosum dominium suum exercentis potentiâ, obtinere possumus, sequitur* 1. *Illas esse ignobiliores humanis literis, quæ sensus suos de se fundunt sine fallaciâ, & ambiguitate, nisi Scribentis malignitas, aut inuidia, aut affectatio tenebras offundant.* 2. *Nihil esse solidum aut firmum in Ecclesiâ, si enim seposito Pontifice, Sacræ Literæ non possint sensus suos aperire, exigua earum erit amplius autoritas.* 3. *Illas non esse regulam Fidei & morum etiam partialem, vti eam aliàs vocant Pontificij, non possunt enim vllum certum sensum mentibus nostris regulandis præbere, secluso Pontifice.* 4. *Illas frustra legi atq; reuolui, potest enim compendio omnis Sapientiæ cælestis, audiri ex dictaturâ infallibili Ecclesiæ.* 5. *Esse Pontifici perpetuas quasdam reuelationes de sensibus reuelationum necessarias.*

Sensum non scriptum necesse est à Pontifice proponi, autoritate infallibili.

Quod postremum ità probat: *Verbum non scriptum habet sensum diuinum, sicut scriptum: quem si proponat priuatus Doctor aut Pastor, non erit infallibilis, quia propositio priuata iuxta Pontificios est fallibilis. Necesse est ergo, vt infallibilem gignat assensum, à Pontifice illum proponi; & præter Verbum Dei partim scriptum, partim non scriptum, esse aliquid in Papâ, vnde sensus illos infallibiliter eruat. Si dicas esse id assistentiam Spiritus S. quæro vtrùm determinet intellectum illius potiùs ad hunc sensum, quàm illum amplectendum? Si affirmas, tum Papa more Prophetarum & Apostolorum magis passiuè quàm actiuè sese habebit, quod est contra Pontificios, qui in hoc distinguunt autoritatem Ecclesiasticam ab autoritate θεοπνευστῶν, quod isti non tam agunt eâ in re, quàm aguntur, vt loquitur Valent. in Analys. l. 8. c. 5. §. Tertium denique.*

Labyrinthũ objicit, & processum in infinitum.

Habebit ergo Papa reuelationes diuinas. At sic eadem recidet difficultas, quia immediatè ex inspiratione habet. Et augetur, si quæramus vnde istarum reuelationum de sensibus reuelationum sensum, infallibiliter consequatur Pontifex? Aut enim dabitur in infinitum processus, aut subsistendum in aliquâ reuelatione, quæ sine necessitate assistentiæ infallibilis separata, sensus suos communicet. Quænam verò illa? Et, si vlla, cur non Sacra Sriptura?

RESPONDETVR.

De Scripturæ obſcuritate.

Rurſus ſpecioſis & inanibus verbis, futilíque ſubtilitate negotium faceſſit Dorſcheus. I. Fruſtra græcas voces accumulat, vt germanam Scripturæ intelligentiam ex ipsâmet haberi poſſe perſuadeat. Non eſt ſtylus tam perſpicuus, vt menti quâ tumuis bonæ, & veritatis cupidæ ſtatim pateant, quæ dicuntur. Obſtat myſteriorum ſublimitas; figuræ, metaphoræ; orationis ad humanum morem accomodatæ in multis ambiguitas; conciſa ſubinde breuitas; non raræ in ſpeciem pugnantiæ; conſequentiarum & concluſionum, quæ inde deduci poſſunt, varietas, imò & contradictio. Minimè pertinax erat Eunuchus ille Act. 8. v. 27. qui legens Iſaiam Prophetam, & interrogatus à Philippo, *putáſne, intelligis, quæ legis? reſpondit: Et quomodo poſſum, niſi aliquis oſtenderit mihi?* Neque tamen ipſum Philippus ad ſtyli συγκατάβασιν, δύναμιν, περισσείαν, σαφήνειαν remiſit, ſed explicatione ſuâ tenebras Prophetiæ illuſtrauit. Fictitiam Scripturæ efficaciam refutauimus Cap. 2. §. 6. n. 64. 65. & 66. Styli abundantia & varietas, neq; ipſa intellectum ſemper iuuat, quin non rarò confundit.

136. Ad §. 192. Dorſch. Stylus Scripturæ non eſt perſpicuus.

Obſcuritatem & difficultatem in rebus etiam grauiſſimis ac ſaluti neceſſarijs perſuadent inſtantiæ irrefragabiles. 1. De peccato originali poſt baptiſmum remanente, quia concupiſcentiam S. Paulus Rom. 7. vocat *peccatum*, obſcurum autem eſt, an ſumat peccatum propriè & formaliter, an figuratè pro cauſâ peccati? 2. De iuſtificatione ſolùm *imputatiuâ* per iuſtitiam Chriſti, præcipuè ex c. 4. Rom. v. 9. 10. 11. 23. 24. vbi fides dicitur non ſolùm *Abrahæ, ſed omnibus credentibus imputari ad iuſtitiam.* Obſcurum autem eſt, & difficile, an intelligatur imputatio ſolius iuſtitiæ extrinſecæ, an etiam intrinſecæ, etſi propter iuſtitiam extrinſecam Chriſti eam aſſequamur, & illa ab iſtâ dependeat? 3. De *ſolâ fide iuſtificante* ſiue bonis operibus, quæ

Inſtantiæ obſcuritatis. De peccato originali. Iuſtificatione imputatiuâ. Solâ fide iuſtificante.

quæ maximè fundatur in verbis Apostoli Rom. 3. v. 28. *Arbitramur enim iustificari hominem per fidem, sine operibus legis*; sed manet difficultas, an solùm remoueantur opera legis Mosaicæ, an etiam naturalis & Christianæ? Item, an opera solùm excludantur per modum meriti, an etiam per modum dispositionis?

Verbis Cænæ &c.

4. De verbis Institutionis Cænæ, *Hoc est enim corpus meum*, vbi difficultas est inter Lutheranos & Caluinianos, an verbum *est* denotet signum Corporis Christi, an eius substantiam? 5. Deniquè an in eâdem Institutione, illa verba *Bibite ex hoc omnes*, contineant præceptum de vtrâq; specie ab omnibus fidelibus sumendâ, vel solùm pertineant ad Apostolos, (cùm quibus solis Christus legitur discubuisse) eorúmque in dignitate Sacerdotali successores.

Eandem obscuritatem & difficultatem in omnibus locis licebit monstrare, vnde Catholicis litem mouerunt Lutherus, Caluinus, aliique Sectarij. Sufficiant hæc paucula in exemplum, de quibus paulò post iterum, cum monstrabimus nullam firmam consequentiam seclusâ Ecclesiæ autoritate, ex eiusmodi Scripturæ locis posse deduci. Esse autem hæc præcipua, vel ex præcipuis Lutheranorum capitibus, in aperto est; etsi quænam dogmata sint absolutè scitu necessaria ad salutem, nunquam clarè explicârint, neque inter se, de hâc licet grauissimâ quæstione satis conueniant. Dorscheus ipse innuit non esse Scripturam in omnibus necessarijs dilucidam, dum fatetur *interpretandi facultatem & facilitatem non esse vbique æquabilem*, posse nos *attamen tantam NB. passim intelligentiam consequi, quanta ad salutem est necessaria. Passim* igitur duntaxat asserit Dorscheus Scripturæ facilitatem in necessarijs, neque tam cordatus est, vt in his illam adstruat vniuersim. Quid si ergo in loco aliquo, fortassis maximè necessario, tanta resideat difficultas, vt interprete opus sit certo ac fido? Nonne vel hinc euincitur Scripturam solam, ad sui intelligentiam non sufficere?

Sunt hæc ex præcipuis Lutheranorum dogmatibus.

131. II. Inefficaces sunt rationes, quas pro hâc Scripturæ sufficientiâ

cientiâ §. 193. Dorscheus adducit. Vbi illud inprimis admonendum est, fictitiam esse *potentiam & operationem Spiritus S. in lectione Scripturarum* se exerentis, sine regulis ab Ecclesiâ traditis. Operatur Spiritus S. in mentibus illorum, qui Ecclesiam ab ipso institutã & gubernatã, eiúsq; Pastores ac Doctores audiunt, quos Christus *ascendens in cælum nobis reliquit ad vitandã circumuentionem erroris.* Ephes. 4. v. 11. & seqq. Non minùs enim Spiritus S. vox est, quàm Christi, *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10. v. 6.

Ad §. 193. Dorsch. Operatio Spiritus S. sine Regulis Ecclesiæ fictitia.

Neque ideo *Sacræ literæ*, quia interprete opus est, *sunt ignobiliores humanis literis.* Negant id discipuli in Emaus euntes, *quibus Christus incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur omnes Scripturas, quæ erant de ipso.* Luc. 24. Negat Eunuchus Candacis Reginæ Act. 8. v. 27. Negant Sancti, qui asserunt Deum ideo Scripturas esse voluisse obscuriores, vt exerceret industriam, edomaret superbiam, arceret profanam curiositatem. Reclamant tot Veterum & Recentiorum, tum orthodoxorum, tum heterodoxorum Commentarij.

Et nimis quàm falsum est *humanas literas vniuersim suos sensus de se fundere, sine fallaciâ & ambiguitate*, etiam illas, quæ maximè celebrantur. Quid planius Ouidio, Virgilio, Cicerone, Cæsare in literis humanioribus? & tamen interpretes suos habent ac fatigant. Quis doctior Aristotele in Physicis & Metaphysicis? quis eodem dilucidior in Moralibus, & Politicis? & tamen sine Magistris aut Commentarijs non legitur, vel intelligitur. Quid purius aut tersius Iure ciuili veteri? Neque tamen aliter quàm plurium annorum studio in scholis addiscitur. Sed scilicet *maligni, inuidi, inepti* Dorscheo sunt Scriptores omnes, qui non protinus sine Magistro aut interprete intelliguntur. Atqui verò nos potiùs vnum Dorscheum damnandum credimus, quàm Scriptores vniuersos. Sint aliqui vitio suo obscuri nimis, aut ambigui, vt omnis verò obscuritas & ambiguitas ab hominum licet sapientissimorum dictis & scriptis absit, ipsa loquendi

Humanæ literæ ambiguitate non carent.

Humana cõditio fert, vt frequenter ambiguè loquamur.

quendi & ſcribendi ratio non fert, neq; humana conditio, cui ſacras quoque literas Spiritus S. aptauit.

Neque porrò hanc ob cauſam Sacrarum literarum magis vileſcit aut exoleſcit autoritas, quàm Ariſtotelis aliorúmq; Scriptorum, qui commentarijs indigent: aut Iuris ſiue ciuilis, ſiue Canonici, in quo vtroque enucleando interpretes innumeri deſudârunt, hodiéque deſudant. Nemo tamen ſapiens illos Scriptores, aut has leges contemnit. Imò in hoc alijs Scriptoribus & legibus longiſſimè præſtat Scriptura, quod Eccleſiam infallibilis autoritatis habet interpretem, qualem alij Scriptores non reperiunt, neque allegant.

Lectionis Scripturarũ vtilitas.

Nihilominus *legendæ & euoluendæ ſunt Sacræ literæ.* Ad hoc exhortamur omnes, qui cum fructu id poſſunt, vel ex officio debent. Compendio doctrina Lutherana poteſt hauriri ex Catechiſmo Lutheri (quem ipſe in præfatione *Biblia ſimplicium & rudium appellat*) vel ex Confeſſione Auguſtanâ, aut Libro Cõcordiæ: an ideo Dorſcheus ſibi ſuiſque improperari patietur, fruſtra ab illis Biblia legi atque euolui? Oportet in rebus fidei quidẽ Eccleſiaſticas traditiones ac regulas ſequi: ſed vberiùs ac fructuoſiùs, Fides & mores inſtruũtur, ſi his regulis ſuppoſitis, ipsã Scripturam quoq; legamus, eiúſq; cum ſenſu Eccleſię perſpiciamus harmoniam; præterquam quod ſanctiſſimis præceptis, conſilijs, exemplis, diuinæque bonitatis, miſericordiæ, Iuſtitiæ documentis, quibus Sacræ literæ redundant, homines vehementiſſimè inuitantur ad virtutes, & auocantur à vitijs.

Qua ratione Scriptura ſit partialis Fidei Regula?

Iam illud, quod colligi putat Dorſcheus, *Sacras literas nec quidem partialem eſſe Regulam Fidei,* ficulneum eſt. Neque enim nos Catholici Scripturam, Eccleſię velut ad latus collocamus, vt ſeclusâ huius autoritate ſit partialis fidei Regula. Sed vnicè Verbi diuini, quod in ſcriptum & non ſcriptum diuidimus, Eccleſiam credimus eſſe cuſtodem & interpretem. Eſt igitur Scriptura partialis quidem Regula, non tamen abſq; Eccleſiæ interpretatione, quæ ab Apoſtolis vſq; ad nos per traditionem peruenit.

Non

Non esse Pontifici & Ecclesiæ, nouas reuelationes necessarias.

III. Denique, cum Dorscheus *perpetuas reuelationes de sensibus reuelationum, Pontifici necessarias* esse autumat, nodum in scirpo quærit. 1. Verbi diuini non minùs traditi quàm scripti, sensum verum aliquem ac legitimum esse, est extra controuersiam. 2. Hunc sensum, quem publicè tenet ac tradit Ecclesia, priuatus etiam Pastor aut Doctor tradere potest. Cùm verò dicimus priuatam propositionem esse fallibilem, intelligi debet, quatenus præcisè priuatâ autoritate Pastorum, Doctorum, maiorum, siue parentum singillatim nititur. Non autem quatenus isti licet priuatim, proponunt publicam Ecclesiæ doctrinam, aut sensum Verbi diuini ab eâdem traditum. Vtrùm autem doctrina, quæ priuatim traditur, talis sit, ex Catechismis, Formulis professionis Fidei, praxi, obseruantiâ, & attestatione omnium fidelium, notoriè constare potest cuiuis. vt hâc de causâ nec Pontificem, nec Concilia accedere necesse sit. Præterquam, quod ad fidem diuinam hauriendam sufficit propositio, quæ solùm sit euidens aut infallibilis in ordine ad hominem, etsi non semper sit talis absolutè. Vide dicta n. 30. & 83. 138. Ad §. 189. Dorschei. Priuati possunt proponere publicã Ecclesiæ doctrinam.

3. Negamus vllas nouas reuelationes Pontifici & Concilijs esse necessarias, ad veram Verbi diuini siue scripti, siue traditi interpretationem. Sufficit Spiritus S. assistentia, quæ sine nouâ reuelatione dirigit Ecclesiam, vt mediante discursu: in quo vnius propositionis loco, assumatur veritas aliqua iam ante reuelata: & ex illâ per alteram propositionem, saltem moraliter euidentem, aut ex Spiritus S. directione certam, inferatur Conclusio: credenda non propter eiusmodi discursum, tanquam rationem formalem, sed propter reuelationem diuinam jam olim factam, quæ per eiusmodi discursum & Ecclesiæ propositionem nobis applicatur. Per hanc autem directionem, nulla noua fidei veritas innotescit, quod ad reuelationem propriè di- Non est opus nouis reuelationibus.

Pontif & Conc. Spiritus S. dirigente, quæ olim reuelata fuere, proponunt.

etiam necessarium est: sed solùm fit, vt auxilio Spiritus S. tum certa suggerente, tum falsa remouente, absq; errore illud concludatur, quod antehac reuelatum, sed temporum iniuriâ, terrarum longinquitate, hæresum malignitate, persecutionum acerbitate, apud quosdam exoleuit; apud alios nunquam, aut non sufficienter innotuit, & sic obscuratum fuit, aut dubium alicubi remansit. Quo casu ad specialem Dei prouidentiam pertinet, in ijs quæ ad salutem, aut vitandos errores necessaria sunt, Ecclesiam suam itâ dirigere: vt veritatem Prophetis & Apostolis reuelatam indaget, totiq; orbi Christiano credendam proponat, quod in generalibus maximè Concilijs fieri solet. Sic Diuinitas Spiritus S. in secundâ vniuersali Synodo Constantinopolitanâ, eiusque *à Patre & Filio processio*, eodem tempore in Synodo Romanâ, aduersùs Arrium, Photinum, Macedoniũ, Appollinarem stabilita, declarata, definita fuit. Quæ duæ Synodi, etsi loco distinctæ, re tamen ipsâ vnum vniuersale Concilium constituebant, de quo vide Annotationes Stanislai Soccolouij in cap. 1. Censuræ Orientalis.

Secunda Synodus vniuersalis Cõstantinopolitana.

4. Denique dicimus Pontificem & Concilia, infallibiliter certos esse, de hâc Spiritus S. assistentiâ in tradendo sensu Verbi diuini, & decretis fidei morúmque formandis, ex promissionibus diuinis Petro & Ecclesiæ factis: quas perpetuâ traditione custodiuit antiquitas, quæque in ipsis Scripturis extant clarissimè, etsi Sectarij in sensum frustratorium illas infeliciter detorqueant. Nullus igitur hic est processus in infinitum, sed sistimus in reuelatione infallibilitatis Ecclesiæ: quam Scriptura ingeminat, & traditio confirmat. Neque Scriptura seclusâ Ecclesiæ infallibilitate ad hoc sufficit, quia in diuersos sensus etiã in grauissimis articulis rapitur; neq; sola ostendit infallibiliter, quis sit sensus ab Apostolis intentus, aut quid inde cõsequatur.

Ecclesia certa de Spiritus assistentiâ, ex promissionibus diuinis.

IV. §. 194. Dorscheus recoquit insipidam cramben, & iisdem argumentis contendit nobis varias fallibilitates & incertitudinis ambages imponere in Scripturarum interpretatione, quas

Dorschei crambes de ambagibus Ecclesiæ Romanæ.

quas impegit §. 101. in earundem lectione, Canone, & versione relatas supra n. 28. sed cum hæc ibidem luculenter n. 29. 30. 31. refutauerimus, non est immorandum vlteriùs. Id dúntaxat in memoriam reuocamus, doctrinam Fidei Catholicæ ità esse Catechismis, & formulis professionum Fidei, aliísque libris perfectè comprehensam, eiúsque obseruantiam, toto orbe notoriam: vt qui eam sequi velit, euidenter intelligere possit, quænam sint Ecclesiæ Romanæ dogmata, quæ Fide diuinâ credenda omnibus proponuntur. Vltra quæ non est, cur plura ad salutem necessaria, vel proficua requirat.

Neque solicitum habere debent controuersiæ scholarum, de modo, seu actiuitate gratiæ efficacis, de Conceptione B. V. & similes, quarum definitio & certa cognitio ad dirigendos Fideles in viam veritatis & salutis, non est necessaria; ideóque ad eiusmodi definienda, Spiritus S. (cuius *prouidentia, vt non deficit in necessarijs, ità nec abundat in superfluis*) Ecclesiam non excitat. Vno igitur ictu, nodum hunc non Gordium, sed Dorscheanum dissoluimus. Dicimus enim: *Omnia in Ecclesiâ Romanâ ità quoad Fidem & mores perspicua esse, ac definita, vt nihil reliquum sit, ob quod ad nouas Pontificum aut Conciliorum definitiones, quisquã recurrere debeat.* Si noua propter hæreses aut alias causas, quidquam definiendi necessitas existat, assistet Spiritus S. vt non minus infallibiliter id faciat Ecclesia, omnibúsque fidelibus quatenus necessarium est, innotescat, quàm hactenus id factum est. Contrà apud Euangelicos neque constat, quid vniuersim sentiant, cum in grauibus articulis dissentiant, & neque in ipsâ Concordiæ suæ formulâ concordent. Et vt vel vbique, vel alicubi ad vnguem concordarent, nequaquam de infallibili veritate certi erunt; nisi Confessiones, Catechismos, Concordias suas &c cum Scripturis contulerint, & veritatem inde didicerint; omnes enim illi libri per homines fallibiles sũt confecti: & non tam ab Ecclesiâ, cui itidem infallibilitatem negant, quàm à Principibus & Magistratibus secularibus propositi.

Lites scholarum saluti non necessariæ.

Doctrina Ecclesiæ Rom. perspicua & explorata.

Apud Euangelicos nihil constans & certum.

§. II.

Vana & fraudulentiæ ex Patribus allegationes refelluntur, & quid sentiendum sit de interpretatione Doctorum.

DORSCHEVS.

139. Denique assertioni suæ, quod Scripturæ sensus primariè ex ipso textu eruendus sit, vt fucum Dorscheus illinat, §. 196. Augustini, §. 197. Chrysostomi. § 198. Gersonis. §. 199. rursus Augustini fraudulentas allegationes assuit.

Ad §. 196. Dorsch. Allegatio Augustini.

1. *Solo textu niti tam procliue* esse ait, vt August. l. 13. Confess. c. 23. vbi quærit, *de quibus Christianus iudicet?* primò ostendat iudicium, *istud non esse solùm eorum, qui spiritualiter præsunt, sed etiam eorum qui spiritualiter subduntur &c* eis qui præsunt, sublatâ etiam differentiâ sexuum nationum &c, *quia in gratiâ spirituali non est masculus & femina, quia neque Iudæus, neque Græcus, neque seruus, neque liber &c.* Quærit porrò, quâ de re iudicent Spirituales illi? Resp. *eos non iudicare de cognitionibus spiritualibus, quæ sunt in firmamento, neque de ipso libro Dei, etiamsi quid ibi non lucet, cum submittimus ei nostrum intellectum &c.* Rationem addit: *Non enim oportet de tam sublimi autoritate iudicare &c.* Quid ergo iudicat? *Iudicat & approbat, quod rectè: improbat autem, quod perperam inuenerit, siue in solennitate Sacramentorum &c, siue in verborum signis, vocibúsq; subiectis autoritati libri tui &c.* Ergo vult Augustinus, cuiuscunque conditionis fideli, competere iudicium eorum, quæ subiecta sunt autoritati Verbi diuini.

RESPONDETVR.

Omittit Dorscheus Ecclesiam, à quâ orditur Aug.

Nihil solidi, nihil sinceri hìc affert Dorscheus. Nam 1. omittit *Ecclesiam*, à quâ S. August. orditur. *Ergo* ait, *in Ecclesiâ tuâ Deus noster, secundum gratiam, quam dedisti ei &c, non solùm qui spiritualiter præsunt &c.* Asserit videlicet S. Doctor gratiam iudicandi Ecclesiæ concessam, eámque participare tum Superiores, tum subditos. Intellige secundum gradum suum, vt videlicet isti sequantur regulas iudicandi ab ijs, qui præsunt, traditas, & in totius Ecclesiæ vsum concessas. 2. Quod S. August ait, *Masculum & feminam fecisti hominem, NB. hoc modo in gratiâ tuâ spiritali* (vt videlicet qui præsunt, habeant vices

Mutat & peruertit eius verba.

Masculi,

Maſculi, & qui ſubſunt, vices feminæ) iſte mutilat, & peruertit. Quaſi S. D. *in gratiâ ſpiritali* neget differentiam ſexuum, etiam allegoricam, quàm clarè conſtituit in prælatione & ſubiectione, id duntaxat aſſerens, ibi *ſecundùm ſexum corporis, non eſſe maſculum & feminam, quia neque Iudeus, neq; Græcus, neq; ſeruus, neq; liber ibi eſt.* Veluti dicat, non valere in cæteris ad gratiam Eccleſiæ Chriſti ſpectantibus, differentiam ſexus, conditionis, nationis; ſed illo tantum diſcrimine, quod eſt inter eos, qui præſunt, & ſubſunt, qui docent & diſcunt: fideles hâc in vitâ diſcerni. 3. Rationem illam: *Non enim oportet de tam ſublimi autoritate iudicare,* non ſubiungit S. Doctor illis verbis *de libro Dei,* ſiue Scripturâ; ſed poſtquam negauit *Spiritales iudicare de cognitionibus, quæ lucent in firmamento.* Quid ſi verò per eiuſmodi cognitiones in *firmamento lucentes* intelligat Paſtorum Eccleſiæ placita, velut in firmamento *prælatâ ſublimi autoritate* (de quâ non oporteat iudicare) *fulgentium?* vti loquitur l. c. cap. 24. Sed fruſtra obſcuras S. D. allegorias nobis obiectat Dorſcheus, pro quibus clariſſimæ eiuſdem ſententiæ pugnant, *quas mox* attingemus.

2. In allegando Chryſoſtomo homil. 33. (non 35. vt ipſe citat) in Acta Apoſtol. dupliciter fallit. Primò, quod, cum Chryſoſtomus *gentilem, qui vellet fieri Chriſtianus, ſed dubitat, quod dogma* inter tot Chriſtianorum ſectas, *ipſe Scripturarum ignarus eligat,* ad *Scripturas* remittit, veluti *ſimplices ac veras, de quibus facilè ſit iudicare:* Dorſcheus id ità interpretatur, quaſi vniuerſim ex ſolis Scripturis facile ſit de quibuſuis dogmatibus iudicare. S. D. enim loquitur de dogmatibus ſiue hæreſibus illorum temporum, *Marcionis* videlicet, *Manichæi, Arrij,* qui diuinitatem filij Dei negabant; quæ cum clariſſimè aſſeratur in Scripturis, facilè exiſtimabat, ex illis errores horum hæreticorum deprehendere, *modò quis mentem habeat & iudicium.* Quod longè ſecùs eſt in alijs dogmatibus, quæ clarè in Scripturis non ſunt expreſſa.

Ad §. 197. Dorſchei. Fallit in allegando Chryſoſtomo.

Chryſ. loquitur Christi fidē amplecti volente, ſiue Catechumeno.

Deinde Dorſcheus hoc affert, veluti de gentili, qui etiamnũ in errore idololatriæ hæreat, cum S. D. agat de illo, qui errore ſuo, *eo quod* idola *ſint creaturæ, & non inconditus Deus*, iam agnito, ſuiſque condemnatis ad Chriſtianos *diuertit*, & incipit eſſe Catechumenus; ideòque non immeritò Scripturæ, quibus iam credêre cæpit, illi in re tam clarâ proponuntur. Nequaquam autem S. D. deſignat Infidelem, qui *nulli* vt ait omninò *dogmati addictus ſit*, *ſi etiam ille dicat*, id quod gentilis propoſito iam Chriſtianus, *de Chriſtianis dicit: Tanta multitudo hominum eſt, & varia habent dogmata, nam ille quidem Ethnicus eſt, alius autem Iudæus, & iterum alius Chriſtianus, nullum dogma amplecti oportebit. Ego diſcipulus ſum, & iudex eſſe nolo &c*, hunc talem S. Doctor non remittit ad Biblia, cum nullius apud illum ſint autoritatis; ſed id ſolùm ſubiungit, *facile hoc ab illo dici*, relinquens eundem videlicet ſententiæ Apoſtoli Rom. 1. v. 20. dicentis eos, qui *ex ijs, quæ facta ſunt, veram diuinitatem non cognoſcunt, eſſe inexcuſabiles*.

140. Omittit Dorſcheus, quæ pro nobis faciunt.

Poſtremò grauis impoſtura eſt, quod Dorſcheus ea omittit, quæ contra illum pro nobis faciunt. Illi enim gentili, qui remiſſus ad Scripturam non acquieſcit, (eò quod illa *in varios ſenſus trahatur*, ipſe autem *neſcius iudicare noſtra*, dicat: *Diſcipulus fieri vellem, tu autem me Doctorem facis*,) non rurſus Scripturas obtrudit, ſed alijs motiuis Chryſoſt. illum vrget. 1. quod Marcion, Manicheus, Arrius &c, Dei filium, Deum quidem verbis fateantur, reipsâ autem negent; neq; *Deo digna loquantur*, ſed creaturam faciant, ob quam cauſam eiuſmodi Catechumenus errorem ſuum condemnauit. 2. Quod Chriſtiani orthodoxi *non ſcindantur ab Eccleſiâ*, vti ſcinduntur hæretici omnes. Nulla autem Eccleſia poteſt nominari, vel deſignari, in quâ aliquando fuerint, & à quâ ſciſſi ſint Catholici. 3. Quod Chriſtiani veri *non ab hominibus cognomen habeant, nec aliquis illorum dux ſit*, vt Marcionitarum *Marcion*, Manichæorum *Manicheus*, Arrianorum *Arrius* olim: hodie Lutheranorum *Lutherus*, Caluinianorum *Caluinus &c.* Addit

Addit S. Doctor: *Si & nos agnominationem cuiusdam sortimur; sed non ab hæresum Principibus; sed vt ab his qui præsunt nobis, & gubernant Ecclesiam.* Non obscurè significans iam tum Catholicos à summo Pontifice siue Papâ, qui præest omnibus Catholicis, & gubernat totam Ecclesiam, appellatos fuisse Pontificios aut Papistas, vel aliquo simili nomine, siue à Pontifice, siue præstantioribus Episcopis deriuato. Nunquam tu Dorschee produxisses Chrysostomum, si bonâ mente integrũ legisses. Fuisse S. D. Pontificium & Papistam inde euidens est, quod deiectus ab Episcopatu Constantinopolitano ad Innocentium I. prouocauit, vt patet ex ep. 1. & 2. eiusdem ad Innoc. qui cum audiuisset mortuum esse Chrysostomum, excommunicauit Imperatorem Arcadium & Eudoxiam, quod non permiserint restitui Chrysostomum in suam sedem, vt ipse iusserat. Quâ de re extat ep. Innocentij apud Nicephor. l. 13. c. 24. S. Chrysost. nomine & re Pontifi. eius.

3. Affert Gersonem, qui parte 1. Alphab. 18. lit. in lib. de Examine doctrinarum, Consid. 5 dicit: *Stare, quod aliquis simplex non autorisatus, esset tam excellenter in Sacris literis eruditus, quod plùs esset credendum in casu doctrinali suæ assertioni, quàm Papæ declarationi. Constat enim plùs esse credendum Euangelio, quàm Papæ assertioni &c.* Sensit nimirum Gerson Papam sine Concilio posse errare, cuius contrarium non est fide certum: sed illud duntaxat, quod non possit errare cum Concilio. Neque verò illi, qui tenent etiam Papam sine Concilio non posse errare, dicunt *illi credendum plùs quàm Euangelio*, sed non posse illum ex Cathedrâ sententiam ferre, Euangelio contrariam. Ad §. 198. Dorsch. Affert Gersonem.

4. Denique audacter iactat, ad Scripturam, *vt iudicem Canonicum, prouocatum esse multoties in omni antiquitate.* In fronte ponit S. Ioannem c. 11. v. 48. vbi de Scripturâ nec verbum habet, sed Iudæorum consultationem aduersùs Christum: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum &c.* Succenturiat Paulum ad Hebr. 4. v. 12. vbi *viuum* dicit *esse sermonem Dei, & efficacem, & penetrabiliorem omni gladio ancipiti &c.* Sed nihil cogit Ad §. 199. Dorsch. Falsò iactat in antiquitate prouocatã ad Scripturam, vt iudicem.

hæc

hæc intelligere de Scripturâ, cum conueniant verbo Dei vniuersim, siue scripto, siue non scripto. Inde ab Apostolis his, ingenti saltu transiliens quadringentos annos, rursus producit Augustinum, sincerum venerandæ antiquitatis testem, sed nequaquam Lutheranæ, ex oratione de 5. hæresibus c. 6. vbi Arianum hominem ità compellat: *Habes iudicem ordinarium nolo mihi adducas ex diuersis partibus, alias atque alias potestates. Non mihi armiger, sed legifer necessarius. Et vbi inquis, istum inuenio? Vbi autem eum non inuenies? Audi Prophetam dicentem: Dominus index noster, Dominus legifer noster.* Sed quæ consequentia? *Arianus habet Iudicem ordinarium: Ergo Scriptura est ille Iudex.* Propheta dicit, *Deum esse iudicem & legiferum nostrum, ergo Scriptura est index*, vel Deus non iudicat aliter, nec leges fert, quàm per Scripturam.

Friuolè allegat Aug.

Hæc tua sunt somnia mi Dorschee, non Prophetæ oracula. Piget immorari in alijs, quæ ex eodem Aug. Clemente Alexandrino, & Basilio huc trahis. Vel enim carent omni consequentiæ neruo, vt inde concludatur Scripturæ sensum primariò ex ipso textu capiendum. Vel SS. Patres procedunt in ordine ad hominem, & ex concessis, prouocantes ad Scripturas, quas isti hæretici admittebant, & ex quibus erroris conuinci poterant. Quod verò Patres nequaquam prouocent ad Scripturas, tanquam iudicem supremum, inde manifestum est, quod traditiones non scriptas agnoscunt, & quidem præ alijs Aug. *Multa sunt, quæ vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur,* inquit l. 3. de baptismo contra Donat. c. 23. omittimus alia innumera millies à Catholicis producta.

KIRCHERVS.

241. Kircherus censet à PP. & DD. non proponi infallibilem sensum.

Cæterum de autoritate maiorum, aut quorumcunque tandem Ecclesiæ Doctorum, *censet Kircherus. n.* 13. *f.* 33. tanti esse non posse, vt sensum infallibilem proponere, fidémque adeò diuinam generare possit. Quanta enim cunque ea sit, non nisi humanam fidem generare posse; hancque tam manifestam esse veritatem, vt nullus audeat oggannire.

Idem

Idem euincere clarissimè tot dimicantium inter se Interpretum exempla, quorum quisque dum ab alio dissentire audet, vel hoc ipso falli eũ, & fallere posse fatetur. Neque difficiles hâc in parte fore aduersarios opinatur *Kircherus, & bene diuinat.*

DORSCHEVS.

Dorscheus certè ambabus manibus hoc accipit, & speciosè respondet: Euangelicos *vti Doctorum Ecclesiæ meditationibus in Sacras literas, vt egregio adminiculo, non vt diuino fundamento.* Eámque in rem allegat Catharinum de clauibus Scripturæ, qui & ipse fateatur: *sæpe illos inter seipsos dissidere sententijs, & ferè passim in interpretationibus Scripturarum, circa illa maximè, quæ definita sunt. Quin interdum nec secum, fuisse constantes &c.* Ad §. 195. Dorsch. Quod vtràque manu accipit Dorsch.

Respondetvr.

Sed hæc etsi aliquâ ratione dici possint de Patribus & Doctoribus cuisuis ætatis, singillatim & seorsim; nullatenus admitti debent de ijsdem collectim Quæ enim communi & vnanimi cõsensu Patres & Doctores cuiusuis seculi aut ætatis, nullo refragante, veluti ad fidem spectantia tradunt ac docent: vtpote à testibus omni exceptione maioribus confirmata, diuinâ Fide credenda sunt, hanc illis autoritatem conciliante Apostolo Eph. 4. v. 11. & seqq. dum affirmat Christum *ascendentem super omnes cælos dedisse Prophetas, Apostolos, Euangelistas, Pastores, Doctores &c, ad consummationem Sanctorum &c, ne circumferamur omni vento doctrinæ ad circumuentionem erroris &c.* Quæ Apostoli contestatio falsa est, nisi Christus non solùm Prophetis, Apostolis, & Euangelistis: sed etiam Pastoribus ac Doctoribus, fidem humanâ maiorem, adeóque diuinam sanxit. Hanc verò, cùm tam singillatim quàm collectim præstemus Prophetis, Apostolis, & Euangelistis, Doctores autem reliqui singillatim errare possint, & aliquando, (etsi non tam sæpè, quàm exaggerat Catharinus) errauerint, errentué: collectim saltem siue vnanimiter consentientes, errare non posse, adeóq; fidem indubiam & diuinam mereri, apud Catholicos indubitatum est, de quo pluribus hic agere non vacat. Sed solùm de DD seorsim sumptis verum. Simul enim omnes errare non possunt.

§. III.

Argumentationem ex textu, & consequentiarum deductionem, ad verum Scripturæ sensum certò inuestigandum, seclusâ Ecclesiæ autoritate nequaquam sufficere.

KIRCHERVS.

142. *Præmittit Kircherus f. 34. quod omittit & dissimulat Dorscheus*, ante omnia illud venire obseruandum, quod ex Lutheranis etiam obseruant, quicunque sunt doctioris & accuratioris paulò iudicij: non esse quæstionem de his aut illis verbis, num legantur vspiam in Sacrâ Scripturâ, vel non? sed hoc solùm quæri, num ista, vel hæc Conclusio, quam probandam sibi quispiam sumpsit, rectè ex illo textu deducatur? *siue vtrùm sincerè sensum à Spiritu S. intentum exprimat?* Adeóque magnam stoliditatem produnt illi, qui vbi verba recitauerunt Scripturæ, aut Caput aliquod allegârint, iam egregiè se functos suo officio, rémque omnem luculenter demonstrâsse existimant: quasi verò salus Græciæ in istis versaretur, aut hæc, vel illa verba, negaret aduersarius in hoc, aut isto Capite reperiri. De argumento est quæstio, quod deduci ex ipso textu oportet, non de ipso textu.

Monet Kircher. non esse quæstionem de verbis, sed Cõclusionibus.

Meretur hanc Kircheri Censuram Dorscheus quoque; accumulat enim & ipse frequenter, vt paulo supra, & aliàs ostendimus, allegationes Scripturæ, quæ ad probanda ipsius argumenta nec hilum faciunt; vel ob sensus ambiguitatem, vel quia, cum in re particulari is versetur, ad vniuersim aliquid concludendum minimè est idoneus.

Sed audiamus porrò Kircherum probantem, quod argumentatio ex textu Scripturæ nullam sensus diuini certitudinem præstare queat. Hìc autem *ait*, vt obseruat Franzius in tractatu de interpp. præcipuam sibi partem illa duo vendicant: Obseruatio Grammatica circa dictiones phrases &c. & Consequentiarum deductio. Lubrica ambo, & vtrique contradictionis parti obnoxia. Hìc vna consequentia per consequentiam infringitur aliam; ibi propriè, an figuratè, κατὰ τὸ ῥητὸν, an κατὰ διάνοιαν sint accipienda verba? *anxie disputatur.*

Duo hìc valent, Grammatica obseruatio, & Consequentiæ.

DORSCHEVS.

Dorscheus §. 200. Respondet inprimis *de obseruatione Grammaticâ*, & falsum dicit, *quod methodus interpretandi Scripturam ex illâ, sit lubrica, & iustis contradictionibus vtrinq; obnoxia.* Repetit argumentum iam supra refutatum, num. 137. *In omnibus alijs scriptis certum & immotum*

Dorscheus Grãmaticã tuetur, & cramben repetit.

intelligendi

intelligendi fundamentum præbere Grammaticam obſeruationem &c. Quæ igitur ratio, quod hoc Sacrum, atq; ex admirandâ Sacri flaminis inſpiratione ortum ſcriptum, non poſſit ex Grammaticâ obſeruatione capi?

RESPONDETVR.

RESP. Falſum eſt Antecedens, Grammaticam obſeruationem ſufficere ad intelligendos omnes libros, vt ibi oſtenſum eſt; & vel inde patet, quod commentarios in Ariſtotelem, Platonem, alióſque Philoſophos, item in veteres Iuriſconſultos, & vel maximè SS. Patres ac Theologos &c, non habeamus, neque expectemus à Grammaticis, ſed viris ſcientiarum harum peritiſſimis. Videtur repueraſcere Dorſcheus, quod nos in Grammaticam ad pueros remittit. Sed etſi aliorum librorum Scriptorúmque ſenſus per ſolam Grammaticam expediri poſſet, non ideo in Sacris Scripturis illud locum haberet: de quarum obſcuritate plurimi Patres teſtantur, quos refert in Prolegomenis Biblicis Serarius c. 22. quæſt. 2. vnà cum cauſis, ob quas diuina prouidentia eas voluit eſſe obſcuras. Apparet Dorſcheum in Patribus non eſſe verſatum, niſi quatenus ex *Io. Gerardi locis communibus, vel ſimilibus tabernis* eorum autoritates corradit; aut certè fide non optimâ diſſimulat, quæ contra ſe facientia in illis deprehendit. Sed pergamus ad argumentationes & conſequentias, quas partim ex lubricis Grammaticæ obſeruationibus, vel ijs ſuppoſitis ex textu, ſiue originali, ſiue tranſlato ſumi neceſſe eſt.

Repueraſcit nos remittendo ad Grammaticam.

KIRCHERVS.

Conſequentias porrò ità oppugnat Kircherus: Quæ igitur *ait*, hic de vero ſenſu certitudo? præſertim vbi conſequentijs agitur, quarum omnis ratio à iudicio pendet humano. Vt enim ingenio magìs, aut minùs valet quiſque: aut liber eſt à præiudicio & affectu, vel non liber, ità conſequentiæ alicuius fluxum videt, aut non videt.

143. Kirch. conſequentias ait pendere à iudicio humano.

DORSCHEVS.

Hanc Kircheri rationem totis viribus conuellit Dorſcheus à §. 199. vſq; ad §. 207. & quidem vel maximè autoritate Patrum & Doctorum. *Si enim ait conſequentiarũ deductio ſimpliciter à iudicio humano dependet, quomodo omnes Eccleſiæ Doctores cenſuerunt, id quod neceſſario ſequitur ex ijs, quæ*

Dorſch. allegat PP. &

DD. quod necessariò sequitur ex Script. esse eiusdem autoritatis.

quæ disertè in Scripturis habentur: eiusdem cum diuinis reuelationibus esse autoritatis, imò haberi in Scripturis, etsi totidem verbis non legantur? Allegat pro se *Gregorium Nazianzenum orat. 37. quæ est de Theolog 5. Ambros. lib. de Fide c 5. Anselm. disp. de Spiritu S. contra Græcos. Dionys. Alexand. apud Athanas. to. 1 de eius sententiâ. In disp. eius cum Ario coram Probo, autore Vigilio. Sermones qui eodem to. 1. extant contra varias hæreses, quorum duodecimus scriptus est contra eos, qui dicunt, quod simpliciter sint locutiones accipiendæ, nec quid illæ significent, considerandum.* Vel maximè autem triumphat *ex Aug. cuius allegat ep. 178. l. 2. de doct. Christ. c. 31. c. 32. c. 34. quibus disertè negat consequentiarum veritatem, à iudicio humano pendere.*

Scholastici.

Subiungit DD. *Scholasticos Turrecrematam, Alliacum, Britonem, Nicolaum de Nysse, Eustachium à S. Paulo, Smiglecium, Canum l. 12. de loc. Theolog. c. 16. Bellarm. l 4. de verbo Dei c. 9. Vasq. 1. p. disp. 12. c. 2. & vel maximè Tann. to. 1 disp. 1. q. 3. dub 2. n. 6. item q. 5. dub. 3. n. 5.* Vbi ponit præcipuum huius sententiæ fundamentum: videlicet: *Quisquis reuelat aliquid, reuelat etiam quantùm in se, id, quod cum eo necessariò est connexum: ac proinde omnis veritas necessariò & euidenter connexa cum propositione reuelatâ, est etiam reuelata.*

Qui reuelat aliquid, reuelat necessariò connexa cum illo.

Concludit igitur Dorscheus §. 207. *Id quod per consequentiam ex Sacris literis elicitur, non pendere tantùm à iudicio humano, sed ex immutabili rerum ordine, ex reuelationum diuinarum lumine, ex Spiritus S. moderamine, ex Sacrarum literarum recessibus, ex ministerio cælitus ordinato, ex precum ardentissimarum facunditate.* Pro quâ precum efficaciâ cumulat & Scripturas & Patres, sed inaniter. Etsi enim ad studium Scripturæ rectè, & laudabiliter adhibetur oratio: nunquam tamen illa efficiet, vt infallibile sit, aut fide diuinâ credatur, quod fallibile est, aut à Deo non reuelatum.

Deceptio in consequentijs contingit ex inaduertentiâ.

Denique §. 208. rursus concludit: *Licet fieri possit, vt in consequentijs, è textus Biblici fæcunditate eliciendis, homo erret, non tamen id propterea fieri, quasi in hoc progressu nulla possit dari certitudo, nisi ad infallibilem autoritatem Ecclesiasticam recurratur: sed quod homo non aduerterit dependentias, ad constituendam certitudinem necessarias, quibus positis, & proposito applicatis, sensus diuinos saluti necessarios, certissimè potest assequi.*

RESPON-

RESPONDETVR.

Euangelicos, cum ex puro Dei verbo, vti promittunt, probent nihil, ad consequentias admitti non debere.

RESP. Principio id ob oculos ponimus, Lutheranos & Protestantes initio professos fuisse Ecclesiæ & doctrinæ reformationem, ex *solis Scripturis & puro Dei verbo*: indéque Euangelicorum sibi nomen arrogâsse, quasi extra illud docerent, & crederent nihil. Ità in Præfat. Confess. August. testantur Principes *se afferre suorum Concionatorum & suam Confessionem, cuiusmodi doctrinam NB. EX SCRIPTVRIS SANCTIS, & NB. PVRO DEI VERBO, hactenus tradiderint, ac in Ecclesiis tractârint.* Idem affirmant in præfat. libri Concordiæ de eâdem Confessione Augustanâ, videlicet *ex Verbo Dei, & sacrosanctis Prophetarum & Apostolorum scriptis, collectam* esse &c, *se piæ illi Confessioni, quæ NB. solidis testimoniys immota, ac IN VERBO DEI* NB. *EXPRESSÆ VERITATI superstructa est, vnâ mente subscripsisse.* Denique in eodem Concord. lib. post Catechismum maiorem Lutheri, ipso initio *Epitomes Articulorum controuersorum*, & postea, *in fusiori eorundem declaratione*, statuunt *vnicam Regulam & normam, secundùm quam omnia dogmata, omnésq; Doctores æstimari & iudicari oporteat, NB. NVLLAM OMNINO ALIAM esse, QVAM PROPHETICA, & Apostolica scripta tum Veteris, & Noui Testamenti &c.* Et denique concludunt. *Hoc modo SOLAM SACRAM SCRIPTVRAM, IVDICEM, normam, & Regulam agnosci, ad quam, ceu ad Lydium lapidē, omnia dogmata exigenda sint & iudicanda: an pia, an impia, an vera, an verò falsa sint?* Quam normæ & regulæ prærogatiuam negant omnibus *aliys Symbolis, & Patrum ac Neotericorum scriptis*: multò maximè autem Concilijs, (nisi quatenus Symbolum Nicænum recipiunt,) quia illorum nec mentionem quidem facere dignantur, nisi sub scriptis Patrum inusitatè ea comprehendant. Confessionem verò Augustanam *veluti è verbo Domini*

Ad §. 199. Dorsch. & seqq.

Euangelici initio professi solas Scripturas, & purum Dei verbū.

In Præfat. C. A.

Et lib Concordiæ.

Solam Scripturam Iudicem & normam faciunt.

desumptam, & ex fundamentis Sacrarum literarum solidè extructā orbi obtrudere perseuerant.

144. Postulamus terminos expressos, vel æquiualentes.

Hâc igitur Dorschee, vestrâ tam seriâ, constanti, imò pertinaci, publicâque attestatione suppositâ, & acceptatâ, à vobis postulamus, vt articulos vestros à doctrinâ Romano-Catholicâ dissentientes per terminos expressos, vel æquiualentes (neque enim de solis vocibus, si sensus idem maneat, litem mouemus) sine additione, detractione, mutatione probetis. Quidquid enim additum, detractum, mutatum fuerit, non est Sacra Scriptura, quam *vnicam, adæquatam, Normam, & Regulam Fidei vestræ* agnoscitis & iactatis. Nec vnicum autem articulum doctrinæ Lutheranæ siue Euangelicæ expresse vel æquiualenter in Sacris Scripturis monstrare potestis: vt vel præcipuos illos, quos supra attigimus, consideranti patebit.

Quos non habent pro vllo articulo.

Exempla ex præcipuis articulis.

1. Peccatum originale post baptismum remanere, *& concupiscentiam licet inuoluntariam, propriè peccatum esse*, probatis ex c. 7. Rom. vbi illam peccatum appellat Apostolus, *non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum* v. 17. & 19. & sæpius toto Capitis decursu. At neque Apostolus hic, neq; Scriptura alibi dicit: *Concupiscentia est propriè peccatum.* Sed rectè intelligitur peccatum sumi figuratè, per metonymiā pro causâ peccati. 2. Clamatis: Nos *iustificari gratis* sine vllis operibus legis siue Mosis, siue per modum meriti, siue per modum dispositionis. Probatis ex Rom. 3. v. 28. *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis.* Sed vestras additiones non habet Apostolus, qui nec per verba expressa, nec per æquiualentia, à Iustificatione excludit alia opera gratiæ per modum dispositionis, vt Spem, timorem, dolorem de peccatis &c. 3. Docetis, nos solùm iustos esse per *iustitiam Dei extrinsecam*, sine iustitiâ intrinsecâ siue inhærente, *ratione cuius in iudicio Dei consistere possimus.* Probatis ex c. 4. Rom. præsertim v. 5. *credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur Fides eius ad iustitiam &c.* Sed Apostolus neque hic, neque alibi exprimit, hanc imputationem

tionem eſſe merè extrinſecam, ſine iuſtitiâ inhærente, quæ dependeat à Chriſto, tanquam causâ efficiente & morali. 4. Deniq; veluti pro aris & focis dimicatis, Euchariſtiam inſtitutam eſſe *ſub vtrâq; ſpecie*, & omnibus fidelibus vtriuſq; vſum à Chriſto eſſe præceptum. Probatis ex illo Matth. v. 27. *Bibite ex hoc omnes.* Sed Chriſtus non dixit: Bibite ex hoc *omnes fideles*, additio hæc neque expreſsè, neque æquiualenter habetur in vllo Scripturæ textu. Quæ ad hæc probanda affertis, argumentationes & conſequentiæ ſunt, quas impugnat Kircherus. &c

Non debent admitti, ad conſequentias, niſi fateantur ſe deſtitui textu expreſſo.

Ad has verò admitti non debent Lutherani, nec vlli Acatholici, priusquam fateantur, ſe inanibus verbis ineſcari, aut ineſcare alios, dum ſcribunt & dicunt: *doctrinam ſanctam ex Scripturis ſanctis, ex puro Verbo Dei collectam, & ſolidis teſtimoniis immotæ ac in Verbo Dei expreſſæ veritati ſuperſtructam, non habere ſe aliam fidei normam aut Regulam præter Scripturam &c.* Nullum enim dogma ſuum vel vnico expreſſo aut æquiualenti Scripturę teſtimonio probare poſſunt. Si vel vnū proferant, quod ſine additione, detractione, immutatione, argumentatione, verbis expreſſis vel æquipollentibus, ipſis ſuffragetur, triumphum decernemus. Hoc certè agere deberet Dorſcheus, & illam ſpecioſam ſtyli συγκατάβασιν, δύναμιν. περισσείαν, σαφήνειαν §. 192. prædicatam, in confirmando vel vno ſaltem Euangelicorum dogmate, nobis ad oculum exhibere. Quod cum non poſſit, ad Conſequentiarum aſylum confugit: idq; veluti certum, tum autoritate, tum ratione ſtabilire conatur, *quod neceſſariò ſequitur ex iis, quæ diſertè in Scripturis habentur, eiuſdem cum diuinis reuelationibus eſſe autoritatis, imò haberi in Scripturis, etſi totidem verbis non legatur.* Sed facilè hoc claudemus aſylum.

RESPONDETVR.

Non eſt fide certum, quæ neceſſariò deducuntur ex reuelatis, eſſe reuelata.

RESP. I. Allegationes has non eſſe ſolidiores, quam alias 145.

Dorſchea-

Exemplum Nazianzeni est ex æqui pollentibus.

Dorſcheanas. Gregor. Nazianz. exemplum, eſt ex æquiualentibus: *quod* ait, *ſi te bis quinq., aut bis ſeptem dicente, decem aut quatuordecim ex verbis tuis colligerem, aut ex eo, quod animal rationale ratione præditum, & mortale diceres, hominem eſſe concluderem, an tibi viderer delirare?* Manifeſtum enim eſt, bis quinque æquiualere decem, & bis ſeptem quatuordecim. De his ſanè certum eſt reuelato vno expreſsè, reuelari æquipollentia: & reuelato definito, reuelari definitionem illi conuenire: ſicut & reuelatâ vna propoſitione vniuerſali, reuelantur omnes particulares ſub vniuerſali cōtentæ: & reuelato vno correlatiuorum, reuelatur & alterum. Quia vnum formaliter eſt idem cum altero, aut includitur in illo, aut includit eſſentialem reſpectum ad illud. Secùs eſt in alijs, quæ identitatem vel connexionem eſſentialem non habent, vt ſi inferas, Chriſtus *iuſſit omnes bibere*, ergo iuſſit omnes *fideles* bibere: neque enim vel neceſſario, vel eſſentialiter illud ſignum vniuerſale denotat fideles, ſed æque ex vi verborum poteſt denotare ſolos Apoſtolos, & Sacerdotes. Eſſe *locutiones ſimpliciter accipiendas, neq. ſenſum conuenientem inquirendum, aut conſequentiam negligendam*, quod meritò improbat Athanaſius, nemo noſtrûm dicit. Sed neq; S. Greg. neque Athanaſius, neque vllus Patrum, quos allegat Dorſcheus, nedum omnes, affirmāt, *vniuerſim quidquid ex Scripturis per conſequentiam, quantumuis neceſſariam, deducitur, eſſe à Deo reuelatum, vel diuinâ fide credendum.* Deduci ex reuelatis, & eſſe reuelatum diuerſa ſunt. Scimus aliquos Scholaſticos ſecùs ſentire, & inter hos Tannerum, quorum ſententiam probabilem exiſtimamus: articulis tamen Fidei annumerari nullatenus debet, cum graues & orthodoxi Theologi contrarium teneant, quos citat, ponderat, ac ſequitur *Suarez tract. 1. de Fide, Spe, & Charitate. diſp. 3. ſect. 11. num. 11.*

In his, & correlatiuis aut eſſentialiter connexis &c verum eſt reuelato vno, reuelari alterū.

Non in quibuſuis alijs id affirmant PP.

à Tannero graues DD diſſentiunt.

Ratio Tanneri in quibus concludat.

Neque ratio illa, *Qui reuelat aliquid, reuelat etiam quantum in ſe eſt, id quod cum eo neceſſariò eſt connexum,* concludit, niſi in illis, quæ formaliter ſunt idem, aut ſe mutuo eſſentialiter includūt,

vel

vel respiciunt, quæ vt impossibile est, re aut notione distinctâ diuelli: ità fieri non potest, vt qui patefacit vnum, non simul patefaciat alterum. Sic quia reuelatum est *Christum esse hominem*; eo ipso reuelatum est, *esse animal rationale*, quæ est definitio hominis. Et quia reuelatum est, Christum *iudicaturum omnes viuos & mortuos*, eo ipso reuelatum est, quod iudicabit me & te, & quemuis hominem, quia omnes propositiones particulares continentur in suâ vniuersali. Et quia reuelatum est *Petrum* fuisse *filium Ioannis*, Matth. 16. v. 17. & Ioan. 21. v. 17. eo ipso vtique reuelatum est, *Ioannem* fuisse *Patrem Petri*, etsi non sit in Scripturis expressum; sunt enim correlatiua. In alijs verò seu proprietatibus, seu quibusuis necessariò connexis, nõ est par ratio; cùm enim nec formaliter sint idem cum re reuelatâ, nec contineantur in illâ, neque de tali connexione per similem reuelationem constet: deficiente ratione Formali Fidei, deficit etiam certitudo quoad nos, etsi respectu scientiæ diuinæ, & in se sint certa & infallibilia.

In alijs deficit ratio formalis Fidei.

Non est igitur apud Catholicos Fide certum, quod deducitur ex *vnâ propositione reuelatâ, & alterâ naturali quantumuis euidenti, esse reuelatam*. Neque Euangelici, qui adæquatum Fidei principium in Scripturis constituunt, id probare possunt. Nusquam enim scriptum est: *Eum qui reuelat aliquid, reuelare etiam quantum in se est, id quod cum eo necessariò est connexum*. Vnde sequitur 1. cum per terminos expressos, aut ratione significationis, vel formalis identitatis, aut inclusionis æquiualentes, vel euidentes, nullum dogma doctrinæ suæ proprium ex Scripturis probare possint, sed ad alias vlteriores consequentias necessariò deuoluantur: NB. *illos nullum articulum, siue dogma suum fide diuinâ credere, aut credere posse*, quia non est fide certum, quod per tales consequentias deducitur, substare diuinæ reuelationi, quæ est vnica & formalis ratio fidei diuinæ & Christianæ.

Non est fide certũ, quod deducitur ex vnâ reuelatâ, & alterâ euidenti, esse reuelatum.

Nihil ergo per consequentias Euangelici habent fide certum.

2. Scripturam non posse constitui Iudicem controuersiarũ.

Neque enim Iudicis nomen implet, aut meretur, qui nullas sententias fert *de plano* siue expressas, sed merè tales, quarum sensus per consequentias indagari debeat. Quod in humanâ Republicâ, velut stultissimum omnes exploderent, hoc scilicet diuinæ Sapientiæ, & singulari prouidentiæ, quâ Ecclesiam suam gubernat, impingemus! Esto igitur & maneat demonstratum, *prætensos Euangelicos solis consequentijs dicto modo nitentes, nullum doctrinæ suæ, quatenus ab Ecclesiâ Romano-Catholicâ aberrat, articulum, siue dogma, fide diuinâ credere, aut credere posse.*

Neque per illas Scriptura officium Iudicis implet.

Quæ S. Aug. dicit de consequentiis, Dorscheo non patrocinari.

146. RESP. II. Quæ Dorscheus §. 203 ex S. Aug. de sententijs & consequentijs affert, à nobis vtrâque manu accipi: & inde allegantem vel maximè redargui, sunt enim verissima quæ tradit S. D.

Verissimè Aug. dicit Connexiones differre à sententijs.

1. *Connexiones* sententiarum differunt *ab ipsis sententijs.* Sententias enim intelligimus eas propositiones, quæ ad aliquid probandum assumuntur. Connexiones autem illarum cernuntur in consequentijs, siue in formâ, figuris, & modis syllogismorum.

Aliud est nosse Regulas Connexionum, aliud sententiarum veritatem.

2. *Aliud est nosse Regulas connexionum*, siue syllogismorum, *aliud sententiarum*, siue propositionum *veritatem. In illis discitur, quid sit consequens, quid non consequens, quid repugnans. In veritate autem sententiarum, ipsæ per se sententiæ, siue propositiones, non earum connexio*, siue forma syllogistica, *attendenda est. Sed veris, certisque sententijs, cùm incerta verâ connexione iunguntur*, (v. g. Omnis infans ritè baptizatus est in gratiâ Dei, sed iste infans est ritè baptizatus, ergo est in gratiâ Dei) *etiam ipsa certa fiant necesse est,* ait S. August. l. 2. de doct. Christ. c. 34. Propositio enim maior in hoc exemplo fide certa est, non item minor: quæ pendet ab intentione baptizantis, nobis occultâ, etsi temere in dubium reuocari non debet. Prout autem in syllogismo assumitur, qui procedit *quibusdam positis*, id est, concessis, siue saltem

tem veris ex hypothesi, veri certique rationem hic & nunc induit: vt similiter conclusio in pari certitudinis gradu, supposità videlicet præmissarum veritate, consequatur. Habet igitur connexio, siue formâ syllogistica, in quam propositiones rediguntur, suum vigorem non solùm in sententijs, siue propositionibus veris ac certis, verùm etiam in probabilibus, aut dubijs, imò & falsis: cum eo tamen discrimine, quod ex prioribus sequitur conclusio tanquam absolutè positis, ex posterioribus autem, non nisi tanquam ex hypothesi. Quo sensu verissimè dixit Aug. l. c. 31. *Esse veras connexiones*, siue formas syllogisticas, *non solùm verarum, sed etiam falsarum sententiarum.*

Forma syllogistica, in probabilibus, dubijs, falsis, vim habet ex hypothesi.

3. Verissimè itidem c. 32. dixit S. Aug. *Veritatem connexionum*, id est, consequentiarum, & formarum ac figurarum syllogisticarum, *non institutam, sed animaduersam esse ab hominibus, vt possint eam vel discere, vel docere. Nam est in rerum ratione perpetua, & diuinitus instituta &c*, quod pluribus deinde probat. Et hâc quidem ratione verum est consequentias, syllogismos, corúmque regulas, *non pendere à iudicio tantùm humano.* Nituntur enim principijs lumine naturali notis, vt sũt *dictum de omni, & de nullo*; item, *quæ vni tertio incommunicabili sunt eadem, illa inter se sunt eadem.* Quam *connexionum veritatem facilè esse* dixit Aug. *etiam in scholis illis discere, quæ sunt extra Ecclesiam.* Sunt enim hæc primùm animaduersa & in præcepta artis redacta à Philosophis gentilibus, Aristotele præsertim, omnis Philosophiæ & Sapientiæ naturalis præstantissimo interprete, ac Magistro, quem in Logicis maximè & Moralibus meritò sequuntur Scholæ Christianæ.

Forma syllogistica nõ instituta, sed animaduersa.

Eatenus non pendet à iudicio tantùm humano.

4. Etsi dicta principia, in quatuor modis directis primæ figuræ, clarissimè eluceant, & cuiuis intellectui bene disposito id sit perspicuum: secùs tamen est in modis reliquis eiusdem, & secundæ ac tertiæ figuræ, qui non ità clarè & proximè diriguntur per memorata principia: etsi probari possint tum per reductionem ad quatuor primos modos figuræ primæ, tum

Modi, præter quatuor primos, non diriguntur proximè per principia euidentia.

per deductionem ad impossibile, tum per syllogismos, vti vocant, expositorios. Sed hæc omnia non sine multis regulis & præceptis intelliguntur, eóque difficiliùs, quo minùs ingenio aut iudicio quis pollet, aut in disputando intellectum ab affectu obscurari permittit, & à regularum eiusmodi obseruatione abduci. Vbi rursùs cernitur, quàm miserè simplex plebecula, & literarum ac Logicæ ignari apud Euangelicos deludantur. Persuasi enim sunt, sensum Scripturæ, ex ipsâ Scripturâ indagandum, quæ cum nullum Euangelij prætensi proprium articulum, per terminos expressos tradat aut æquiualentes: cogûtùr facere consequentias, quas nunquam didicerunt. Vacillat autem assensus Conclusionis, nisi non solùm syllogismus careat vitio reipsâ, verùm etiam bonitas consequentiæ intelligatur. Quod vt in quatuor primis Figuræ primæ modis, naturalis ratio sine ope Logicæ assequi possit, at secùs est in reliquis modis & Figuris, ad quas frequenter deueniendum est; neque enim omnis discursus Modos illos quatuor primæ figuræ recipit. Vnde ex hoc capite maximam Euangelicorum partem fraudibus & erroribus consequentiarum obnoxiam esse necesse est; quod exemplis clarissimis facilè ostenderemus, nisi præstaret tempori parcere & chartæ.

Simplicium apud Euangelicos misera delusio.

5. Quod verò S. Aug. addit: *sicut connexio veritatum, in scholis etiam præter Ecclesiam disci potest, ità sententiarum veritatem in sanctis libris Ecclesiasticis indagandam esse:* id quidem (etsi verba fortassis non cogunt) de solis Scripturis proculdubio intelligit Dorscheus, vt videlicet non aliunde petantur sententiæ, siue Propositiones Fidei. Sed neque hoc subterfugimus, si intelligatur de libris Sacris, siue Canonicis Scripturis, rectè intellectis, secundùm Regulam, quam tradit optimus verborum suorum interpres, ipse S. Aug. *Ecclesiæ videlicet Catholicæ interpretationem, & sensum, quem illa tenet.* Absurdum enim credit S. D. Scripturas ab Ecclesiâ accipere, & interpretationem illius respuere. Quæ igitur ait l. de vtil. credendi c. 14. *ista tanta*

Sententias ex solis Scripturis desumendas censet Dorsch.

dementia est, illis (loquitur de Catholicis, & Catholicâ Ecclesiâ) *crede, Christo esse credendum: & à nobis disce, quid dixerit? Multo faciliùs mihi persuaderem Christo non esse credendum, quàm de illo NB. quidquam* (adeóque etiam Scripturæ sensum) *nisi ab ijs, per quos ei credidissem, discendum.*

Aug. vult sensum Scripturæ ab Ecclesiâ sumendum.

Quin non solùm Scripturæ sensum ab Ecclesiæ autoritate suspendit, verùm etiam l. 2. de Bapt. contra Donat. c. 7. *Credo* inquit, *consuetudinem non rebaptizandi hæreticos,* (quam cum Episcopis Africanis aliquando impugnauit S. Cyprianus) *ex Apostolicâ autoritate venire: Sicut NB. MVLTA non inueniuntur in literis eorum* (Apostolorum) *neque in Concilijs posterorum, & tamen quia NB. CVSTODIVNTVR PER VNIVERSAM ECCLESIAM, non nisi ab ipsis* (Apostolis) *tradita & commendata creduntur.*

Quæ vniuersa Ecclesia custodit, ab Apostolis sunt tradita.

Quâ eâdem de re l. 1. cont. Crescon. c. 33. ità loquitur: *Quoniam Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit, huius obscuritate quæstionis,* (an hæretici rebaptizandi sint?) *eandem Ecclesiam de illâ consulat, Quam sine vllâ ambiguitate Sacra Scriptura demonstrat.* Hanc vniuersalem Regulam idem S. D. tum alijs locis, tum hic maximè stabilit: videlicet *Scripturis conforme esse, quidquid Ecclesia docet, ac tenet, cuius infallibilem autoritatem ipsa Scriptura commendat.* Hæc autem autoritas, si in ijs valet, quæ scripta non sunt, multo magis in illorum interpretatione valere debet, quæ scripta sunt.

Ecclesia cõsulenda, quam Scriptura commendat.

Quatenus Consequentia à iudicio pendeant humano.

RESP. III. Ideo vel maximè (quod ipsum intendit Kircherus) *consequentias à iudicio pendere humano*, quia si propositiones ad confirmandam fidei doctrinam ex solis, seclusâ Ecclesiæ autoritate, accipiantur Scripturis, ambiguæ sunt & incertæ interpretationis, vt supra n. 144. monstrauimus adducendo præcipua quædam Lutheranorum dogmata. Vnde prout quisque hunc vel illum sensum, ingenij, vel iudicij, aut præ 147.

Propositiones ex Scripturâ ambiguæ à iudicio pendent humano.

iudicatæ opinionis, vel affectus sui ductu eligit: ità diuersas inde pugnantésque consequentias, si non in formâ, certè in materiâ peccantes, & eatenus à iudicio tantùm humano pendentes, sibi fabricat.

Idem contingit in antecedentibus, consequentibus, similibus &c

Quod in antecedentibus, consequentibus, similibus, dissimilibus &c itidem contingit; nam & hæc ambiguæ sunt interpretationis, aut applicationis. Vnde qui seclusâ Ecclesiæ autoritate vnum Scripturæ locum v. g. Rom 3. *de iustificatione per fidem sine operibus*, per alia loca Scripturæ, vbi *fidei sine operibus* fit mentio, explicant aut confirmant, dubia dubijs superstruunt; neque enim his locis expressè aut æquiualenter, opera gratiæ per modum dispositionis excluduntur, aut sensus à Lutheranis intentus adstruitur Idem patebit consideranti articulos Euangelicorum supra n. 144. allatos. & quosuis alios. Quare etsi fieri possit, vt quis casu in hoc processu verum reperiat, per solas tamen consequentias quantumuis legitimas, sine infallibili regulâ rectè interpretandi sententias Scripturæ, (ex quâ argumēta in rebus fidei, Euangelici vnicè desumenda iactant,) ad certitudinem veri & salutaris sensus peruenire potest nemo: sicuti veras Demonstrationes nunquam efficiet, qui ex propositionibus falsis, aut non necessarijs, syllogismos in formâ quantumuis bonâ, imò optima conficit, quidquid bullatis verbis & vanis phrasibus obstrepat Dorscheus.

KIRCHERVS.

Kirch. obijcit mutuas hæresium exprobrationes.

Hoc ipsum conuincit Ratio Kircheri, dum f. 35. *obijcit inde fieri*, vt sæpè, qui eandem Fidem profitentur, ità inter se committantur, vt hic isti Nestorianismum, ille huic Eutychianismum obiectet. Quæ vniuersa res in solis consistit consequentijs (*quatenus ex propositionibus texuntur ambigui aut incerti sensus; quem hi & illi pro arbitrio, sine aliquâ infallibili Regulâ Scripturæ affingunt,*) vt in Responsione suâ aduersùs Forerum notauit Kesslerus. Quis autem nescit maiorem penè (*imò totam, cum habeant nihil sibi proprium, quod per expressos, aut æquiualentes Scripturæ terminos probare possint*) interpretandi rationem, in ducendis hærere consequentijs? quod idem in supra citato tractatu agnoscit Franzius.

Hoc

Hoc magis roborat Kircherus, refutando vulgatissimum illud Euangelicorum effugium, cum dicunt Scripturam in ijs, quæ ad Fidem pertinent, adeò claram esse, vt pro eruendo illius sensu, tam longo consequentiarum tractu non sit opus.

Quid ergo *ait*, fiet de descensu Christi ad inferos, Fidei vtique articulo, quia in Symbolo Apostolico? Cur si tam clara res est, inter se dissentiunt Lutherani, dum propriè alij (*qui Vbiquitatem vel omninò, vel saltem in statu Exinanitionis negant.*) alij figuratè (*qui Humanitati Christi à primo Conceptionis puncto, Vbiquitatem siue Omnipræsentiam tribuunt.*) in quibus est D. Grauerus *cum VVirtembergicis*, accipiunt? *Vide Bellum Vbiquisticum Foreri f.* 305. Scriptura in pertinentibus ad Fidē obscura.

Tum, si quis clarus est adeò locus, vt omnes veluti consequentias aspernari videatur: clara vtique sunt verba Institutionis Cænæ. Clarissima illa verba Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. Et nihilominus super eâ re (*reali videlicet præsentiâ corporis Christi in Eucharistia, & quod non pro solis prædestinatis, sed toto genere humana mortuus sit*) Lutherani dimicant & Caluiniani. Nec minùs ambo & claram esse Scripturam, & Controuersiarum esse iudicem vociferantur. Exemplum Ioan. 3. & verba institutionis Cœnæ.

Quid aliud hinc inferam, nisi istud? Aut non ità claram esse Scripturam, vt decisione non sit opus. Aut alteram partem oculos maliti osè quasi claudere, ne lucem vltro se inferentem admittat.

DORCSHEVS.

Ad ista (præter falsas & fallaces retorsiones §. sequenti elidendas, quibus causam Euangelij sui ipse iugulat) Dorscheus replicat hæc paucula, quæ ex Chao illius eruimus. 148.

1. §. 112. Quod stante *piâ licet & religiosâ Sacrarum literarum meditatione, verborum diligenti obseruatione, consequentiarum accuratâ peruestigatione, eiusdem Fidei homines se accusent, isti alios Nestorianismi, hos illi Eutychianismi: non prouenire ex defectu certitudinis in Scripturis, adeóque aliam autoritatem infallibilem constituendam non esse, sed ex præoccupato affectu.* Quod rursus exaggerat §. 116. pag. 683. *Hoc omni æuo Sanctis viris contigisse, vt ex positis diuinis reuelationibus aliquid sequi putauerint, quod reuera non sequitur, neq; tamen illos à reuelationibus ad infallibilem proponentem recurrere iussos esse: sed ad remedia ablegatos*, de quibus supra §. 95. Dorsch. mutuas incusationes ait prouenire ex affectu.

2. §. 213. *Negat omnino, Scripturam non esse claram*; testes appellat Patres §. 86. allegatos. *Quædam immediatiùs fluere ex contextibus diui-* Nullas consequentias

nis,

nis, quadam mediatiùs; nullas tamen tantas ambages & consequentiarum tractus esse necessarios, qui incertitudinem pariant. Addit ex Catharino de Clauibus Script. p. 166. *Multa esse, quæ non obscurè dicuntur, sed planè, vt quæcunque sunt ad salutem necessaria &c. Et multa esse, quæ etsi obscurè alibi habentur, alibi tamen planè traduntur; Et item multa esse, quæ etsi nulli aperta sint, patere tamen nonnullis &c.*

ex Scripturâ parere incertitudinem.

3. §. 216. pag. 681. ait. *Quando Saluator noster IEsus consequentijs egit, quando ijsdem pugnârunt & conuicerunt συγχύσει, & συμβιβασμῷ Act. 9. v. 22. Apostoli, tum profectò non egisse illos autoritate infallibilis propositionis, quam contradicentes non intellexerunt, aut animaduerterunt, sed ipsâ consequentiarum immutabili vi &c.*

Christum & Apostolos non adhibuisse infallibilem autoritatem.

RESPONDETVR.

149. Ad §. 212. 213. 216. Dorsch. secum pugnat.

RESP. ad 1. Dorscheum secum pugnare, cum dicit, *stante licet piâ & religiosâ Sacrarum literarum meditatione, consequentiarum accuratâ peruestigatione &c* nihilominus *ex præoccupato affectu* diuersimodè & contrariè intelligi Scripturas, vsq; ad mutuam hæresum insimulationem. Non habet locum pia meditatio, vbi præoccupatus ideóque inordinatus affectus Scripturam trahit in partes; neque accuratè inuestigari potest consequentia, vbi idem affectus nebulam & glaucoma objicit.

Falsum est viros sanctissimos, si quando in grauibus fidei controuersijs *ex Scripturis aliquid sequi putauerunt, quod non sequitur*, non recurrisse, aut recurrere debuisse ad infallibilem proponentem, Pontifices inquam & Concilia. His se submiserunt, inde definitiones & doctrinam fidei acceperunt. Profer Dorschee, vel vnum indubiâ Sanctitate conspicuum, qui in quæstionibus fidei, postquam Pontifices & Concilia illas definierunt, idque ipsis innotuit, ijsdem non acquieuerint. Fictitia sunt illa pietatis remedia, quæ iactas, imò hæresum & errorum latibula. Nunquam SS. Patribus venit in mentem ex solis Scripturis, doctrinam fidei, sine ductu & Magisterio Ecclesiæ, velle haurire aut alijs tradere. Illusoriæ sunt preces, si roges Deum, vt sine hoc Magisterio, quod ipse instituit, salutis viam & doctrinam tibi aperiat, etsi diu noctùque Biblijs incubes.

SS. In dubijs recurrerunt ad Pontifices & Concilia.

bes. Perinde hoc vel magis fatuum est, quàm si filius aut ciuis oret, vt Deus illum ab obedientiâ & directione parentum, aut Magistratuum absolutum, ipse solus gubernet. Ad vanas Patrum allegationes, quas hìc refricat, respondimus n. 23.

RESP. ad 2. Scripturam passim claram esse in historijs; documentis item iustitiæ, misericordiæ, bonitatis diuinæ, exemplis piorum & impiorum; detestatione vitiorum, commendatione virtutum; commemoratione nouissimorum, Mortis, videlicet judicij, inferni, cælestis gloriæ, verum est. Ob quæ animis infigenda, & ad vitæ morúmque disciplinam adhibenda, SS. Patres Chrysostomus præsertim, illarum lectionem vehementer suadent & inculcant. Vt autem fidei doctrinam, & controuersias ex illis solis quis dijudicet ac discernat, SS. Patrum docuit nullus. Allegationes, ad quas se Dorscheus remittit, futiles esse apparet ex ijs, quæ diximus num. 14. & 15. In quibus Script. sit clara.

Nullum dogma Lutheranum aut Caluinianum, aut alterius sectæ *fluit ex contextibus diuinis siue mediatè, siue immediatè*, nisi glossam aliquam aut interpretationem allinant: quæ neque expresse, neque æquiualenter in illis contextibus extat, vt ostendimus supra num. 144. Hinc igitur scaturit fons incertitudinis Soli-biblicæ. Non dicit v. g. *Paulus Rom. 3. v. 28. hominem iustificari per fidem sine operibus legis gratiæ, quæ solùm sint dispositiones non merita:* sed glossa exclusiua, est ex cerebro Lutheri. Qualescunque igitur ex Scripturis de Fide solâ superstruxeris, & cumulâris consequentias: vacillant conclusiones, vel formæ, vel materiæ, vel vtriusq; vitio; eóque magis nutant, quò plures velut ex arenâ funem contexueris, cum nullum vspiam in Scripturis huius exclusionis extet fundamentum: sed potiùs illæ alijs quoque præter iustificationem actibus, iustificationem tribuant: veluti *Timori Domini, ps. 110. v. 10. Prou. 1. v. 7. & 14. v. 27. Ecclesiastici 1. v. 28. Matth. 3. v. 7. Spei. ps. 36. v. 40. ps. 9. v. 14. Prou. 28. v. 25. Eccles. 2. v. 9. Matth. 9. v. 2. Dilectioni, Eccles. 2. v. 10. Luc. 7. v. 47. Gal. 5. v. 6. 1. Ioan. 3. v. 14.* denique

Nullũ dogma Euangelicorum fluit ex contextu Script.

Script. alijs actibus præter Fidem tribuit iustificationem.

nique pœnitentiæ, siue dolori de peccatis & proposito emendationis, *Ezech. 18. v. 27. & 31. Act. 2. v. 38. & 18. v. 2. 2. Cor. 7. v. 10.* Sic in alijs controuersis hodie articulis, consequentiæ ex Scripturæ sententijs arbitrariè explicatis ab Euangelicis prætensæ, cum totidem aut pluribus clarioribúsque locis à Catholicis retunduntur: quemuis non pertinacem meritò percellunt, ne sententias & connexiones solis Scripturis nitentes, certas & infallibiles existimet.

150. Catharini autoritas nō est tanti.

Catharini autoritas, tanti non est, vt diximus n. 97. *Multa in Scripturis dici non obscurè, sed planè*, ipsi confirmauimus paulò antè. Inter hæc non obscura, contineri *quæcunque ad salutem necessaria*, falsum est, vt ostendunt præcipua dogmata controuersa, quæ attigimus n. 144. & persuadet vel solus S. Petrus ep. 3. v. 16. vbi dicit in *Epistolis S. Pauli*, (vnde præcipuos suos articulos de peccato originali, concupiscentiâ, Fide solâ sine operibus iustificante, iustitiâ imputatiuâ, impossibilitate seruandi legem &c fabricârunt Protestantes) *contineri quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Non autem incurrerent perditionem, nisi *difficilia intellectu, quæ deprauant*, essent necessaria ad salutem; neque enim illa perditur propter non necessaria.

Lutherani etiam de articulis necessarijs dimicant.

Necessarij vtique sunt articuli Symboli *de Christi passione, morte, descensu ad inferos, resurrectione, ascensione &c.* Et tamen de his ipsis Lutherani itá dimicant, ac si Scripturæ ambiguè & obscurè loquerētur. Saxonici enim credunt Christum verè ac propriè passum, mortuum, descendisse ad inferos, resurrexisse, ascendisse ad cælum, vbi priùs non fuerit. VVirtembergici Vbiquitarij (qui contendunt Christi humanitatem à primo conceptionis momento, omnia cum diuinitate gubernâsse, neque minùs quàm illam, in cælo & terra vbique præsentem fuisse ac esse) negant hæc propriè intelligenda. Certè Melchior Nicolai in Consideratione Theologicâ de hâc re pag. 146. & 147. disertè Christum assimilat *Bruto Romanorum Nobilissimo, qui ingenium*

Melchioris Nicolai sententia de Christi simulatione.

genium & magnitudinem animi dissimulauit sub Tarquinio Superbo, atque ignauum & stolidum finxit; Dauidi itidem, *qui se insanum simulauit apud Regem Philistaorum.* Quæ se *vix sine horrore & concussione mentis legisse*, ingenuè confitentur *Saxonici in Apologiâ suâ f.* 652.

Concedimus porrò multa esse obscura, quæ alibi clarè habentur, vt v. g. quod *concupiscentia* Rom. 6. etiam in renatis vocatur *peccatum*, non intelligi debere de peccato propriè & formaliter, sed figuratè de causâ peccati, clarum est ex illo Iacobi 1. v. 15. *Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum, &c* & illo Genes. 4. v. 7. *Nonne si bene egeris, recipies? sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit, sed sub te erit appetitus eius* (peccati) *& tu dominaberis illius.* Id verum est, pleraque Scripturæ loca, quæ olim clara & planissima erant, vt v. g. illud: *Hoc est Corpus meum &c Ampliùs laua me ab omni iniquitate meâ &c Super niuem dealbabor &c Si vis ad vitam ingredi, serua mandata &c* à nouis & prætensis Euangelicis, per diuersas & pugnantes glossas, interpretationes, consequentias, ità esse obscurata, ac deprauata: vt non ampliùs, *saltem in ordine ad hominem*, siue ipsos *Nouatores*, verum sit, quod olim etiam scripsit S. August. l. 2. de doctr Christ. c. 6. *Nihil ferè de illis obscuritatibus* (Scripturarum) *erui, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.*

Multa obscura, alibi clarè in Scripturis haberi.

Namque obscurata ab Euangelicis.

Denique Scripturam non esse nisi Ius, siue Legem, adeóque indigere interprete instar aliarum legum, ostendimus num. 46. Si aliquis instare velit, *Legis esse iudicare*, is vel de Iudice propriè dicto non loquitur, vel officium illius non intelligit. *Nec enim vllum Ius* ait Kircherus, *seu ciuile, seu municipale, tam claris verbis est conceptum, quin non dicam admittat, sed flagitet propositionem & decisionem iudicis*: maximè si de ipsâ sententiâ, siue interpretatione legis lis oriatur. Sed hoc Kircheri responsum silentio præterit Dorscheus, non habens vtiq;, quod solidè replicet.

Scriptura instar aliarũ legum, indiget interprete.

RESP. ad 3. Mira paucis Dorschei lineis contineri. 1. Quãdo consequentijs egerunt Christus & Apostoli, *non egisse illos* 151.

Dorscheus secum pugnat.

autoritate infallibilis propositionis. In quo secum pugnat Dorscheus, supra enim §. 201. ex Patribus, & Doctoribus, & §. 206. ex Tannero maximè contendit probare, *Conclusionem non solùm ex duabus propositionibus reuelatis, verùm etiam ex vnâ reuelatâ, & alterâ naturali deductam esse reuelatam: & per talem consequentiam sufficienter proponi, vt possit fide diuinâ credi*; Ergo quando talibus consequentijs egerunt Christus & Apostoli, simul egerunt autoritate infallibilis propositionis. Si quando autem egerunt argumentis merè naturalibus, adhibuerunt illa solùm vt motiua credibilitatis, non vt probationes ipsius doctrinæ reuelatæ. 2. Christus & Apostoli non egerunt consequentijs, quin sermones suos miraculis confirmarent. Non de consequentijs, sed de signis & operibus suis dixit Christus Ioan. 15. v. 24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Apostoli item *prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem*, ipsásque adeò, quibus vtebantur consequentias, *confirmante sequentibus signis.* 3. Si ij, quibus Christus & Apostoli prædicabant, non animaduerterunt infallibilem propositionem, procliue est illos nec animaduertisse vim consequentiarum. Et vt non aduerterint, non ideo sunt excusabiles, sicuti nec gentiles, qui ex creaturis verum Deum non agnoscunt teste Paulo ad Roman. 1.

Christus & Apostoli consequentias confirmârunt miraculis.

Nihil ergo in consequentijs ex Scripturâ præsidij.

Ex quibus hactenus disputatis id denique elucet: *Nihil in consequentijs, quas ex Scripturâ expressis & æquiualentibus terminis destituti, deducunt, Dorscheo & Euangelicis repositum esse præsidij:* tum quia incertum est, vtrum vllæ eiusmodi conclusiones ad Fidem diuinam pertineant; tum quia nec quidem certitudinem Conclusionis Theologicæ in proposito obtinent, vtpote ex propositionibus varij & ambigui sensus conflatæ.

DORSCHEVS.

Frustra confugit ad distinctionem certitudinis.

161. Miserum verò est effugium, quod Dorscheus §. 209. in distinctione

inter

inter certitudinem cognitionis & obiecti, & certitudinem intellectus, seu subiecti quærit. *Certitudinem cognitionis* ait *esse infallibilem eius conformitatem cum obiecto cognito; cuius radix sit certitudo obiecti, siue eiusdem necessitas absoluta, aut ex suppositione. Certitudinem verò intellectus & subiecti,* definit *esse firmam & constantem eius adhesionem obiecto cognito.* Hanc porrò asserit, *quandóque etiam obiecto rectè proposito non obtineri, ob defectum ex parte subiecti intelligentis; vt sæpissimè contigit etiam apud eos, quos summus & omnino infallibilis, tetigit propositor Christus. Neque tamen propterea certitudo cognitionis & obiecti nulla est. Neque etiam propterea opus fuisse alio aliquo infallibili proponente, qui circa summum propositorem Christum, & eius proposita infallibiliter dirigeret. Sic enim in infinitum datū iri processum.*

Distinctio inter certitudinem obiecti & subiecti miserū asylum.

RESPONDETVR.

RESP. Certitudinē cognitionis ex parte obiecti posse, imò de facto frequenter esse summam & infallibilem, etsi certitudo ex parte cognoscentis, siue subiecti, vel vacillet, vel penitus sit nulla. Quod contingit vel ex malitiâ, & pertinaciâ intelligentis: si supernaturali obiecto licet sufficienter proposito, & infallibilitate propositionis animaduersâ, nolit assentiri. Eiusmodi defectu, imò culpâ laborârunt Iudæi, cum Prophetarum oraculis, & Christi prædicatione, ac miraculis licet conuicti, eum pro Messiâ recipere noluerunt, iuxta illud Stephani Act. 7. v. 51. *Vos semper Spiritui S. resistitis, sicut Patres vestri, ità & vos.* Tales sunt omnes infideles & hæretici, qui agnitæ veritati resistentes, circa obiecta reuelata sibi infallibiliter proposita, non actum Fidei, sed infidelitatis, vel hęresis obijciunt.

Certitudo ex parte obiecti sæpe est, vbi nulla ex parte subiecti.

Idq; vel ex malitiâ.

Vel est tanta cognoscentis incapacitas, aut insuperabilis ignorantia, (vt in simplicibus, aut non sufficienter instructis) vt infallibilitatem propositionis circa aliqua saltem fidei mysteria non capiant, aut necdum aduerterint, vel aduertant. Ideóq; & in istis (absq; culpâ tamen, saltem graui,) stante licet certitudine obiecti, deficit certitudo subiecti, adeóque & actus fidei, quia vel ignorant, vel cespitant.

Vel incapacitate aut ignorantiâ.

Vel deniq; est defectus in ipsa propositione, quia non est legitima, sed falsâ & fallax. Talis est, quā sibi imaginantur prætensi Euangelici, ex solis Scripturis, quasi hæ sufficiant ad infallibilem

Vel ex defectu propositionis, quo

laborant Euangelici.

fallibilem Fidei Christianę propositionem & interpretationem absq; alio proponente & interprete. Cuius contrarium hactenus euicimus. 1. Quia Scripturæ nec per terminos expressos, nec per æquiualentes, vllum articulũ Euangelicorũ adstruunt. 2. Quia consequentiæ, ad quas coguntur confugere, sunt insufficientes. Vtrũ enim conclusiones ex vnâ reuelatâ, & alterâ naturali, quantumuis euidenti deductæ, sint reuelatæ, incertũ est, & sub opinione; nõ fundant igitur assensum Fidei diuinæ, in quâ reuelatio diuina nutare non debet. 3. Quia hæ ipsæ cõsequentiæ Acatholicorum, si non peccant in formâ, vacillant in materiâ: assumunt enim semper propositionem aliquam ex Scripturâ, dubiæ & arbitrariæ interpretationis, suffarcinatam glossis, de quibus Scriptura nihil dicit: quo sensu rectè asserit Kircherus, *consequentias tantùm à iudicio pendere humano.* Vnde eiusmodi consequentiæ, nec certitudinẽ quidẽ pariunt Theologicam aut scientificã, sed merã & temerariam opinationem.

Carent textu expresso. Consequentiæ an sufficiant, dubium est.

Vacillant ex parte materiæ vel formæ.

Nullum igitur *actum Fidei diuinæ, adeóq; nec Fidem diuinam, eiusq; habitum,* (habitus enim essentialiter includit facultatem agendi) *habere possunt vlli Acatholici.* Quia etsi haberent certitudinẽ obiecti, destituuntur certitudine subiecti, quam essentialiter includit assensus Fidei diuinæ. Hæc certitudo autem depẽdet à legitimâ & infallibili propositione ac interpretatione, quã ex solis Scripturis haberi non posse, & distinctionẽ certitudinis obiecti, & subiecti, (cum vtraq; ad Fidei diuinę substantiam pertineat,) impertinenter à Dorscheo allatã, demonstratũ est.

Nullam igitur habent, nec habere possunt fidẽ diuinam.

§. IV.

Retorsiones Dorscheanas de propositionis & definitionum Fidei in Ecclesiâ Catholicâ incertitudine, Dorschei causam vulnerare, & falsas ac fallaces esse.

153. Dorscheus aduertens rem in eo esse, vt prętenso consequẽtiarum asylo cum suis excludatur, *parem vel maiorem earundem ambigui-*

ambiguitatem, *incertitudinem & longiorem per miras ambages tractum*, Catholicis impingere laborat: omnia confecta ratus, si omnibus in Societatem incertæ & fluctuantis fidei conspirantibus, nihil vspiam certæ & infallibilis autoritatis in Christianâ Religione supersit. Hoc agit vsq; ad finem capitis, à pag. 652. vsq; ad pag. 676. plurimas ratiunculas, eásq; variè repetitas, ac speciosè subinde implexas, & Catholicorum autoritate, vti iactat, suffultas agglomerans: quæ incautis, nec satis attentis, rerúmq; peritis, dubium ingenerare, & Catholicæ doctrinæ soliditatem, non aliter quàm Nebulæ Solem, possint obscurare. Etsi verò n. 31. & 32. abundè ostendimus Regiam doctrinæ viam sine ambagibus Catholicos ducere ad Pontificem, & Cōcilia: placet tamen, quæ hic Dorscheus præterea iacit retia, oculis pennatorū exhibere, imò discerpere, ne quidquā intactū relinquamus. Compendiū igitur prolixæ fabulationis est istud:

Dorscheani propositi sūma, habere Catholicos socios incertitudinis.

DORSCHEVS.

§. 210. Contendit etiam *apud Catholicos ex parte subiecti, etiam in applicatione eorum, quæ ab infallibili propositione autoritatis Ecclesiasticæ promanant, posse esse incertitudinem, hisce argumentis.* 154.

Contendit stante licet certâ propositione, posse cognoscentem hæsitare.

1. *Potest quis putare Pontificem agere vt priuatam personam, etsi aliquid proponat vt persona publica.* 2. *Formidabit, ne fortè Pontifex priuatim sit hæreticus (quod aliqui sentiunt fieri posse) si non possit distinguere inter personam priuatam, & publicam.* 3. *Forsan timebit hoc vel illud de quo agitur, pertinere ad quæstiones facti, in quibus Pontifex potest errare.* 4 *Etsi Catholici consentiunt Papam cum Concilio Generali errare non posse, dubium tamen erit, an sit Concilium verè Generale? Vel enim Papa, aut Concilium seorsim illud affirmant, & res vtrinq; est in lubrico. Vel dicunt coniunctim, & superest formido, an Coniunctio sit legitima? an non decipiantur ipsi, & ipse discursu aliquo humano, cui possit subesse falsum? Nam vt hoc, aut illud Conciliū sit Generale, non pertinet ad Christianam Religionē, tanquam requisitum necessariū. Denique, quid fiet interea de Sacrarum literarum interpretatione dubitante? Nimis enim difficile discordias fidei componere, & exortas hæreses compescere, si idcirco Concilium Generale sit conuocandum ait Tann n. 253.*

1. De mente Pontificis.
2. De occultâ hæresi.
3. De quæstione facti.
4. An Conc. Generale. sit legitimū.

5. *Qui persuasus est Pontificem etiam sine Concilio esse infallibilis autoritatis, dubius tamen erit, an debitam consultationem adhibuerit, sine quâ ipsū errare non posse incertum est iuxta aliquos, vti & illud: fieri non posse, vt sine debitâ*

5. An Papa rectè cōsultârit &c.

debitâ diligentiâ in Religionis causâ quidquam definiat. Hæsitabit; quid directè determinare intendat Pontifex? quæ enim ad rei probatione duntaxat, & confirmationem aut aliàs obiter solùm & incidenter dicuntur, non cadunt, sub eiusmodi definitionem &c, vt docet Tann. n. 261. Mirabitur, cur non ità discursiuè & tutò, liceat etiam versari circa Sacras literas? Cur item Spiritus S. in suâ assistentiâ infallibili, faciat interualla & deliquia? vt in his quidē verbis definitiuè & infallibiliter, in alijs autem probatiuè tantum & incidenter loquatur? Rursus formido est in ipsâ directâ responsione Pontificis, an verba illius, quæ doctrinam fidei continent, & iudicium Sapientum super his, Ecclesiæq́; sensum & consensum, rectè ponderârit, de quo Tann. n. 262. Demum an decretum legitimè & sufficienter fuerit promulgatum? Exemplum circa editionem Bibliorum Sixtinam annotauimus in præl.m. §. 5. & 6.

6. An Papa legitimè electus?

6. *Non solùm in his, sed etiam in discernendâ legitima electione Pontificis, à quo pendet Ecclesiæ infallibilitas, longo consequentiarum tractu opus est. Innocentium X. v. g. esse legitimè electum & verum Pontificem, alij negant esse fide certum, alij affirmant apud Tann. pag. 385. idq; firmari, vel ex requisitis Canonicæ electionis, in eligendo hoc Pontifice obseruatis, vel efficacius ex acceptatione vniuersæ Ecclesiæ, quam vniuersam falli in rebus ad Religionem pertinentibus sit impossibile; cum è contrà in requisitis ad Canonicam electionem possit interuenire occultum impedimentum, v. g. electum non esse virum, aut non baptizatum &c. Hinc posse istud argumentum confici: Qui neq; ex prætensione Canonicæ electionis, neq; ex acceptatione Ecclesiæ certi sunt de illo, in quo vel solo,* vel saltem vnâ cum Concilijs *infallibilem autoritatem Ecclesiæ collocant, illi nec de fide, nec de salute certi sunt. Atqui Pontificij neutro modo certi sunt, de legitimo Pontifice, à quo infallibilitatem Ecclesiæ suspendunt, ergo certi non sunt de fide & salute &c.*

Quod tum ex actu electionis, tum acceptatione Ecclesiæ anceps est.

Maior patet, quia præter hos duos modos, hactenus non inuenerunt alium. Minor de Canonicâ electione patet ex illis, quæ disputat Tannerus. Circa acceptationem Ecclesiæ considerari potest 1. An sit absolutè infallibilis & certa? 2. Vnde de illâ cōstet? 3. An Ecclesia in hâc re sit fallibilis secluso capite? 4. An illa infallibilitas dijudicandi & acceptandi legitimum Pontificem resideat in vniuersâ Ecclesiâ, & omnibus eiusdem membris? 5. Si Ecclesiæ vniuersæ & toti Fidelium multitudini hoc concessum est, cur non eidem multitudini Deus concesserit, (quod multò faciliùs & accomodatius,) vt sit infallibilis in intelligentiâ veri sensus, & intentionis Sacrarum literarum?

Incertitudo vtriusque monstratur.

7. *Non posse cum Propositione Kircheri, consistere hanc Pontificiorum sententiam de electione Pontificis ità probatur: Quidquid consequentiarum tractu euincendum est, quarum ratio à iudicio pendet humano, illud infallibili fide credendum non est. Atqui vterq; modus probandi & dijudicandi legitima Pon-*

Vtrinque opus consequentijs.

tificis

tificis electionem, tractu consequentiarum euincendus est, quarum ratio à iudicio pendet humano: tum Cardinaliũ quoad requisita Canonica electionis, tũ reliquorum Fidelium quoad acceptationem. Ergo neutro modo legitima Pontificis electio, adeóque & verus illius Pontificatus infallibili fide credi potest, aut debet &c. Hinc infert Dorscheus, *facilè inde liquere, quàm periculosè Kircherus, & ante eum Speculator, Besoldus, & ante hos Peronius, Conterius, Veronius, consequentiarum vim & neruum soluerint, & ad iudiciorum humanorum incertarum classem retulerint.*

8. Pugnæ & concertationes, circa verba ab vtraq; parte pro clarissimis habita, non esse per se argumentum fallibilitatis, circa consequentias è Sacris literis eruendas, patet 1. Quia defectus non est in Verbo diuino, quod sufficienter sese proponit & insinuat; cumprimis in locis fundamentalibus: neq; in regulis consequentiarum, sed solùm in applicatione affectatâ & præoccupatâ. 2. Alioqui nihil in Ecclesia etiam Pontificiâ erit decretum, & à Pontifice atque Concilijs definitum, quod solidum sit & infallibiliter acceptari possit. Sunt inter Pontificios, qui illis Theologis, qui interfuerunt Concilio Tridentino, contradicunt; placet vnum & alterum exemplum producere. Pugnæ circa verba clara, non probant fallibilitatem. Inter Pontificios similes pugnæ.

Supra §. 3. pag. 7. indicauimus lites circa Canonem de authentiâ Vulgatæ editionis, Hispanis plerisq; ex illo, dictæ editioni infinitam autoritatem tribuentibus, alijs contrà sentientibus, illam non dici authenticam, nisi quod nullum in fide & moribus errorem contineat. Eadem difficultas est, de Can. 2. & 3. sess. 5. eiusdem Concil. Dominicanis quidem Concilij verba eò extendentibus, B. Virginem etiam peccati originalis maculæ atque reatui fuisse subiectam, licet fuerit sanctificata & omnino purgata: negantibus illud Iesuitis atq; Franciscanis, de quo nos supra §. 9 & seqq. & fusè disputat Salazar in tract. pro immaculatâ B. V. Concept. c. 41. pag. 314. Itâ per alias materias ostendi posset. Itaq; id non mirandum, etiam fieri in materia de S. Cœnâ & Redemptione circa verba Matth. 26. v. 26. Ioan. 3. v. 16. ab illis, quibus non minus studium partium tuendarum. De Versione Vulgatâ. De Conceptione B. V.

RESPONDETVR.

Incertitudinem subiecti cum verâ Fide pugnare.

Hic est Labyrinthus, quem apud Catholicos reperiri somniat Dorscheus, sed si euigilare vellet ad claram Veritatis lucem, nihil solidi aut sinceri, quo oppugnari possit Ecclesia Catholica, reperiret in manibus suis. Extorqueamus igitur illi, quod iam supra n. 31. & 32. facere cæpimus, hæc argumentorum somnia. 155.

Retorsio Dorsch. de hæsitatione, vel falsa vel impertinens.

RESP. I. Cum Dorscheus generatim obijcit & retorquet, *Etiam apud Catholicos stante licet infallibili propositione & autoritate Ecclesiæ, ex parte subiecti posse esse incertitudinem:* Vel intelligit hanc incertitudinem habere locum in ipso actu & assensu supernaturali Fidei diuinæ: vel reperiri sine assensu fidei in illis, qui ex ignorantiâ aut infirmitate, infallibilitatem propositionis & veritatis propositæ, non assequuntur, aut ex malitiâ eam repudiant, vt explicauimus n. 122. Neutrum potest dici, ergo malè obijcit & retorquet Dorscheus. Maior constat, quia non datur tertium. Minor probatur. Si dicat prius, manifestè conuincitur falsi, assensus enim fidei diuinæ, ex omnium sententiâ, etiam ex parte subiecti cognoscentis, est certus & infallibilis. Si posterius, tum argumentum ex distinctione incertitudinis obiectiuæ & subiectiuæ petitum, est prorsus impertinens. Illud enim inter nos controuertitur: *Vtrum ex solâ Scripturâ, doctrina Fidei infallibiliter per consequentias saltem possit erui: sic vt conclusionibus inde elicitis possimus assentiri Fide diuinâ, qui assensus in omniū sententiâ requirit certitudinem tam subiecti, quàm obiecti?* Cur tu Dorschee transilis ad actus dissensus & cespitationis, quos obiecto licet sufficienter proposito, posse elici nemo negat? alioqui assensus Fidei esset necessarius, non liber. Tales autem actus forent illorum, qui Catholicos se professi, stante licet infallibilitate propositionis, aut autoritatis Ecclesiæ, tuis vel similibus obiectamentis, ab assensu Fidei diuinæ se dimoueri sinerent, vel impediri.

Transilit ex controuersiæ statu aliò.

Stante propositione ex solâ Script. nunquam perueniтur ad certitudinem.

Vnde vlterius tuo aduersùm te pugnamus telo: Qui stante propositione, quam putant esse sufficientem & infallibilem, ac certitudine obiecti in se: nunquam possunt peruenire ad certitudinem subiecti, illi carent verâ Fide. Acatholici sunt tales, vt non obscurè partim agnoscit Dorscheus, qui ideo videtur confugisse ad distinctionem incertitudinis subiectiuæ & obiectiuæ: vt hoc pallio tegeret incertitudinem assensus, ex solâ Scripturâ pendentis, & tam multas ambiguitates nobis obijcit,

vt in Societatem hæsitationis trahat: in quâ fluctuare omnes Euangelicorum consequentias, si non formæ, saltem materiæ vitio demonstratum est; Ergo sequitur illos carere certitudine Fidei, imò etiam Theologiæ.

Resp. II. Generatim perplexitatibus, quas texit Dorscheus, nemo cordatus à veritate Catholicâ in praxi se abstrahi sinet. Omnia enim Ecclesiæ Romano-Catholicæ dogmata ad fidem & mores spectantia, abundantissimè sunt à *Pontificibus & Concilijs definita, Catechismis & Formulis professionis Fidei, alijsq; pijs libellis dilucidè comprehensa, communique Catholicorum consensu & praxi recepta*, vt de Fidei definitionibus ad salutem necessarijs vel conducentibus nemo ambigere possit, vel nouo recursu ad Pontificem vel Concilia opus habeat. Quin hoc ipso argumēto sibi fideles meritò persuadent, si nouæ hæreses aut vrgentes causæ, nouas Pontificum & Conciliorū definitiones aliquando exigerent: Deum prouisurū, vt non minùs quàm ante hâc, ritè fiant, & fidelibus omnibus innotescant, ac communi consensu recipiantur. Sed decutiamus porrò aranearū Dorscheanū telas. Dogmata Catholica dilucidè sūt definita & proposita.

Catholicos de Pontificijs & Conciliorum definitionibus perplexos non esse.

Ad 1. 2. 3. 5. Dicimus. Catholicum populum non fore solicitum, si aliquid noui credendum proponeretur, Vtrum Pontifex egerit vt priuata persona, vel vt publica, vel priuatim sit hæreticus, aut vtrùm sit quæstio facti? sed acquieturum suis Episcopis ac Pastoribus, si aliquid proponant tanquam de Fide à Sede Apostolicâ definitum. Quâ in sententiâ confirmabit illos praxis, cum videbunt in alijs Episcopatibus idem acceptari, nec quemquam etiam ex doctis, dissentire aut repugnare. Vnde vanescit quoq; quod 5. obijcitur speciatim de illis, qui credunt Pontificem etiam absq; Concilio errare non posse: similiter enim (præterquā quod sententia hæc non est de fide,) credent Episcopis, Pastoribus, Doctoribus suis, qui non ignorant, 156. Catholici non soliciti sunt de mēte & definitione Pontificis, vel Conc. Hæc citò innotescunt.

quid Pontifices absolutè definiant & directè, & vtrùm decretũ sit per legitimã promulgationẽ penitus cõpletũ. Hæc enim singillatim examinare non est singulorũ fideliũ. Si dubia eiusmodi incidant, modico tractu temporis tolluntur per communẽ Ecclesiæ acceptationẽ, quæ diu non potest latere. Vel si error aut grauis difficultas obijciatur, Dei prouidentia interuenit, ne promulgentur, vel vt maturè reuocentur. Deniq; semper patet recursus ad Pontificem, mentémq; illius licet per Pastores & DD. explorare. Ad crambẽ Sixtinã respondimus n. 92. & 95.

Dispar ratio Scripturæ.

Porrò, quod quærit, cur *non ità discursiuè, & tutò liceat versari circa Sacras literas?* RESP. Quæcunq; in Scripturis continẽtur, Spiritu S. dictante esse conscripta, adeóq; respectu certitudinis & reuelationis non licet distinguere inter probationes, & conclusiones: nec inter ea, quæ obiter & incidenter dicuntur, ac ea, quæ directè determinantur. Nihil enim obiter, sed omnia directè Spiritus S. Prophetis & Apostolis inspirauit, vnde omnia sunt æqualis certitudinis, quatenus illa à diuinâ veritate pendet. Non autem perinde facile ac tutum est inuestigare sensum Sacrarum literarum, quàm decretorum Pontificis, neque enim hæc tam possunt trahi in diuersos sensus, quàm illæ. Nec deniq; datur recursus ad Prophetas & Apostolos, sicut ad Sedem Apostolicam, vt possit sententia illorum similiter explorari. Vnde etiam colligitur discrimen inter Scriptores Canonicos, & Pontifices ac Concilia.

Spiritus S. dirigit Pontificem conuenienter humanæ conditioni.

Cauillus verò est, cum dicit *Spiritum S. in assistentià sua facere interualla, & deliquia, vt in his quidem verbis definitiuè & infallibiliter, in alijs autem probatiuè tantùm, & incidenter loquatur.* Gubernat Spiritus S. Ecclesiam conuenienter humanæ conditioni. Solent autem homines ratiocinatione non semper simplici, sed pluribus argumentis comprehensâ, veritatem inuestigare, eámq; assequi: etsi non omnes rationes necessariò concludant, sed aliquæ probabiles, aut solùm congruentes interueniant. Sic igitur idem Spiritus S. suauiter simul & fortiter, intel-

lectum

lectum Pontificis disponit & gubernat, vt rationibus eiusmodi vtatur more humano: quæ non infallibiliter quidem, ad conclusionem tamen infallibilem ducant, Spiritu S. infallibiliter dirigente. Quare non est necesse probationes, & quæ incidenter dicuntur, tum à Pontifice, tum à Concilijs esse de Fide, etsi Conclusiones sint de Fide. Id potiùs edicat Dorscheus, cur in Ecclesiâ Euangelicâ, tanta Spiritus S. *faciat interualla, & deliquia, vt patiatur Cōcilia, & Patres non singulos duntaxat, sed omnes, totámq; Ecclesiam, simul errare, eorúmq; doctrinam cuiuis priuato & idiotæ, iuxta Scripturas examinandum subijciat?* Apparet hâc quidem ratione Concilia esse frustratoria, & Patres ac Doctores cum ipsâ Ecclesiâ superfluè, ac supernumerariè institutos. Retorsio in Euangelicos.

Ad 4. similiter dicimus: Fideles acquiescere suis Episcopis, & Pastoribus, qui Concilia mandato Sedis Apostolicæ, tanquã legitimè celebrata, eorúmq; decreta promulgant. Quorum autoritatē Ecclesiæ vniuersæ acceptatio confirmat, & extra omne dubium ponit. Sic acceptata fuêre prima quatuor Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, quæ *sicut S. Euangelij quatuor libros se suscipere, & venerari fatetur S. Gregorius Magnus.* l. 1. Regist. ep. 14. & refertur d. 15. c. sicut. Sed hodie scilicet, reuocabuntur in dubium, scrupulos mouente Dorscheo: An Pontifices, *qui hæc Concilia indixêre, ipsáq; Concilia seorsim, vel coniunctim affirmârint se esse legitima?* Vtrum *coniunctio fuerit legitima? an in eâ discernendâ non interuenerit deceptio? ipsiq; historici, qui hæc tradiderunt, non deceperint, aut fuerint decepti?* Quâ quidem ratione Symbolum Nicænum quoq; nutabit, non enim aliunde, quàm à dicto Concilio habet autoritatem, neq; maioris est certitudinis, quàm illud fuerit. Dorscheanæ autem cauillationes, vel contra Nicænum etiam Concilium procedunt, vel contra nullum legitimè indictum. 157. Conciliorū decreta, quomodo innotescant. Dorscheus per latus Conciliorū Symbolum Nicænum vocat in dubium.

Redarguitur deniq; Dorscheus ipsâ rei euidentiâ. Quàm enim obscurum non est Cæsari, Regi, & statibus siue seorsim, siue coniunctim sumptis, an *Comitia Imperij generalia sint legitimè indicta?* Refellitur euidenti exemplo de Concilijs

Imperij & Regnorum.

dicta? tam clarum & notorium est Pontifici, & cuiusuis Concilij Patribus, *sitne illud verè vniuersale, & legitimè celebratum?* Neque minùs, imò tanto magìs potest ac debet credi istis affirmātibus, *hoc vel illud esse Concilium verè generale,* quàm illis asserentibus *hæc vel illa esse vera ac generalia Imperij Comitia:* quanto certius est Deum non passurū Ecclesiam decipi in rebus ad doctrinam Fidei pertinentibus, quàm certum sit ex Imperatorū, Regum & statuum sensu & attestatione, rectè discerni Comitia legitima ab illegitimis. Vt verò necessarium absolutè non esset celebrari Concilia generalia, cum tamen Spiritus S. veluti saluberrimū aduersùs hæreses & errores remedium, illa instituerit: pertinet ad Religionem, vt quæ ab illis in causâ Fidei & morum decernuntur, ac vniuersis proponuntur Fidelibus, nulli sint obnoxia errori.

Concilia generalia remedium aduersùs hæreses.

Non ideo fallibilia, quia rara & tarda.

Quod Tannerus dicit: *Nimis difficile esse hæreses compescere, si idcirco Concilium generale sit conuocandum,* nihil illorum infallibilitati demit, non enim ideo sunt fallibilia, quia rara & tarda. Adhæc Tanner. ibi tuetur sententiam communem, *quod Pontifex etiam solus, siue absq; Concilio non possit errare,* cui consequens est Concilia generalia non esse absolutè necessaria. Sed sicut illud non est fide certum, ità nec istud. Quin imò, si Pontifex solus possit errare, sequitur necessaria absolutè esse dicta Concilia, cum quibus non potest errare. Dorscheo autem quærenti, *quid interea futurum sit, de Sacrarum literarum interpretatione hæsitāti?* Respondemus 1. talem hæsitationem nunc locum non habere, cum omnia ad salutem necessaria, apud Catholicos per Cōcilia præterita sint abundè definita & explicata. Si talis hæsitatio incideret, saluti cuiusuis consultum foret, si paratus esset *interpretationem Concilij generalis secuturi amplecti.* Neque aliter consultum fuit primis fidelibus, quando ortâ seditione de seruandâ circumcisione, & Lege Moysis, Act. 15. expectare debuerunt sententiam primi Concilij Apostolici, quod ibidem describitur.

Si Pontifex solus potest errare, sunt absolutè necessaria.

Quid faciendum opus, dum expectatur Conc.

Electionem

Electionem legitimi Pontificis, ex vniuersæ Ecclesiæ acceptatione, compendio demonstrari.

Ad 6. RESP. Argumentum de electione Pontificis, quo in nos arietat Dorscheus, esse leuis armaturæ. Esto Maior: *illos, qui neq; ex prætensione, siue propositione Canonicæ electionis, neq; ex acceptatione Ecclesiæ certi sunt de legitimo Pontifice, non esse certos de Fide & salute.* Negamus autem Minorem: *Nos Catholicos neutro modo de legitimo Christi Vicario esse certos,* sed dicimus vtroque modo nos esse certos, imò ex his duobus modis conflari vnum adæquatum modum: supponit enim Ecclesiæ acceptatio legitimam electionem. Christus enim Ecclesiæ Sponsus, *qui est nobiscum vsq; ad consummationem seculi,* non patitur illam in re graui ad Religionem pertinente falli, vt videlicet pro legitimo Pōtifice acceptet illegitimè electum. Ad quod Tanneri & omniū Catholicorum generale argumentum, ac veluti commune principium nihil respondet, imò nec hiscit quidem Dorscheus, eóq; ipso minorem suam suspicioni falsitatis exponit.

158. Falsum est nos neq; ex electione, neq; ex acceptatione certos esse de Papâ.

Vtroq; modo certi sumus. Christus non sinit Ecclesiam falli in re tam graui.

Neq; obstat physicè loquendo posse interuenire occultum impedimentum, moraliter quippe certum est, id fieri non posse. Sicut enim ex fine sequuntur media, ità ex eo, quod Deus Ecclesię contulit immunitatem erroris in rebus ad Religionem pertinentibus: consequenter speciali curâ disponit, vt is, qui in Pontificem eligitur, eas omnes conditiones habeat, quæ ad Pontificatum absolutè sunt necessariæ. Etsi verò certitudo legitimæ electionis & acceptationis, à testimonio pendeat humano, Cardinalium videlicet, & aliorum fidelium: nihil id officit certitudini siue fidei, siue Theologicæ, *quâ credimus, siue concludimus Innoc. X. esse legitimum Pontificem;* non aliter enim hoc à testimonio pendet humano, quàm Fides à proponente, quæ ideo non nutat.

Deus disponit, vt Papa electus habeat necessarias conditiones.

Confirmatur ex historiâ Ecclesiasticâ, in quâ licet contineantur schismata, non pauca, siue electiones simultaneæ pluriū Pontifi-

Confirmatur id historia Ecclesiasti-

ea, & Ecclesiæ necessitas.

Pontificum, ità vt aliquo tempore dubium esset, quis ex duobus, vel pluribus electis foret legitimus Pontifex: nunquam tamen legimus vniuersam Ecclesiam in Pontificem conspiràsse, qui verus Pontifex non esset, Afferret enim illud perpetuum & irreparabile damnum, eo saltem casu, si existimatus eiusmodi Pontifex, cum Concilio generali aliquid definiret; putaretur id enim esse infallibile, cum tamen Conciliũ generale sine vero Pontifice, tanquã capite suo, non sit legitimum aut infallibile. Contrà, si in Schismate hic vel ille Pontifex aliquid definire attentet, non est tantum periculi, quia non habetur certũ, donec innotescat, quis sit indubitatus Pontifex, & id, quod in Schismate definitum est, eius autoritate stabiliatur.

Acceptatio Ecclesiæ fit notoriâ intra breue tempus.

Quæ de acceptatione porrò quæritat Dorscheus, futilia sũt. Ad 1. & 2. dicimus: Acceptationem Ecclesiæ infallibilem nõ solùm esse, verùm etiam euidentem, ac notoriam. Constat enim intra breue tempus de legitimâ Pontificis electione ex Episcoporum, Pastorum, Doctorum consensu, quando apparet vbiq; electo Pontifici deferri obedientiam & subiectionem, nec quidquam audiri de factæ electionis, aut ipsius Pontificis impugnatione; recipi, & publicari sine contradictione eiusdem mandata; pro illo expresse in diuinis officijs orari; à Notarijs & alijs confici instrumenta publica, apposito eiusdem nomine, & Pontificatus anno. Quæ aliáq; similia notorietatem & euidentiam moralem pariunt. Fatuè itidem 3. quæritur, *an Ecclesia in hâc re sit infallibilis secluso capite?* Electio enim & acceptatio Pontificis non fit ipso ignorante, neque potest secludi ab acceptantibus, is qui acceptatur.

Ex obedientiâ Episcoporum & DD. &c publicis pro electo precibus. &c

Acceptatio hæc non requirit facultatem definiendi.

Nec 4. Acceptatio legitimi Pontificis requirit aliquam potestatem, definiendíq; infallibilitatem, sed notorietatem suprà explicatam, postquam enim constat electum nemine reclamãte haberi pro vero Pontifice: Fideles omnes concipiunt eiusdẽ venerationem, ac propositum veluti Vicario Christi obediendi, prout jure diuino obligati sunt. Non est ergo acceptatio

hæc ar-

hæc argumentum alicuius potestatis, sed obligationis. Vnde ruit postrema quoq; quæstio: *Cur Deus non omnibus fidelibus concesserit, vt sint infallibiles in intelligentiâ veri sensus, & intentionis Sacrarum literarum?* Neq; enim illa acceptatio est facultas aliqua definiendi vt diximus; neq; Sacrarum literarũ sensus euidentiam habet, vt fideles sine alio adminiculo possint illum habere perspectum: sicuti euidens est acceptari vt legitimũ Pontificẽ, quem omnes nemine reclamante pro tali habent. *Fuisse facilius aut accomodatius, vt omnibus Deus concederet intelligentiam Scripturarũ* tam facile negatur, quàm asseritur. vide dicta. n. 47.

Cur non omnes fideles infallibiles in Script. intelligentiâ?

Ad 7. RESP. 1. Ad probandum Pontificis cuiusuis, legitimum Pontificatum ex electione & acceptatione, eo quem explicauimus, modo, nequaquam opus esse longo consequentiarum tractu, sed vt summũ vnâ, vel duabus, videlicet: *Deus Ecclesiam suam, quæ est columna & firmamentum Veritatis, in re graui ad Religionem pertinente falli non patitur; Acceptatio electi Pontificis per vniuersam Ecclesiam, est res grauis ad Religionem pertinens; Ergo in acceptatione electi Pontificis, Deus Ecclesiã falli non patitur.* Maior est per se nota ex Scripturis, traditione, ratione, & instar principij. Minor itidem est manifesta; sequitur ergo ex Maiori reuelatâ, & Minori naturaliter aut moraliter euidente, hęc Conclusio; adeóq; vel reuelata, vel saltem Theologicè certa & infallibilis. Hæc consequentia siue discursus, ad hunc vel illum Pontificem sic applicatur per alteram hanc Consequentiam. *Deus Ecclesiam vniuersam in acceptatione electi Pontificis falli non patitur, vti probatum est; Electionem Innoc. X. probat acceptatio vniuersæ Ecclesiæ*, nec enim quisquam Catholicorum eam impugnauit, aut impugnat, vti notorium est. Ergo Deus Ecclesiam in hâc acceptatione falli non patitur. Quæ conclusio itidem vel fide certa est, juxta aliquos (qui tenent Conclusionem ex vnâ reuelatâ, & alterâ naturali deductam, esse reuelatam) vel habet certitudinem Theologicã, quæ & ipsa est infallibilis, vt diximus n. 29.

159. Ad probandum legitimum Pontificatum duabus consequentijs opus.

Conclusio vel est fide certa, vel Theologicè.

Breuiùs res redigitur ad vnum hunc syllogismum: *Quidquid fit ab*

Breuiùs idẽ fit per vnum syllogismũ.

sit ab vniuersâ Ecclesiâ tanquam pertinens ad Religionem, est extra periculum erroris, vt patet ex dictis & dicendis. *Acceptatio Innocentij X. electi in Pontificem fit, vel facta est ab vniuersâ Ecclesiâ, tanquam pertinens ad Religionem*, vt per se patet, & notorium est. *Ergo est extra periculum erroris.* Quid breuius, quid solidius?

Etsi longiori tractu opus foret, est causa Dorschei deterior.

RESP. 2. Etsi *longiori consequentiarum tractu opus foret*, nihilominus Kircherus meritò vobis obijceret longos consequentiarum ex *iudicio tantùm humano pendentium tractus*, propter ambages vestras, quas exhibuimus num. 31. & 32. Quibus illud quoq; nunc accedit, quod expressis, aut æquiualentibus Scripturæ terminis destituti, cogimini confugere ad Logicam: & consequentiarum regulas, vestris Idiotis & Vetulis inculcare. Nemo enim de Conclusione certus est, nisi constet consequentiam nec in formâ peccare, nec in materiâ. In vtrâq; autem, vel alterutrâ, consequentias vestras peccare, ideóq; *illas à iudicio tantùm pendere humano*, rectè dixisse Kircherum ostendimus n. 147. In neutro autem peccant consequentiæ nostræ, quas ex *Scripturis, Concilijs, Traditione* deducimus, vt adeò Kircheri propositio nullâ ex parte nobis præiudicet, vel Dorscheo faueat.

Besoldi, Peronij &c, argumenta inuicta.

Stabunt inuicta *Kircheri, Speculatoris, Besoldi, Peronij, Corterij, Veronij, & aliorum Catholicorum argumenta.* Id à vobis postulauimus & postulamus 1. Vt per terminos expressos aut æquiualentes Scripturæ, probetis vestra, vel reprobetis nostra, sine vllâ glossâ, aut mutatione. Ad hoc tenemini, quia iactatis doctrinã ex puro & expresso Dei Verbo, desumptam. 2. Cum hoc præstare non possitis, admittimus gratis vos ad consequentias. Sed iure nostro petimus vel vnã, quæ in formâ non peccet, vel materia. Non *soluimus vim Consequentiarum*; habemus innumeras nõ minùs ratione materiæ quàm formæ infallibiles. Vide dicta n. 143. & 144. Vestra hæc culpa est, quorum consequentiæ, si in formâ non peccant, laborant materiæ falsæ vel ambiguæ vitio, non aliter quàm gladius ligneus, vel plumbeus: qui vt formam gladij referat quàm accuratissimè, tâm defensioni, quàm

Date terminos expressos, vel consequentiam non peccantem.

Consequentiæ vestræ gladius ligneus.

offensioni

offensioni ineptus est. Soluit vim artis fabricandi arma, vel architecturæ, qui retentâ licet formâ, arma non fabricat nisi lignea, & domos extruit non nisi papyraceas aut cereas. Idem vos facitis; & illud præterea, quod ad consequentias faciendas, si de sensu Scripturæ certi esse velint, *Idiotas Logicæ ignaros* adigitis. Vnde alterum demum Paradoxũ illi simile de obligatione discendi literas, quod cap. 1. ventilauimus, emergit, nõ minùs *ad necessariam Fidei doctrinam ex Scripturis solis hauriendam necessariam esse Logicam, quàm Grammaticam.* Cùm autem illorum comparatione, qui literas & Grammaticam norunt, nec centesima pars Logicæ præcepta teneat, vel assequatur: consequẽs est, nec centesimam quidem Generis humani partem, ex Scripturis de Fidei & salutis doctrinâ, eiúsq; verâ interpretatione certam esse, sed de vtróq; periclitari.

Non minùs ad Fidem necessariam faciunt Logicã, quàm Grammaticam.

Pugnas Acatholicorum circa ea, quæ ex solis Scripturis eruuntur, esse signum fallibilitatis.

Ad 8. deniq; negamus, *pugnas & concertationes circa verba, quæ ab vtrâq; parte in causâ Religionis dissentiente, habentur clarissima, non esse per se argumentum fallibilitatis consequentiarum, quæ ex solis Sacris literis eruuntur.* Certum enim est, & irrefragabile, ad verã verborum quorumcunq; claritatẽ non sufficere, vt videantur vel existimentur clara, aut clarissima: sed necesse est, vt nullam rationabilem ambiguitatem habeant, vel admittant. Qualia fortassis sunt *verba Decalogi*; item: *Diliges proximum tuum sicut teipsum* Matth. 5. v. 34. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit*, ibid. 3. v. 17. & similia. Verùm cùm hoc ipsum, *quenã sit rationabilis ambiguitas*, non rarò fiat ambiguũ propter diuersos hominũ sensus, & pugnantes ac præiudicatos affectus, quibus solis causam contrarietatis Dorscheus assignat: frequẽter adhæc, ambiguitas reipsâ subsit, vtrùm v. g. Rom. 6. *concupiscentia peccatum propriè appelletur, an figuratè?* Deniq; passim ambiguum aliquid videatur vni, quod non videtur alteri: nisi ali- 160.

Ad veram verborum claritatem non sufficit existimata.

Variæ ambiguitatis causæ, ideóque necessaria infallibilis regula

quà infallibilis regula adhibeatur, necesse est ambiguitate siue verâ, siue præsumptâ, & præiudicatis affectibus, vnã vel alterã, vel vtrãmq; partem, in causâ Religionis dissentientium, transuersam agi, & à veritate aberrare. Neq; enim *verum est vero contrarium, etsi plura falsa sint contraria vni vero.*

Lites Scholasticæ frustra objiciuntur.

Quæ de litibus circa sensum Concilij Tridentini Dorscheus affert, vim habent nullã; sunt enim lites Theologicæ & Scholasticæ, quas litigantes submittere parati sunt iudicio Sedis Apostolicæ, si aliquid circa has, & quasuis alias controuersias definierit. Præterquam, quòd sensus Concilij de editione vulgatâ, satis patet ex praxi, siue vsu, (qui est optimus legum interpres) vti diximus n. 91. & 98. Indignũ verò est, vt crambe Sixtinæ, quam tertio hìc repetit, quidquam addamus vltra ea, quæ ibi respondimus. De immaculatâ Virgine tàm Dominicani, quàm Iesuitæ & Franciscani, acquiescunt decreto, Conc. Tridentini sess. 5. (cuius Canonem 2. & 3. citat Dorscheus, cum nullum Sessio illa habet, nisi Decretum de peccato originali, quod vnicum est, Canonem appelles) *quo declarat S. Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in suo decreto, vbi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem: sed obseruandas esse Constitutiones felic. record. Xysti IV. sub pœnis in ijs Constitutionibus contentis, quas innouat.*

Crambes Sixtina.

De Conceptione B. V. acquiescimus omnes decreto Tridentino.

Statuit autem Xystus in Constit. quæ incipit *Graue nimis,* & refertur in Extrau. commun. tit. de reliquijs & venerat. Sanctorum, pænam excommunicationis in eos, qui *asserentes, vel negantes B. V. esse sine peccato originali conceptam, hæresis, aut peccati mortalis damnant,* cum neutrum *sit à Romanâ Ecclesiâ, & Apostolicâ Sede decisum.* Neutri igitur sententiam suam propugnant, velut fide certam, sed solùm vt probabilem, etsi argumenta ex Scripturis, Patribus & aliundè conquirant, sed quæ probabiliter solùm suadeant, non infallibiliter, quid credendũ videatur. Neq; in hoc dissensio est inter vllos Catholicos. Controuersia, quam allegat ex Salazare non est *inter Dominicanos & immaculata*

Qui dissideret, neutrum nos fide certam tuetur.

latæ Conceptionis patronos; sed inter hos posteriores, quorum aliqui B. V. solùm à peccati originalis reatu absoluũt, alij etiam à debito illum reatum incurrendi. Quem quæstionis statum à Dorscheo nec intelligi quidem apparet. Dorscheus statum quæstionis non intelligit.

Neutra igitur instantia Cõcilio Tridentino præiudicat, neq; alia, quæ circa illius sensũ (etsi tã multa nullatenus sint, quàm iactat Dorscheus) à Theologis controuertuntur. Quæ ad Fidei doctrinam à Protestantibus impugnatam, & salutem Fidelium necessaria sunt ac conducunt, tam clarè sunt in dicto Concilio definita, quàm clarè in Formulâ Professionis Fidei autoritate Pij IV. comprehensa, toti orbi exhibentur, & ab omnibus Catholicis acceptantur, nullo penitus reclamante. Si quæ obscuriora sine vlteriori definitione Scholis & Theologis permittũtur disceptanda, saluti Fidelium necessaria non sunt. Si verò circa necessaria ad salutem controuersiæ excitarentur, quibus circa talia credenda, vel agenda perplexi redderentur Fideles, ad infallibilẽ autoritatis Ecclesiasticæ regulã pateret recursus. Fidei doctrina clarè a Trid. definita, & Professione fidei comprehensa. Quæ scholis relinquuntur, fidei necessaria non sunt.

Hâc Regulâ destituti Lutherani & Caluiniani, omnésq; Acatholici, dum circa *verba Cœnæ*, Matth. 26. v. 26. & de *Redemptione generis humani*, Ioan. 3. v. 16. *aliáq; Fidei mysteria* ex solis Scripturis pugnant, habent pro Regulâ (sanè Lesbiâ) verba vel reipsâ ambigua, vel opinione, quam partium studio & affectibus in transuersum acti concipiunt. Vnde necessariò consequitur 1. eiusmodi pugnas esse per se argumentum *fallibilitatis Soli-biblicæ*, cum neq; terminos expressos aut æquiualentes, neq; consequentias tam ex parte materiæ quàm formę infallibiles habeant: neq; certitudinis Regulam, quæ est penès Ecclesiam Catholicam, recipiant. 2. Scripturæ sensum in Fidei doctrinâ apud Euangelicos vniuersim nutare, neq; posse illos assensum Fidei supernaturalem, imò neq; Theologicum habere, vt abundè explicatum & demonstratum est. Idq; ipsum confirmãt hæ tot Dorscheí retorsiones, eò vnicè spectantes, vt nostra quoque fluctuare incautis & imperitis persuadeat. Cùm verò eas Regula Acatholicorũ Lesbia, circa pugnas ex Script.

Dorscheus cum suis causâ infallibilis interpretationis cadit.

falsas & fallaces esse euicerimus, neq; ipse præter has retorsiones ad fluctuationem Euangelicorum in sensu Scripturæ eruendo refellendam, quidquam infallibile ac certum attulerit, causâ solidæ & infallibilis interpretationis Scripturarum, ipsum cum suis vidisse manifestum est.

Capitis Anacephalæosis.

161. Dorschei allegationes vanæ omnes.

Nihil igitur toto hoc capite Kircheri aliorúmq; Catholicorum argumentis, autoritatis & efficaciæ detraxit Dorscheus. Nam 1. multas paginas impleuit allegationibus vanis, & ad propositum impertinentibus, vel inefficacibus. Qualis vel maximè (vt finis initio respondeat) ex postrema § 219. vbi citat sermonem quendam Athanasij, ex to. 1. operum illius p. 248. (quem ab alijs ait, tribui Maximo Constantinopolitano) *aduersùs eos, qui nec quærendum, nec loquendum ex Scripturâ præcipiunt, sed in suâ Fide acquiescendum. Coercendam* esse ait autor, *eorum audaciam, qui omne Sacrarum literarum studium superuacaneum esse contendunt &c,* & paulò post: *Quas ergo parant insidias, qui magnorum cælestis Regis oraculorum curâ studióq; volunt interdictum &c.?* Aërem verberas Dorschee. Nihil iste, quisquis est, aduersùs nos sermocinatur. Neq; enim præcipimus *nec quærendum, nec loquendum esse ex Scriptura*; nequaquam *superuacaneum esse contendimus omne Sacrarum literarum studium*; non volumus *illarum curâ studióq; esse interdictum &c.* Illud duntaxat asserimus, *Scripturas solas non sufficere*, sine aliâ credendi regulâ infallibili. Iste ipse sermocinator *Fidei per auditum* meminit & *Eunuchi Candacis Reginæ*, cui datum asserit *à Deo Doctorem, qui lectionis nebulas interpretatione discuteret*, significat ergo auditum & interpretationem quoq; requiri, neq; solam Scripturæ lectionem sufficere.

Et vel maximè postrema.

2. Falsò asserit *humanas literas vniuersim, suos sensus de se fundere, sine fallaciâ & ambiguitate.* Num. 137.

3. Insigniter fallit in allegando *Augustino & Chrysostomo.* n. 139. & 140. Est reus *stellionatus* ibid.

4. Al-

4. Allegat dubias *Theologorum & Scholarum sententias contra Catholicam Fidem*; ad quam oppugnandam nihil afferre deberet, quod non sit in Scripturis expressum, aut à Pontificibus & Concilijs definitum, tanquam Fide certum, num. 145. Quod peccatum peccat sæpiùs.

5. Quæ ex *Augustino de sententijs & consequentijs* affert, contra ipsum Dorscheum militant. vt ostenditur num. 146.

6. Secum pugnat. num. 149. 151. &c

7. Distinctionem inter *certitudinem subiecti & obiecti* nimis quàm impertinenter introducit, eóque ipso caput suum petit. num. 152. & 155.

8. Vanis & fallacibus retorsionibus in *Societatem fallibilis Scripturarum interpretationis Catholicos trahere nititur*, eóq; ipso cum nihil aliud pro infallibilitate Euangelici sensus solidum, afferat, vel infallibile: fatetur, aut fateri cogitur, non posse Euangelicos interpretationi suæ assentiri Fide diuinâ, aut certitudine Theologicâ, num. 153. & seqq.

Ex hâc Capitis 5. Dorscheani infelici summâ, & toto illius decursu, sic argumentatur: *Qui neq; ex autoritate Maiorum, neque ex Scriptura expreßis aut æquiualentibus verbis, neq; ex consequẽtijs inde deductis, de vero Sacrarum literarum ad Fidei & salutis doctrinam necessario sensu, certi sunt, aut esse possunt, neq; aliam infallibilem in his Regulam vel autoritatem habent, aut admittunt; illos de Fide & salute incertos esse & periclitari necesse est*, vt per se patet. *Tales sunt Euangelici*, vt hactenus demonstratum est. *Ergo illos de Fide & salute incertos esse ac miserè periclitari necesse est.* 162. Tota Capitis summa vno argumento absoluitur.

Verissimis igitur his verbis caput istud rectè absoluit Kircherus: *Remotis alijs sola superest tandem Ecclesia, quæ vti interpretandi munere fungitur, ex mandato diuino, ità infallibilitate etiam gaudet, ex diuinâ promißione. Hanc cum fallibilem statuant Lutherani, nec alijs interpretandi medijs stare etiam poßint, vt ostensum: de nullo sensu Scripturæ, ac per consequens de nullo Fidei articulo certi esse possunt infallibili ac diuina Fide. Sic ergo patuit vniuersa structura* Verissima Kircheri conclusio.

huius

huius ædificij Soli-biblici: *cuius sublato fundamento, non possunt non ruere vnà, quæcunq; super eodem fuerint extructa.*

Finimus igitur hunc de priori controuersiarum cardine, Scripturâ inquam, disceptationem: & Dorscheo, ac bonæ mẽtis Euangelicis, irrefragabile argumentum, quod formauimus num. 1. in memoriam reuocamus.

Illa Ecclesia, quæ caret infallibilitate dirigendi Fidem & mores, per Regulam Scripturæ, quam habet Vnicam, est deserenda, vt per se patet.

Ecclesia Euangelica caret infallibilitate hâc, tum respectu maximæ partis generis humani; tum ratione incertitudinis diuinæ autoritatis Bibliorum; authenticæ itidem versionis; nec non Canonis; ac vel maximè veri sensus & infallibilis interpretationis; vt hactenus dispulsis omnibus, quas Dorscheus obiecit, nebulis, diuinâ bene fauente gratiâ demonstratum est.

Ergo Ecclesia Euangelica est deserenda. Quod dum fecit Kircherus, à veritate nequaquam deuiauit, sed regiam viam reperit perueniendi ad eum Dominum, *cuius Veritas manet in æternum.*


Ps. 116. v. 2.



PARS II.

DE ECCLESIA.

Cum certitudinem Fidei Christianæ in solis Scripturis non fundari demonstratum sit: ad infallibilem Ecclesiæ autoritatem, necessariò ab omnibus confugiendum esse.



Emonstrata Scripturæ solius, ad salutarem doctrinam, illámque Fidem, *sine quâ impossibile est placere Deo* Hebr. 11. v. 6. insufficientiâ, consequens apparet, apud prætensos Euangelicos nihil superesse certitudinis. Cum enim eius summam in eâ doctrinâ collocent, quam expressis Scripturæ verbis, aut euidentibus inde deductis consequentijs iactant contineri, vtroque autem istorum illos destitui cap. 5. euicerimus: cùm præterea Ecclesiæ suæ autoritatem & infallibilitatem ab hâc doctrinâ vnicè suspendant, illíque inædificent: necesse est nutante fundamento, ruere & conuelli omnia, neque magis fidendum, esse tali Ecclesiæ, quàm solis Scripturis, neq; his magis quàm illi. 163. Nutante fundamento Soli-biblico, nutat Ecclesia illi inædificata.

Quos incertitudinis Soli-biblicæ, seu fluctus, seu infelices nouatæ superiori seculo Religionis fructus, considerans Kircherus, meritò oculos & animum ad infallibilem Ecclesiæ autoritatem adiecit. Quam nisi à Christo constitutam credimus, cùm præter Ecclesiam, & Scripturam, aliam fidei Regulam (si Scvvenkfeldij & Libertinorum Spiritum priuatum, seu veriùs enthusiasmum excipimus) hactenus protulerit nemo: fateri necesse est, certam veritatis, & vitæ æternæ reperiendæ viam, nobis nequaquam demonstratam esse, aut reseratam: quod longè alienum est ab eius bonitate, misericordiâ, & iustitiâ, qui *est Via, Veritas, & Vita* Ioan. 14. v. 6. & *vult omnes homines saluos fieri.* 1. Tim. 2. v. 4. Nulla Fidei Regula præter Ecclesiā & Scripturā.

Quare generale fortissimúmque hoc, ex ipsâ Scripturæ insufficientiâ, pro infallibili Ecclesiæ perpetuaque autoritate e-

Ex Scripturæ solius in sufficientiâ, colligitur Ecclesiæ sufficientia.

xistit argumentum: *Reliquit Christus sufficiens aliquod ac certum Doctrinæ Christianæ addiscendæ & intelligendæ medium*: istud solis Scripturis non continetur, vt demonstratum est: Ergo (cum aliud non supersit) in Ecclesiæ autoritate, quæ sit omnis veritatis reuelatæ interpres ac magistra, repositum est. Hanc portò quàm solidè inuestigârit, certísque vestigijs Kircherus deprehenderit, ostendamus: frustra obnitente Dorscheo.

CAPVT VI.

Ab Apostolorum inde prædicatione semper fuisse hactenus: & ad judicij vsque diem futuram veram, eámq. visibilem Christi Ecclesiam.

KIRCHERVS.

164. Tres propositiones præmittit, deinceps singillatim demonstrandas.

EX ijs ait Kircherus n. 14. f. 39. *quæ de incertitudine Lutheranæ Fidei, in medium iam adducta fuerunt: de constitutione Catholicorũ liceat modo quodam iam diuinare. Cæterum ne supponere videamur, quæ in quæstione ponuntur, tres assertiones præmittamus.*

I. *Igitur assertio esto*: Ab Apostolorum inde prædicatione (illud enim punctum hìc maximè respicimus, cæteris non exclusis) semper fuit hactenus, & ad judicij diem vsque futura erit, vera quædam, eáque visibilis & conspicua Christi in terris Ecclesia.

II. Hæc vera & visibilis Ecclesia non potest deficere tota, vel in quodam Fidei articulo errare.

III. Ecclesia Romana toto terrarum orbe diffusa, est illa vera Ecclesia, de quâ modò.

His positis & adstructis, vltro patescet summa animi tranquillitas & certitudo, quam omnibus suis filijs præstat Ecclesia Romana.

Ex incertitudine Lutheranorũ, rectè diuinat Kirch. de certitudine Catholicorum.

Ità est; rectè diuinat Kircherus, ex incertitudine Fidei Lutheranæ (& idem est de Caluinianâ, cum in potissimis de Ecclesiâ & Scripturâ fundamentis, consentiant) de certitudine Fidei Catholicæ. Sed sapienter, etsi in re certâ, certitudinem Ecclesiæ generatim primùm inuestigat: & tum, vtrùm hæc certa & infallibilis Ecclesia, sit ipsa Ecclesia Romana, ad quam

transijt?

transijt? Disputamus enim contra illos, qui certissima quæque inuadentes, nihil neque sibi, neque nobis, vti apparet, certi relinquere sunt obstinati.

Verùm Dorscheus vim argumentorum Kircheri formidans, non solùm hoc caput in summam initio conglobatim cogit, verùm etiam in septem argumenta distribuit, cum Kircherus quatuor solum faciat. 1. *ex Scripturis.* 2. *ex Symbolo Apostolico.* 3. *ex sententia Patrum.* 4 *ex ratione.* Quæ autem multiplicat Dorscheus, ad firmanda hæc quatuor pertinent, & maiorem vim habent coniuncta ijsdem, quàm seiuncta. Nos igitur sensum & Methodum Kircheri, in argumentorum numero sequamur. 165.

Methodum Kircheri sequimur.

DORSCHEVS.

Replicat Dorsch. § 221. *si sunt reciproca: Ecclesia vera & visibilis, semper manens vsq; ad diem iudicij: & , Ecclesia non potens deficere, ac tota in aliquo errare, &c. Hoc est, si ista indefectibilitas, & ab erroribus immunitas est Veritas Ecclesiæ: tunc omnino altera propositionum ex duabus prioribus, frustra collocata est. Si verò Veritas & Perpetuitas Ecclesiæ amplius quiddam sunt, quàm hæc à defectu atq; errore immunitas: iam hoc sequetur. posse esse veram & perpetuam Ecclesiam, quæ tamen erret atq; deficiat tota.*

Altera Kircheri propositio superflua, aut falsa.

RESPONDETVR.

RESP. Qui Logicæ præcepta non tenet, eum in Theologicis aut vacillare, aut errare necesse est; est enim Logica omnium scientiarũ ianua, à quâ hic non leuiter aberrat Dorscheus. I. Si reciproca aliqua sint, existimat continuò tautologum eum esse, qui distinctam de vtroq; tractationem instituit. Atqui verò Proprium quarto modo reciprocari cum eo, cuius proprium est, *vt risibile cum homine, respiratiuum cum animali*, Tirones Logicæ ex Isagoge Porphyrij cap. 6. de proprio discũt: neque superuacuè hominis & animalis naturam, seorsim à proprietatibus eorundem explicari sciunt. Non ergo frustra Kircherus duas priores propositiones collocauit, sed duas Veræ Christi Ecclesiæ proprietates explicauit, perpetuitatem, & erroris

Qui reciproca seorsim explicat, non est ideo tautologus.

roris immunitatem; quæ licet vtraque cum eâdem verâ Christi Ecclesiâ reciprocentur, peculiarem tamen quæque considerationem postulat.

Etsi proprietates differũt ab essentiâ, non ideò possunt ab illâ separari.

II. Ab ijsdem Logicæ Tironibus Theologiæ Doctor discat; etsi veritas siue essentia rei amplius quid sit, quàm proprietates, quæ inde fluunt, non tamen hinc sequi: posse rem consistere sine proprietatibus siue secundi, siue quarti modi. Amplius quid est homo, quàm tantùm risibilis aut mortalis; amplius quid est animal, quàm vt solùm respiret, aut nutriatur: necessariò tamen homo est risibilis & mortalis, necessario animal respirat & nutritur; neque illud ab homine, aut istud ab animali abesse potest. Veritas humanæ essentiæ in eo est, quod homo sit animal rationale; natura animalis est, esse corpus sensitiuum: inde hæ aliæque proprietates emanant.

Proprietas & infallibitas duæ Ecclesiæ proprietates.

Ecclesiæ Christi veritatem, pro suo instituto Kircherus, per has duas proprietates, perpetuitatem inquam, & erroris immunitatem, duabus propositionibus designauit. Neutra à verâ Christi Ecclesiâ diuelli potest. Perpetuitatem promissiones diuinæ ostendunt: erroris immunitatem finis, quia ad cauendos errores est instituta. Si quærat Dorscheus, in quo consistat Ecclesiæ Christi Veritas? dicimus eam consistere *in conformitate cum institutione CHRISTI*; siue eam esse veram Christi Ecclesiam, quam ipse instituit, & sic definire placet: *Ecclesia Christi est Congregatio siue Societas hominum, Christi fidem, siue Religionem profitentium & exercentium, sub legitimorum pastorum obedientiâ.*

Veræ Ecclesiæ descriptio.

Cum porrò sæpe Veritas rei, non ex solâ essentiâ, sed proprietatibus quoque æstimetur, hoc sensu perpetuitatem & erroris immunitatem pertinere ad Ecclesiæ Christi Veritatem, non inficiamur: modò id contra Dorscheum sit compertum, absque tautologiæ, siue frustratoriæ repetitionis vitio, proprietates siue reciprocas, siue non reciprocas (imò ipsas essentiæ cuiusque partes, v. g. genus & differentiam) seorsim rectè tractari & explicari.

§. I. *Apho-*

§. I.

Aphorismos, quos de Ecclesiæ visibilitate statuit Dorscheus, illusorios esse & fallaces, contrarijs Aphorismis demonstratur.

DOrscheus §. 222. vt lectoris oculos, veluti puluere insperso, retundat, ne vim argumentorum Kircheri de Ecclesiæ perpetuitate perspiciat, Aphorismos quindecim agglomerat: quos vbi cordatus quispiam perlegerit, indignabitur, speciosis Ministrorum suorum verbis Euangelicos tam turpiter deludi. Recensebimus illos compendio.

DORSCHEVS.

I. *Ecclesia tempore Apostolorum plantata, durabit vsq; in finem, iuxta promissiones clarissimas.* 166.

II. *Hæc semper fuit, & futura est Visibilis, ratione aliquarum actionum sensibilium, commonefacientium de aliquo Religioso cœtu; quia regnum gratiæ non omnino nullis extrinsecis actionibus perficitur.*

III. *Hæc ipsa visibilitas, recipit magis & minus: prout maior nunc est ille cœtus, nunc minor, nunc in pluribus locis, nunc in paucioribus; & prout ipsæ actiones nunc intensiores, nunc remissiores, nunc integræ sunt, nunc mutilæ.*

IV. *Semper eadem Ecclesia tantùm conspicua fuit, quantũ diligenter inquirentibus ad salutem fuit sufficiens, Act. 17, v. 27. semper enim mansit Scriptura alicubi exposita, Baptismi vsus, prædicatio Verbi Diuini, S. Cœna sub vtraq; specie etiam tum, cum in Occidente fuit mutilata.*

V. *Semper iuxta hæreses & AntiChristianismum, licet nonnunquam tenuiùs, fulsit pressa quidem, non oppressa tamen veritas.*

VI. *Etiam, vbi hæc prædominari videntur, non æquabiliter omnes & omnia subuertunt. Non tantum Sathanæ permittit Dei prouidentia.*

VII. *Quanquam Ecclesia visibilis ibi sit, vbi actiones illæ Religiosæ diuinitus institutæ, aut in tantum, aut in totum exercentur: non tamen omnes, qui ad illas congregantur, sunt visibilis Ecclesia, quia non omnes ità cohærent Deo, vt pro visibili Ecclesiâ singuli haberi possint.*

VIII. *Interim certum est, vbi actiones diuinæ & sanctificantes sunt in vsu & continuatione, ibi esse membra Ecclesiæ vera, licet quoad indiuiduum demonstrari nequeant.*

IX. *Etiam, vbi Verbum diuinum coniunctum habuit Verbum humanum erroneum, & euersiuum cœlestis veritatis: non planè generatio & nutritio spiritualis cessauit. Nam Verbum diuinum infinitè superius est humano.*

Vbi vera prædicatio & Sacramentorum administratio, ibi Ecclesia visibilis.

X. *Quàm latè se extendit prædicatio Verbi diuini, & administratio Sacramentorum, iuxta ideam diuinitus propositam, tam latè se extendit Ecclesia visibilis. Vbi hæc sunt in publico & libero vsu atq; flore, ibi in flore est eadem Ecclesia. Vbi hæc ad occultos Cœtus rediguntur, ibi etiam in tantum absconditur Ecclesia visibilis. Hinc interdum latiùs extendit se Ecclesia, quàm prædicatio Verbi, & Sacramentorum Communio publica: quousque hæc deficiunt à suâ Ideâ, eóusq; etiam deficit Ecclesia visibilis. Non enim consistit eius perfectio in eo quod diuidi non potest, licet Deus in eo illam constituerit, quod diuidi non debet. Diuisiones fiunt de facto, sicut & additiones, licet non de iure, Deuter. 4. Apoc. 22. Non tamen semper, quousque Ecclesia visibilis collectim deficit, etiam distributiuè singula Ecclesiæ membra deficiunt. 1. Reg. 19. v. 110. Rom. 11. v. 3. & seqq.*

Præter hæc duo, aliæ Notæ sunt nihili.

XI. *Nulla alia Nota Ecclesiæ visibilis, sine intuitu Verbi & Sacramentorum, vllius momenti est. Nisi enim Catholicismus, Antiquitas, duratio, amplitudo, successio, consensio, vnio, sanctitas vitæ, miracula, infelix exitus aduersariorum &c, considerentur in amplexu cœlestis Verbi & Sacramentorum, non sunt notæ veræ Ecclesiæ, sed quiduis aliud.*

XII. *Non est necesse, vt Catholica Ecclesia etiam materialiter, sit tota visibilis: satis est, si alicubi Ecclesiasticus Cœtus videatur, per quem in communionem Sanctorum possimus peruenire.*

Ecclesiæ non est necessariò semper eodem modo visibilis.

XIII. *Non est necesse, vt quatenus & quousque Ecclesia aliquando fuit visibilis, eatenus & eóusque semper sit visibilis. Candelabrum aureum potest moueri de suo loco, quod dicitur de Ecclesia Ephesinâ, Apoc. 2. v. 5. quæ tamen dicitur Columna & firmamentum Veritatis, 1. Timoth. 3. v. 15. potest fieri, vt alicubi ab Apostolorum tempore, vsque ad finem mundi duret aliqua Congregatio Ecclesiastica, non tamen illicò sequitur esse veram Ecclesiam. Hæc nunc hoc, nunc alio loco splendorem suum fundit; rursus hic & alibi siue persecutorum Tyrannide, siue deprauatorum actu desinit esse talis. Esse alligatum vni loco, & cœtui, Israelitica, non Catholica Ecclesiæ conuenit.*

Ecclesiæ Lutheranæ Antecessores qui?

XIV. *Ecclesia, quæ hodie Lutherana dicitur, si de antecessoribus fidei quæras, fuit ibi, vbi verbo & Sacramentis genita fuit. Et licet non semper, & vbique habeat, aut habuerit ratione insignis Organi reformantis (quod non aduersari Catholicismo ostendit Chrysost. homil. 53. in Acta) hanc faciem, quam habet, aut habuit, quâ Lutherana dicitur: semper tamen habuit hanc fidem, & vbiq; est, vbi iis principiis agitur, quibus Ecclesia Lutherana gaudet. Ex quo fundamento omnes infantes rectè baptizatos, item omnes, qui contra-*

dicunt

dicunt erroribus cum amplexu Veritatis nobis agnita, Agonizantes denique, quotquot fundamentum fidei apprehendunt, Ecclesiæ nostræ adiudicamus. Et præterea dicimus, freti bonitate diuinâ, & olim fuisse, & adhuc esse ibi, vbi aliàs grassantur errores, Sanctas Reliquias, Rom. 11. v. 5. Ad quod ostendendum non nisi ingenti absurditate postulamur. Tam enim illud, vtpote in recessu cordium latitans, non possumus, quàm ipsi Pontificij non possunt ostendere Seculo v. g. decimo, vndecimo, duodecimo &c, eos qui in totum Papismo fuerunt addicti. &c

XV. *Ecclesia dicitur vna, Sancta, Catholica, potissimùm respectu internæ perfectionis, & Ornatus spiritualis. Itaq; Ecclesiæ visibili ratione donorum & mediorum illi præsentium tribuuntur; vel ratione comprehensi inuisibilis Sanctorum Cœtus, adeóq; per participationem.*

RESPONDETVR.

Aphorismi fallaces, verissimis Aphorismis refelluntur.

Non minùs obscuri sunt hi Aphorismi, quàm prætensa Ecclesia visibilis, cuius latibulis illustrandis illos adhibet Dorscheus, perinde vt faces in chartâ pictas, pellendis tenebris. Neque enim vlla veri nominis perpetuitas, aut infallibilitas erui potest, quam veræ Christi Ecclesiæ conuenire nos Catholici credimus, & demonstramus. Sed age, his Aphorismis detrahamus laruam. 167.

Aphor. I.

Aphorismi Dorscheani, communes omnibus sectis Solibiblicis.

Hæc omnia, quibus Ecclesiam visibilem Lutheranorum depingit Dorscheus, conueniunt Ecclesiæ Caluinianorum, aliorúmque Sectariorum, qui solis se Biblijs affigunt. Non ergo his quidem Aphorismis, ad Lutheranam Ecclesiam nos ducit magis, quàm ad Caluinianam, infidus ad veritatem dux; qui eam viam pro regiâ laudat, quâ ad falsam Ecclesiam non minùs itur, quàm ad veram. Nisi Caluinianam quoque pro verâ habet, & optionem scilicet à Christo factam credit, quam sibi quisque ex his Ecclesijs eligat.

Dorscheus infidus ad veritatem duci.

Aphor. II.

Aphor. II.

Dorscheus negando malos esse in Ecclesiâ visibili, eam penitus tollit.

In eo quoque cum Luthero & Caluino conuenit, quod præter Ecclesiam visibilem, aliam inuisibilem, ex Sanctis & prædestinatis constituit. Sed illud ipsi peculiare videtur, quod non omnes, qui in Societate externâ Religiosarum Actionum communicant, concedit esse Ecclesiam visibilem, *quia non omnes* ait Aphor 7. *ita Vniuersitati vel Rectori Vniuersitatis cohærent, & copulati sunt, vt vniuersi atq; singuli pro Ecclesiâ visibili haberi possint.* Contrà docet Apolog. C. A. art. 7. de Ecclesiâ: *concedimus,* ait sub initium, *quod hypocritæ & mali in hâc vitâ sint admixti Ecclesiæ, vel sint membra Ecclesiæ, secundùm externam Societatem Signorum Ecclesiæ, hoc est Verbi, Professionis, & Sacramentorum.*

Dorsch. repugnat C. A. quæ impios non excludit ab Ecclesiâ visibili.

Sed Dorscheus, dum negat, malos (etsi in Societate externâ participent) esse Ecclesiam visibilem, penitus illam tollit. Actiones enim externæ solæ non constituunt Ecclesiam, quæ est Congregatio hominum, non actionum; si igitur malos ab eâ excludit, & boni *quoad indiuidua demonstrari non possunt*, vt asserit Aphor. 8. nulli supersunt homines, qui Ecclesiam visibilem constituant. Vaga enim & indeterminata bonorum visibilitas, non magis sufficit ad veritatem fidei ab illis hauriendam (ob quem finem necesse est, Ecclesiam esse visibilem) quàm si ægrum mittas in forum ad consulendos medicos; quos quidem ibi esse certò scias, sed indiuidua demonstrari non posse, dicas, quod moraliter loquendo perinde est, ac si forent inuisibiles.

Indeterminatè visibiles, moraliter sunt inuisibiles.

Aphor. III.

Euangelici Ecclesiam visibilem, veram quidem esse negant, sed nec falsam dicere possunt sine absurdo.

Ecclesia visibilis, inter cuius membra etiam malos secundùm externam Societatem Signorum Ecclesiæ, Conf. Aug. recipit,

cipit, vel eſt vera Chriſti Eccleſia, vel non eſt. Neutrum poteſt dici, ergo viſibilitatem Eccleſiæ non rectè explicant Lutherani. Maior eſt euidens ex terminis contradictorijs, qui medium non admittunt. Minor quoad priorem partem, ſequitur ex illo principio, quod l. c. tradit Conf. Aug. Si *Eccleſia, quæ eſt verè regnum Chriſti, diſtinguitur à Regno Diaboli, neceſſe eſt impios, cum ſint in Regno Diaboli, non eſſe Eccleſiam: quanquam in hâc vitâ, quia nondum reuelatum eſt Regnum Chriſti, ſint admixti Eccleſiæ, & gerant officia in Eccleſiâ &c*

Vnde hoc exiſtit argumentum: Eccleſia, cuius maxima pars eſt ſub Regno Diaboli, non eſt vera Eccleſia, quæ eſt verè Regnum Chriſti. Eccleſia viſibilis ſecundùm Societatem externam Verbi & Sacramentorum eſt illa, cuius maxima, imò pleraque pars eſt ſub Regno Diaboli. *Eccleſiam enim eſſe quoſdam paucos pios, quos quaſi Reliquias Deus conſeruat, & ſemper hoc fuiſſe in mundo, vt vera Eccleſia non eſſet illa, quæ dicebatur Eccleſia, ſed pij quidam pauci* aſſerit Lutherus in lib. de ſeruo arbitrio: idem ſentiunt Magdeburg. Cent. 1. lib. 4. col. 171. & 181. Melancht. in locis Theolog. loco 12. Non ergo Eccleſia viſibilis eſt vera Chriſti Eccleſia.

Eccleſia viſibilis iuxta Luther. non eſt vera, quia maxima eius pars eſt ſub Regno Diaboli.

Si dicas, ipſam *veram Chriſti Eccleſiam fieri & eſſe viſibilem per iuſtos & electos, qui ſunt verè de Regno Chriſti, etſi propter admixtionem malorum & hypocritarum, boni quoad indiuidua demonſtrari non poſſint*, concordabis ſic quidem Dorſcheum cum C. A. ſed non minùs contra iſtam, quàm contra illum præualebit noſtrũ argumentum: quod hâc ratione, Eccleſia moraliter loquendo perinde ſe habeat, ac ſi penitus foret inuiſibilis, vt ſupra dictum eſt.

Poſterius verò: Eccleſiam viſibilem non eſſe veram Eccleſiam, tam abſurdum eſt, vt à nemine ſuſtineri poſſit. Sequitur enim eſſe Eccleſiam falſam, quia inter verum & falſum non datur medium. Sunt quippe contraria immediata, quæ reſpectu ſubiecti capacis (quale in propoſito eſt Eccleſia) inſtar

Est ergo falsa, quod est ingens absurdum.

contradictoriorum nec habent, nec admittunt tertium. Et probatur ex supradictâ C. A. doctrinâ: *Ecclesia magnam partem occupata à Regno Diaboli, non est verè Regnum Christi, adeóq; est falsa Ecclesia. Talis est Ecclesia visibilis, secundùm Euangelicos, vt patet ex dictis, ergo falsa.* Si autem falsa, ergo incredibile est, constitutam à Deo *Columnam & Firmamentum, aut Magistrā Veritatis.* Ergo misera est Christianorum sors, quia aditus ad inuisibilem Christi Ecclesiam, quam solam veram agnoscunt Euangelici, non patet, nisi per Ecclesiam visibilem; hæc autèm, cum falsa sit & fallax, securitatem perueniendi ad Veritatem & Salutem, nullam potest præstare. Nec veram igitur adstruere possunt Euangelici, Ecclesiam suam visibilem esse, nec falsam; adeóque grauiter hâc in re errant, séque ipsos implicant.

Aphor. IV.

Sancti & Prædestinati, non pertinent ad hanc de Ecclesiâ quæstionem.

168\. Non pertinent ad statum huius quæstionis Sancti & Prædestinati, qui licet sint præstantissima pars, imò anima Ecclesiæ, non sunt tamen Ecclesia, sicut neq; anima hominis est homo. Orthodoxa antiquitas veluti calumniam exhorruit, cum à Donatistis Catholici accusarentur: quod *duas Ecclesias agnoscerent, vnam quæ nunc habet permixtos malos, in Societate videlicet externâ Signorum & Sacramentorum, aliam quæ post resurrectionem eos non esset habitura.* Quam Calumniam trecenti sex Episcopi (inter quos Augustinus, vt testatur *in Breuiculo Collationum cum Donatistis, collat. tertij diei, cap. 10.*) ita depulerunt, vt dicerent, *ipsam vnam & Sanctam Ecclesiam nunc esse aliter, tunc autem aliter futuram &c, sicut nunc mortalem, quod ex mortalibus constaret hominibus, tunc autem immortalem, quòd in eâ nullus esset vel corpore moriturus. Dictum est etiam de homine exteriore & interiore, quæ cum sint diuersa: non tamen dici duos homines, quantò minùs dici duas Ecclesias? cum ijdem ipsi, qui nunc boni tolerant permixtos malos, & resur-*

Antiquitas duas Ecclesias exhorruit.

Vnicam agnouit, sed aliter in hâc vitâ, & aliter in alterâ se habentem.

& resurrecturi moriuntur, tunc nec mixtos malos habituri sint, nec morituri &c.

Nouitia ergo Ecclesiæ duplicitas, non solùm trecentorum sex Catholicorum Patrum seculi Augustiniani, verùm etiã ducentorum septuaginta nouem Donatistarum, testimonio refellitur. Qui Donatistæ multò tolerabiliùs errarũnt, quàm errent hodierni Euangelici. Etsi enim negarent malos & sceleratos apertos esse in Ecclesiâ: *conuicti tamen Euangelicâ similitudine de retibus in mare missis, quibus congregari dixit Dominus omnia genera piscium, & bonos à malis in littore, h. e. in fine seculi separari: etiam ipsi fassi sunt in Ecclesiâ esse permixtos, saltem occultos malos*, teste S. Aug. l. c. c. 8. & 10. Quâ ratione Ecclesiæ vera membra agnosci possunt, cum inde solùm excludantur apertè mali, quos aut facta produnt, aut fama, aut vtraque. Iuxta Euangelicos autem nullâ ratione possunt discerni; nemo enim sine reuelatione scire potest, quis sit ex Prædestinatis. 156. Donatistæ tollerabilius errarũnt, quàm Euangelici.

Vt verò vel maximè admitteremus, Ecclesiam inuisibilem Sanctorum & Prædestinatorum, nihil ad propositum id faceret. Etsi enim illi habent indubitabilem perpetuitatem in Prędestinatione Dei, & finalem in morte, saltem à culpabili errore immunitatem: sunt tamen hæc longè diuersa ab illâ Ecclesiæ perpetuitate & infallibilitate, de quibus veluti ad homines in viam veritatis deducendos aut reducendos, errores propulsandos, & fidelium Regimen spirituale necessarijs, disputamus.

Aphor. V.

Per prædicationem, & Sacramenta, Ecclesia vera non fit sufficienter visibilis.

Falsum est visibilitatem Ecclesię rectè explicari per eas actiones sensibiles, quas Dorscheus restringit *ad prædicationem Verbi, & Administrationem, seu vsum Sacramentorum* Aphor. 10 & 11. Fatemur eam esse veram Ecclesiam, *in quâ Verbum Dei verè prædicatur, & Sacramenta rectè administrantur*; Negamus per hæc

ita esse visibilem, vt discerni possit ab hæreticorum Synagogis. Ipse Dorscheus hoc vidit, cum Aphor. 2. scripsit: *Ecclesiam esse visibilem ratione aliquarum actionum sensibilium, commonefacientiũ de aliquo Religioso Cœtu.* Non ergo sufficienter per has actiones vera Christi Ecclesia videtur, sed solùm argumentum aliquod hæc præbent, ídque obscurum & confusum. Nam etsi certum asserit Aphor. 8. *vbi aliqui ad actiones illas Religiosas congregantur, esse ibi membra Ecclesiæ veræ*, addit tamen: *indiuidua determinari non posse*, adeóque incerta esse. Incertum ergo est, vtrùm prædicatio illa fiat à membro Ecclesiæ veræ? Incertum est, vtrùm membrum illud, licet veræ Ecclesiæ, non erret? certum enim est, omnem hominem errare posse. Incertum deniq; est, vtrùm qui intersunt huic vel illi cœtui, & verbum prædicant, vel audiunt, Sacramenta administrant, vel accipiunt, non omnes sint hypocritæ? Nutat ergo vndique visibilis Dorschei Ecclesia, (quia moraliter æstimatur inuisibile, quod, etsi physicè incurrit in oculos, nosci aut internosci non potest) nisi aliud præter has actiones fulcrum reperiat.

Per indiuidua indeterminata Ecclesia non cognoscitur.

Aphor. VI.

Non possunt esse Notæ veræ Ecclesiæ, quas omnes Sectarij sibi arrogant.

169. Committit crimen stellionatus, dum Aphor. 9. & 10. Notas Ecclesiæ confidentissimè assignat, dudum à nobis protritas, tacitâ nostrâ responsione, quam habet Bellarm. lib. 4. de Ecclesiâ c. 4. videl. *Prædicationem Verbi & Sacramentorum administrationem, non posse esse Notas veræ Ecclesiæ, quia omnes Sectæ has sibi vendicant.* Scriptura, quam solam intelligit per Verbum Dei, cum sit ad sui intelligentiam insufficiens, eius prædicatio non potest esse Nota Ecclesiæ, ad quam interpretatio Scripturæ deuoluitur, vti ostensum est parte 1. Porrò falsum est, Notas à Catholicis assignatas, nullius *sine intuitu Verbi scripti & Sacramentorum esse roboris.* Multa argumenta afferunt Bellarm.

Dorsch. peccat stellionatu.

larm. & alij, quæ hunc intuitum non requirūt, etsi multa quoque ex Scripturis confirmentur. Haberet Ecclesia Catholica easdem illas Notas, si Deus vti poterat, non minùs in toto Orbe, quàm apud Barbaras illas gentes, (de quibus Irenæus lib. 3. c. 4.) vltra centum annos: sine Scripturis hucusque illam propagâsset & conseruâsset. Retineret easdem Notas, si vel hodie Deus omnia Biblia pateretur interire, quod quin fieri possit, nemo Sapiens negabit. Sacramentorum naturam & numerum ex Scripturis priùs demonstret Dorscheus, quàm illarum administrationem & vsum, pro Notâ Ecclesiæ obtrudat. Denique cum non minùs turpe sit Doctorem Euangelicum sine Scripturâ loqui, quàm Iurisconsultum sine lege & textu: comprobet has Notas, in quibus summam Aphorismorum & visibilis Ecclesiæ constituit, per verba expressa Scripturæ aut æquipollentia, aut per consequentiam nec in formâ, nec in materiâ peccantem.

Ecclesia haberet easdem Notas, etsi Biblia interirent.

Aphor. VII.

Vera Ecclesia non coniungit Verbum diuinum, cum humano & erroneo.

Non potest Verbum diuinum coniungi cum humano & erroneo, in prædicatione, vel doctrinâ, quam tradit vera Christi Ecclesia, quod tamen intendit Dorsch. Aphor. 9. & specioso Axiomate confirmare nititur Aphor. 10. *Quoúsq;,* ait, *hæc prædicatio Verbi & Sacramentorum Communio publica, deficiunt à suâ Ideâ* in Scripturis solis scil. propositâ, *eoúsq; etiam deficit Ecclesia visibilis.* Nos verò Ideam prædicationis & Sacramentorum nō solùm ex Verbo Dei scripto, verùm etiam non scripto petimus, huiúsque Ideæ Ecclesiam dicimus esse Custodem infallibilem, à quâ nec ipsa aberrare queat, nec alios abducere. Atqui ait Dorscheus: *Non consistere Ecclesiæ perfectionem in eo, quod diuidi non potest: licet Deus in illo eam constituerit, quod diuidi non debet.* Ingens anguis in hâc latet herbâ: non debet diuidi Ecclesiæ

Christi doctrina, vt aliqua recipiantur, alia reijciantur, & veris misceantur falsa; faciunt hoc hæretici, faciunt quod possunt, non quod debent; faciunt de facto, non de iure. Sed non facit hoc (quod fallaciter intendit Dorscheus) Vera Christi Ecclesia. Eius perfectio in eo consistit, quod doctrinam Christi non solùm diuidere non debet, sed nec potest. Est ea indiuisibilis: si vel vnum articulum diuellas ab altero, hunc probando, alterum improbando, vel veris falsa admiscendo, non est ea doctrina Christi & veræ Ecclesiæ.

Doctrinam Christi vera Ecclesia diuidere non potest.

Vidit S. Petrus Episcopus Alexandrinus, vt eius Acta memorant, *noctu Iesum apparentem sibi veste discissâ, causámque rei sciscitatus, audijt hanc: Arrius vestem meam, quæ est Ecclesia, dilacerauit.* Arrius, Macedonius, Nestorius, Lutherus, Caluinus &c dilacerauerũt Ecclesiam Dei, vera diuellentes à veris (neque enim omnia vera reiecerunt) & falsa pro veris admiscentes. Ipsa Ecclesia seipsam & doctrinã suam dilacerare nec vult, nec potest. Non sinit hoc Sponsus illius & Magister, qui *viam Dei in veritate docet*, Matth. 22. v. 16. Non sinit idem ipse, *quem Pater dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius* Ephes. 1. v. 22. non est locus errori corporis, vbi nullus est error Capitis. Non sinit denique Spiritus ille, qui docet non solùm aliquam, sed omnem veritatem. Neque Ecclesia *est Columna & Firmamentum Veritatis* 2. Tim. 3. v. 15. si vllam respuit veritatem, aut recipit falsitatem.

Hæretici vestem Christi, & veram Ecclesiam dilacerant.

Quod verò Dorsch. addit, *diuisiones fieri de facto, & additiones*, traditiones Catholicas (quas scil. contra Script. Deut. 4 & Apocal. 22. addimus) designans: cum Ecclesiam Catholicam Romanam, habeat pro Anti-Christianâ, non verâ Ecclesiâ: neque per hoc probat, quod vera Ecclesia diuisionem faciat, vel additionem. Allegatio Deut. & Apocal. est merus stellionatus, dudum enim respondit Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei c. 10. vti & allegationi ex 1. Reg. 19. & ad Rom. 11. de Ecclesiæ Israëliticæ defectione tempore Eliæ, ad quod respondet l. 3. de Eccles. c. 16.

Duplex Dorsch. stellionatus.

Aphor.

Aphor. VIII.

Ecclesia Dorschei monstrum Acephalum sine hierarchiâ.

Ecclesia, quam suis Aphorismis definiuit Dorscheus, est mō- 170.
strum Acephalum, siue truncus sine capite; nihil enim continent de regimine illius, siue Hierarchiâ Ecclesiasticâ, quam à Christo institutam clarè testatur Scriptura. Comparat Apostolus Ecclesiam Corpori humano: *Multa quidem membra, vnum autem Corpus. Non potest oculus dicere manui: operâ tuâ non indigeo; aut iterum Caput pedibus: non estis mihi necessarij,* 1. Cor. 12. v. 20. & 21. Posuit ergo Christus in Mystico Ecclesiæ corpore, caput aliquod, posuit oculos, à quibus regantur aliqui fideles, veluti membra. Intelligi verò caput aliquod visibile præter ipsum, qui inuisibiliter gubernat Ecclesiam, patet: quia Christus potest dicere pedibus: *non estis mihi necessarij*, quod Apostolus negat posse dici à Capite, cuius comparationem inducit: commendans hâc similitudine, Præpositis & subditis in Ecclesiâ, mutuam caritatem & humilitatem, vt constat ex seqq.

Hierarchia Ecclesiæ à Christo instituta.

Probatur ex Ep. 1. ad Corinth. c. 12.

Deinde v. 28. *Posuit quidem* ait, *in Ecclesiâ primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores &c* Vbi per Apostolos, qui primi gubernârunt Ecclesiam, intelligit quoque eorum successores, quos *Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei,* Act. 20. Similiter Ephes. 4. v. 11. testatur Christum *dedisse quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, quosdam autem Euangelistas, quosdam autem Doctores & Pastores &c, donec occurramus omnes &c* Hebr. 13. v. 17. *iubet nos obedire Præpositis nostris.* Christus ipse Io. vlt. v. 15. & seq. ter Petro commendat *pascendas oues.* Matth. 18. v. 17. iubet causas, quæ non possunt componi per correptionem fraternam, deferri ad Ecclesiam, i. e. eius Prælatos, qui representant Ecclesiam: quales primùm erant Apostoli, & nunc sunt eorum Successores Episcopi & Sacerdotes, ad quos itidem pertinet, quod mox subiungitur v. 18. *quodcunq; alligaueritis super terram. &c.*

Ex cap. 20. Actor. & c. 4. ad Ephes.

Et alijs locis.

Est

Est ergo Ecclesiastica Hierarchia irrefragabiliter fundata in Scripturis, per quam Ecclesia Dei principaliter est ac manebit visibilis, *donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem Filij Dei &c*, i e. vsque ad finem mundi, vt exponunt omnes. Hanc Hierarchiam cane peius & angue oderunt prætensi Euangelici; neque enim ipsi habent aliquam, cuius deriuationem ab Apostolis, aut initium legitimum post Apostolos, possint monstrare.

Aphor. IX.

Non minùs inter aduersa, quàm prospera, perdurat Ecclesiastica Hierarchia.

Etsi verum est Ecclesiam Christi visibilem, *nunc crescere, nunc decrescere, fidelium multitudine vel auctâ vel imminutâ, diuersis temporibus, & locis, persecutionibus vexari, à libero cultus diuini exercitio probiberi: vel contrà publicâ quiete florere, principum munificentiâ ditari, potentiâ defendi, auxilio ditari: In his vel illis Prouincijs ac Regnis penitus extingui, in alijs germinare, & veluti de populo in populum migrare: semper tamen perdurauit, & perdurabit visibilis Hierarchia Pontificum, Episcoporum, Pastorum.* Inter grauissimas trecentorum annorum vsque ad Constantinum persecutiones, nunquam interrupta fuit successio Pontificum Romæ, neque Episcoporum in alijs Ecclesijs, neque deerant alij Pastores, aut Doctores; ipsi fideles non ignorabant, qui suis Ecclesijs & Sedi Romanæ præessent. Sub eâdem Hierarchiâ, & in eâdem viuunt multæ Catholicorum myriades in Angliâ, Scotiâ, Hollandiâ, pressi licet & oppressi, omniq; publico Religionis exercitio destituti, sed ob constantem Fidei & huius ipsius Hierarchiæ professionem, tanto illustriores.

Successio Hierarchiæ nunquam interrupta.

Hoc sensu verum est, quod dicit Dorsch. Aphor. 3. visibilitatem Ecclesiæ recipere magìs & minùs &c, etsi falsum est, quod mox adiungit *de Actionibus nunc integris nunc mutilis*, quasi administratio & vsus Sacramentorum, quem designat per illas actio-

Ecclesia visibilis, quo modo recipiat magìs & minùs.

ſas actiones (vt ex 4. Aphor. patet) à verâ & viſibili Chriſti Eccleſiâ, nonnunquam fuerit mutilatus. Non eſt equidem neceſſe, vt quoad omnem florem & publicum Religionis cultũ, quem aliquando habuit Eccleſia, ſemper maneat conſpicua; ſemper tamen conſtare debet illius Hierarchia viſibilis, ſicuti conſtitit, & nota fuit inter grauiſſimas olim Tyrannorum perſecutiones. Non mouet Deus de loco ſuo, & Succeſſorum eius, Candelabrum Petri, pro quo *rogauit*, *ne deficiat fides eius*, Luc. 22. v. 32. De Candelabro Eccleſiæ Epheſinæ ſermo eſt l. c. Apoc. Non tamen ideo, cum Apoſtolus docet Timotheum 1. Ep. 3. v. 15. quomodo debeat *conuerſari in domo Dei*, *quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum Veritatis*: intelligit Epheſinam, cuius Timotheus erat Epiſcopus. Prærogatiua non errandi tanta eſt, vt non debeat tribui, niſi Eccleſiæ vniuerſali, quam nomen Eccleſiæ abſolutè poſitum ſignificat paſſim: cum præſertim præcepta, quæ ibi tradit Apoſtolus, ſint communia toti Eccleſiæ, non propria Epheſinæ. De Eccleſiâ Epheſinâ.

Non repugnat, vt alicubi *ab Apoſtolorum prædicatione*, *vſq; ad finem mundi duret aliqua Congregatio Eccleſiaſtica*, merè particularis, quæ non ſit vera Eccleſia, eſto. Repugnat autem, vt Eccleſia particularis, quæ euecta eſt ad Pontificatum Eccleſiæ vniuerſalis ex inſtitutione Apoſtolicâ, (qualis eſt Romana) duret vſque ad finem, & non ſit vera: participat enim propter eiuſmodi adminiſtrationem prærogatiuas Eccleſiæ vniuerſalis. Vide Bellarm. l. 4. de Pont. c. 4. Illud deinde repugnat, vt ſit vera Chriſti Eccleſia, cuius Hierarchia ab Apoſtolis deducta, non duret vſque ad finem mundi: eouſque enim *datos ipſi à Chriſto Apoſtolos, Paſtores, Doctores &c*, teſtis eſt Apoſt. 4. Epheſ. v. 11. Non eſt ergo vera Eccleſia Chriſti, Eccleſia viſibilis Acatholicorum, quia caret hâc continuatione Epiſcoporum, Paſtorum, Doctorum &c, in prætenſam autem inuiſibilem, Sanctorum & Electorum Eccleſiâ, eiuſmodi Hierarchia non cadit. Eccleſia Romana euecta ad Pontificatum, participat prærogatiuas Eccleſiæ vniuerſalis.

Quod denique addit, *eſſe alligatum vni loco & cœtui*, *conuenire*

Est ergo Ecclesiastica Hierarchia irrefragabiliter fundata in Scripturis, per quam Ecclesia Dei principaliter est ac manebit visibilis, *donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem Filij Dei &c*, i e. vsque ad finem mundi, vt exponunt omnes. Hanc Hierarchiam cane peius & angue oderunt prætensi Euangelici; neque enim ipsi habent aliquam, cuius deriuationem ab Apostolis, aut initium legitimum post Apostolos, possint monstrare.

Aphor. IX.

Non minùs inter aduersa, quàm prospera, perdurat Ecclesiastica Hierarchia.

Etsi verum est Ecclesiam Christi visibilem, *nunc crescere, nunc decrescere, fidelium multitudine vel auctâ vel imminutâ, diuersis temporibus, & locis, persecutionibus vexari, à libero cultus diuini exercitio prohiberi: vel contrà publicâ quiete florere, principum munificentiâ ditari, potentiâ defendi, auxilio ditari: In his vel illis Prouincijs ac Regnis penitus extingui, in alijs germinare, & veluti de populo in populum migrare: semper tamen perdurauit, & perdurabit visibilis Hierarchia Pontificum, Episcoporum, Pastorum.* Inter grauissimas trecentorum annorum vsque ad Constantinum persecutiones, nunquam interrupta fuit successio Pontificum Romæ, neque Episcoporum in alijs Ecclesijs, neque deerant alij Pastores, aut Doctores; ipsi fideles non ignorabant, qui suis Ecclesijs & Sedi Romanæ præessent. Sub eâdem Hierarchiâ, & in eâdem viuunt multæ Catholicorum myriades in Angliâ, Scotiâ, Hollandiâ, pressi licet & oppressi, omniq; publico Religionis exercitio destituti, sed ob constantem Fidei & huius ipsius Hierarchiæ professionem, tanto illustriores.

Successio Hierarchiæ nunquam interrupta.

Hoc sensu verum est, quod dicit Dorsch. Aphor. 3. visibilitatem Ecclesiæ recipere magìs & minùs &c, etsi falsum est, quod mox adiungit *de Actionibus nunc integris nunc mutilis*, quasi administratio & vsus Sacramentorum, quem designat per illas actio-

Ecclesia visibilis, quo modo recipiat magis & minùs.

las actiones (vt ex 4. Aphor. patet) à verâ & visibili Christi Ecclesiâ, nonnunquam fuerit mutilatus. Non est equidem necesse, vt quoad omnem florem & publicum Religionis cultũ, quem aliquando habuit Ecclesia, semper maneat conspicua; semper tamen constare debet illius Hierarchia visibilis, sicuti constitit, & nota fuit inter grauissimas olim Tyrannorum persecutiones. Non mouet Deus de loco suo, & Successorum eius, Candelabrum Petri, pro quo *rogauit*, *ne deficiat fides eius*, Luc. 22. v. 32. De Candelabro Ecclesiæ Ephesinæ sermo est l. c. Apoc. Non tamen ideo, cum Apostolus docet Timotheum 1. Ep. 3. v. 15. quomodo debeat *conuersari in domo Dei*, *quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum Veritatis*: intelligit Ephesinam, cuius Timotheus erat Episcopus. Prærogatiua non errandi tanta est, vt non debeat tribui, nisi Ecclesiæ vniuersali, quam nomen Ecclesiæ absolutè positum significat passim: cum præsertim præcepta, quæ ibi tradit Apostolus, sint communia toti Ecclesiæ, non propria Ephesinæ. De Ecclesiâ Ephesinâ.

Non repugnat, vt alicubi *ab Apostolorum prædicatione*, *vsq. ad finem mundi duret aliqua Congregatio Ecclesiastica*, merè particularis, quæ non sit vera Ecclesia, esto. Repugnat autem, vt Ecclesia particularis, quæ euecta est ad Pontificatum Ecclesiæ vniuersalis ex Institutione Apostolicâ, (qualis est Romana) duret vsque ad finem, & non sit vera: participat enim propter eiusmodi administrationem prærogatiuas Ecclesiæ vniuersalis. Vide Bellarm. l. 4. de Pont c. 4. Illud deinde repugnat, vt sit vera Christi Ecclesia, cuius Hierarchia ab Apostolis deducta, non duret vsque ad finem mundi: eousque enim *datos ipsi à Christo Apostolos, Pastores, Doctores &c*, testis est Apost. 4. Ephes. v. 11. Non est ergo vera Ecclesia Christi, Ecclesia visibilis Acatholicorum, quia caret hâc continuatione Episcoporum, Pastorum, Doctorum &c, in prætensam autem inuisibilem, Sanctorum & Electorum Ecclesiâ, eiusmodi Hierarchia non cadit. Ecclesia Romana euecta ad Pontificatum, participat prærogatiuas Ecclesiæ vniuersalis.

Quod denique addit, *esse alligatum vni loco & cœtui*, *conuenire*

Ecclesiæ Israelitica, non Catholica, quasi Ecclesia Catholica vniuersalis, non sit alligata Ecclesiæ Romanæ, negamus. Traditio enim & consensus Patrum, Autoritatem Ecclesiæ Romanæ in Ecclesiam vniuersalem adstruit. Etsi verum est, quod diximus num. 45. *Summum Pontificatum non esse Ecclesiæ Romanæ annexum Iure diuino, sed voluntate S. Petri*, quam accepimus ex traditione; V. Bellarm. l. 2. de Pont. c. 12. & l. 4. c. 4.

Ecclesia vniuersalis alligata Ecclesiæ Romanæ.

Aphor. X.

Ecclesia Lutherana non habet antecessores Fidei suæ, nisi hæreticos.

Ecclesia *Lutherana non habet Antecessores Fidei suæ, nisi veteres hæreticos, neq; vspiam ante Lutherum fuit, nisi aliquâ sui parte inter eosdem; Orthodoxi nunquam & nusquam ijs principijs egerunt, quibus Lutheranam Ecclesiam gaudere dicit Dorsch. Aphor. 14. nunquam ergo fuerunt in Ecclesiâ Lutheranâ.* Euoluat Dorsch. Catalogos veterum hæreticorum, quos puris seculis texuerunt, *Irenæus, Epiphanius, Philastrius, Augustinus, Theodoretus &c*, & agnoscat Fidei suæ antecessores, horum Patrum testimonio, ex communi suorum temporum sensu habitos pro hæreticis; tantóq; minus ab eorum Classe posse eximi Lutherum, quod singulis singulorum erroribus non contentus, pleróſque omnes, aut certè plurimos, in vnam Offam veluti intriuit. Aduertat præterea, nullum dogma, quod Ecclesia Romana & Catholica hodie profitetur, ab his Patribus inter hæreses annotari: qui tam docti fuerunt, vt non ignorarent, quæ doctrina Orthodoxa esset, quæ hæretica; & tam Sancti, vt non nisi optimâ fide sensum Ecclesiæ sui temporis, referrent.

Ecclesiæ Lutheranæ Maiores habiti pro hæreticis, non item Ecclesiæ Catholicæ.

Ponderet denique Ecclesiæ talis, qualis est Lutherana, vel Caluiniana, neque exortum, neque progressum, neque iactatas illius persecutiones; neque è contrà Ecclesiæ Romanæ errores, Apostasiam, aliâque quæ ipsi impingunt, ab vllis primorum seculorum, imò & posteriorum, (si hæreticos & schismaticos

ticos excipias) historicis esse consignata, neque à Patribus illorum temporum prodita. Non ergo discessit à fide Ecclesiæ primitiuæ Ecclesia Romana Catholica, neque illam verè iactat vlla Ecclesia Acatholica: cum huius dissensus nullum in antiquitate idoneum extet documentum.

Aphor. XI.

Membrum Ecclesiæ non facit locus, sed Fidei & Doctrinæ Professio.

Non est membrum alicuius Ecclesiæ, qui in eâ Baptismum accepit; aut in Prouincijs, Ciuitatibus, vel quibusuis locis tali Ecclesiæ mancipatis, Patriam aut Domicilium habet: nisi Religionem & Doctrinam ipsius teneat ac sequatur. Quod Patria aut Domicilium, non faciat membrum Ecclesiæ, tam clarũ est, vt probari non debeat: *Baptismus etsi detur in aliâ, vel ab aliâ Ecclesiâ, non est ianua nisi veræ Ecclesiæ,* cuius est Sacramentum. *Bona quæ in illis* (Donatistis, & idem est de quibusuis hæreticis) *agnoscimus, non sunt sua, Domini nostri habent bona; Ecclesiæ habent bona; Baptismus non est ipsorum, sed Christi,* ait S. Aug. in serm. de Emerito Donatistâ quem habuit Cesareæ, post celebrem illam Carthaginensem collationem. Sunt igitur infantes baptizati veræ Christi Ecclesiæ membra, in quâ vtrùm permansuri sint, non potest sciri ante rationis vsum. Neque ex eo, quod moribundi omnem salutis spem in Christo collocant, ideo inuocationem SS. merita iustorum, Purgatorium &c abnegant; neq; enim hæc pugnant cum illâ spe & fiduciâ, quam in Redemptore nostro vnicè fundamus, vt sæpe ostensum est. Neq; fundamentum istud (rectè intellectum) *præter quod nemo potest ponere aliud,* 1. Cor. 3. v. 11. habent aliunde, quàm verum Baptismum: id est à verâ Ecclesiâ; vt hinc eiusmodi Agonizantes nullo iure sibi arroget Ecclesia Lutherana, vel quæuis Acatholica.

Infantes baptizati inter Lutheranos veræ Ecclesiæ membra sunt; item moribundi sperantes in Christo.

Quod verò ais, Dorschee, *vos fretos Bonitate & Sapientiâ Dei, dicere: & olim fuisse, & adhuc esse ibi, vbi* (scilicet in Ecclesiâ Ca-

tholica Romanâ) *grassantur errores, Sanctum λεῖμμα, siue* reliquias Gratiæ, Rom. 11. v. 5. *& ad hoc ostendendum vos non nisi ingenti absurditate postulari.* Nos potiùs credimus, etiam inter vos & vestros, multa esse millia, *ex reliquijs gratiæ Catholicæ:* qui bonâ Fide & Conscientiâ credentes in Christum, & per insuperabilem ignorantiam in vestris hærentes erroribus, parati forent illos detestari, si detecti essent. Inter eos, qui bonâ fide doctrinam vestram teneant, credimus esse vix vllos: audiunt enim, legunt, vident ea, quibus errores vestri redarguuntur efficaciter. Hypocritas esse multos, illis præsertim locis, vbi Catholici permixti sunt Acatholicis vel vicini, vel vbi ex Religionis Catholicæ simulatione, captant lucrum honoris aut pecuniæ, vt non affirmamus, itâ nec negamus, quia ignoramus. Sed quotquot & quanticúnque sint, *non sunt ex nobis: & si nondum exierint ex nobis & fortaßis neque exituri sint:* separandi tamen, cum venerit, *qui permundabit aream suam & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Matth. 3. v. 12. Omittamus verò Hypocritas, quos ad reliquias Gratiæ pertinere, neque tu dixeris. Omittamus itidem bonâ fide vobiscum sentientes; neque enim petimus, vt hos ostendatis; hactenus enim verum est, bonam Fidem, & bonam Conscientiam *in recessu abstrusißimo humanorum cordium latitare.*

Inter Lutheranos multa millia reliquiarum gratiæ Catholicæ.

Alij sũt, quos ibi fuisse: & adhuc esse dicitis, vbi *aliàs grassantur errores*, qui videl. seclusâ ignorantiâ, aut incapacitate, doctrinam vestram ex professo tenuerint, & etiamnum teneant. Ad hoc ostendendum nullâ absurditate postulamini, sed Apostolicâ Autoritate compellimini. Dedit enim Christus Ecclesiæ suæ regendæ & docendæ *Apostolos*, eorúmque Successores *Pastores & Doctores*, serie nunquam interrumpendâ, quia vsq; ad finem seculi duraturâ, vt clarè testatur Paulus ad Ephes. 4. l. c. Ex horum ergo Classe aliquâ, necesse est fuisse illos vestros, in errorum medio ab erroribus intactos: vel certè communicâsse cum Pastoribus & Doctoribus illis, qui potestatem & do-

Ostendant eos, qui seclusâ ignorantiâ aut incapacitate, cum Luthero olim senserunt.

ctrinam ab Apostolis deriuatam acceperunt. Si idem senserũt vtrique, & si illos ostenditis idem sensisse, quod vos sentitis, confecta res est. Si dissenserunt à Pastoribus & Doctoribus, continuâ Apostolis serie succedentibus, potestis & debetis illos ostendere, sed erubescitis: quia non alibi illos legitis, quàm in hæreticorum Syllabis, quos vel seorsim texuerunt, vel alijs libris suis SS. PP. inseruerunt.

Doctrinam contrà, primorum etiam seculorum, quam post Apostolos toti Orbi Pastores ac Doctores Ecclesiæ proposuerunt, eandem fuisse de articulis controuersis, quam semper tenuit, hodiéque tenet Catholica Ecclesia Romana, Centuriatores vestri vel inuiti testantur, imò queruntur in cuiusuis ferè Centuriæ pluribus capitibus, præsertim cap. 5. 6. 7. 8. 9. 10 &c recensentes Concilia, Patres, Doctores, historicos, qui dictam doctrinam tenuerunt, tradiderunt, confirmârunt. Si hos tuos Symmystas legisses Dorschee, nequaquam scripsisses, *nos non posse ostendere eos, qui Seculo v. g. decimo, vndecimo, duodecimo in totum Papismo fuerunt addicti. &c* Nimis quàm multos ibi reperies, qui nec ab vno quidem Ecclesiæ Romanæ dogmate, per Pontifices & Concilia definito, dissenserunt. Mirũ autem est, cur hæc potissimùm secula allegâris, cum nulla magis vobis aduersari, ijdem Centuriatores ostendant: præter mentem suam, optimè de doctrinâ Catholicâ meriti, dum tot ac tanta pro eius Antiquitate, & nunquam interruptâ continuatione collegerunt Testimonia, quæ tanto censeri debent sinceriora, quod ab aduersâ parte sunt producta.

PP. cum Catholicis sensisse testes sunt Centuriatores.

Prꝫter mentem optimè de Catholicis meriti.

Nunc vicissim omni Iure postulamus, quod sine ingenti absurditate negare non potestis, vt vel vnum singulis seculis ex illis *Sanctis Reliquijs* nominetis, qui in vno saltem alteróue articulo v. g. de solâ Fide iustificante, & numero Sacramentorum, vobiscum conspirârint. Quin date vel vnum ex quatuordecim ante Lutherum Seculis, qui in omnibus cum illo, vel Confessione Augustanâ conspirârit. Id nisi facitis omni Antiquitatis suffragio

Nullus ex seculis post Christũ proferri potest, qui in omnibus cum Lutheranis senserit.

fragio vos destitutos, & eò absurditatis redactos fateamini, necesse est, quod Testes iactetis, quos nominare non possitis. Non est hoc de diuinâ bonitate & sapientiâ sperare, sed eidem illudere; quasi talem Ecclesiam instituerit, cuius doctrinam tot seculis nulli Pastores, Doctores, aut alij Christiani, nisi hæresum errorúmque notis infames, ante Lutherum secuturi essent ac tradituri. Postquam igitur tibi Dorschee eripuimus infantes recens baptizatos, & Agonizantes: ac tu ipse fateris, ex antiquitate neminem produci posse, qui vobiscum planè consentiat: superest, vt Ecclesia vestra non sit nisi Nouatrix, & vos non nisi Nouatores.

Aphor. XII.

Ecclesia Acatholicorum non est in tantum visibilis, quantum saluti hominum est necessarium.

Euangelici Notas Ecclesiæ Apostolicas obscurant.

Ecclesia visibilis, prout à Dorscheo & Euangelicis describitur, numquam tantum conspicua fuit, aut esse potest, quantum diligenter licet inquirentibus, ad salutem fuit, aut sit sufficiens ac necessarium. E diametro Aphorismus hic noster Dorscheano, opponitur quarto. Probatur 1. præcipuas Ecclesiæ Notas ex Symbolo Apostolorum desumimus, quod sit *Vna, Sancta, Catholica,* à SS. Patribus Ecclesiæ visibili attributas, ipsi potissimùm imò vnicè (si rem penitiùs consideres) de internâ perfectione & Ornatu Spirituali explicant: & clarissimis Notis detractis, vel obscuratis, Ecclesiam reddunt inaccessabilem.

Substituunt alias. Sectarijs reliquis communes.

2. Substituunt Notas alijs Sectarijs communes, vt diximus Aphor. 6 prædicationem enim Verbi, & administrationem ac vsum Sacramentorum legitimum, non minùs sibi arrogant Caluiniani, Zvvingliani, aliique, quàm Lutherani. Non est autem cognoscibilis vera Ecclesia per Notas, quas æquè prætendit falsa. Decipit, qui pro veri auri Characteribus assignat fulgorem & colorem, sub vtróque potest latere aurum falsum.

3. Supponunt hæ Notæ veram Scripturarum intelligentiā,

quam

quam itidem ad se rapiunt tam Caluiniani aliique, quàm Lutherani. Veram autem Scripturæ intelligentiam ex illis solis (vt isti volunt) haberi non posse, dudum demonstratum est à Catholicis, & à nobis parte 1. Quâ autem ratione potest perueniri ad discernendas Notas Ecclesiæ, ipsámq; Ecclesiam per illud mediũ, quo maxima pars Generis humani propter Literarum & Logicæ imperitiam infallibiliter vti non potest, quód que etiã litteratis seclusâ Ecclesiæ autoritate, nõ est sufficiens?

4. Ecclesia inuisibilis Sanctorum & Prædestinatorum, in quâ summam rei constituunt, viam ad salutem monstrare, vel aperire non potest. Sancti enim & Prædestinati in hâc vitâ, neque se mutuò cognoscunt, neque à nobis cognosci possunt sine speciali reuelatione. Quis autem vel doceri vel dirigi potest ab illis, quos determinatè non nouit, imò certus non est, an vllum ex his viderit vel nôrit vnquam? Ecclesia inuisibilis viam ad salutem monstrare non potest.

5. Ecclesia visibilis vt diximus Aphor. 3. prout illam explicant Euangelici in Apol. C. A. art. 7. non est vera Christi Ecclesia, quia habet *permixtos impios alienos à Regno Christi*. Siue igitur minùs, siue magìs siue clarè, siue obscurè sit conspicua perinde est. Etsi enim quis pertingat ad visibilem Ecclesiam Lutheranorum, non est ideò in verâ Christi Ecclesiâ. Superuacuum igitur est pro reperiendâ Ecclesiâ non verâ, laborare. De Ecclesiâ visibili, vtpote falsâ, apud Lutheranos non laborandũ.

6. Fatentur deniq; Euangelici Ecclesiam posse errare, quâ autem ratione potest perueniri ad necessariam saluti doctrinã per eos, quos & singulos seorsim, & collectim omnes certum est posse errare: incertum autem est, an in te ad Fidem Christi instituendo, non errent? neque enim ad discernendum sufficit Scriptura certæ quidem veritatis, sed seclusâ alia infallibili autoritate, incerti sensus, & ambiguæ interpretationis. Eandem fatentur posse errare.

Quód verò Dorsch. ad firmandam sufficientem saluti Ecclesiæ visibilitatem allegat illud Actor. 17. v. 27. *Quod Deus ex vno fecerit omne hominum Genus &c quærere Deum, si fortè attrectent eum aut inueniant:* quò pertinet & illud. c. 14. v. 17. *Non*

sine

Allegat Dorscheus Scripturas, quæ retorquentur.

sine testimonio seipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda nostra, & vel maximè *ad Rom.* 1. v. 19. quod per Creaturas *intellecta conspiciuntur sempiterna quoq; Dei virtus & Diuinitas*, ità vt Gentiles sint inexcusabiles: accipimus & retorquemus. Si euidenter & infallibiliter ex Creaturis in lege naturæ potuit ac debuit cognosci Creator: ergo Deus multò clariores & magis infallibiles nobis concessit Notas in lege gratiæ, ex quibus possit cognosci vera Ecclesia; ne deterior sit lex gratiæ, quàm naturæ. Quas notas cum ab Ecclesiâ partim auferat, partim confundat Dorscheus, periculum est, ne & ipse aliquando experiatur se esse inexcusabilem.

Nunc euersis illius Aphorismis, nostrísque stabilitis, inanes eius aduersùs Kircheri argumenta replicas persequamur.

§. II.

Vera & visibilis Christi Ecclesiæ perpetuitas, ex vtriusq; Testamenti Scripturis demonstratur.

KIRCHERVS.

174. In V. T. hæc loca *ait Kircherus* n. 15. t. 50. clarissima se offerunt. 2. Samuel. 7. v. 13. & 16. Regnum & Thronus Dauidi promittitur, quam Deus stabilire velit in æternum. Idem repetitur ps. 88. v. 30. & 38. quæ ad Christum & Ecclesiam refert Angelus Luc. 1. v. 32. inquiens: Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum. &c Similia leguntur Isa. c. 9. v. 7. & c. 60. v. 11. & seqq. vbi dicit Dominus: aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, &c quo etiam spectat illud Dan. 2 v. 44. Suscitabit Deus Cœli Regnum, quod in æternum non dissipabitur, &c comminuet autem, & consumet vniuersa regna. &c

Loca Scripturæ parallela, siue de eâdem re, denotãt Ecclesiam,

Circa quæ loca obserua 1. esse parallela de eâdem re, regno Dauidis, Domo Iacob, monte Sinois, &c quæ æquipollent in Scripturâ. 2. Per regnum Dauidis intelligi Ecclesiam N. T. prout Synagogæ opponitur, vt apparet ex tempore futuro, in quo perpetuò loquitur Spiritus S. & inprimis ex naturâ vaticiniorum, qualia sunt ista. Vaticinia enim non

fiunt

fiunt de re præſenti. Item ex Daniele, qui regni illius initia, poſt quartam conſtituit Monarchiam, quæ fuit Romanorum. 3. Non eſſe ſermonem de Prædeſtinatis, qui neque à nobis ſciuntur, neque in conſortium ſui nos inuitare, vel recipere poſſunt. Semper enim prædeſtinati fuerunt aliqui, etiam ſub V. T. nihil ergo nouum continerent hæc vaticinia, imò nec vaticinia quidem eſſent; niſi vaticinium ſit, ſemper eſſe aliquos prædeſtinatos, eóſque Deo acceptiſſimos, neque finaliter à Deo, aut mundo ſuperandos. 4. Cum loca ſupra allegata, manifeſtè de Conuerſione gentium, & Concurſu ad veram Eccleſiam loquantur, non poſſunt niſi de Eccleſiâ Chriſti conſpicuâ, & viſibili explicari. Non conueniunt prædeſtinatis.

Huic ergo Regno Dauidis, huic Eccleſiæ promittitur perpetuitas. Fruſtra igitur eſt, quod ad primitiuæ Eccleſiæ tempora nonnulli, alij ad inuiſibilem Electorum Eccleſiam iſta reſtringunt. Eidem námque Eccleſiæ & ſplendorem, & perpetuitatem iuxtà tribuit Scriptura. Caderet ſplendor & concurſus ille gentium, ſi de inuiſibili Eccleſiâ prædeſtinatorum acciperentur. Caderet perpetuitas, ſi aliquando deficeret. Regno Dauidis promittitur perpetuitas.

Idem in N. T. confirmat Chriſtus. Regnum enim Cœlorum, quo etiam confitentibus Aduerſarijs, Eccleſia militans deſignatur: modò ſagenæ comparat diuerſa piſcium genera concludenti, modo nuptiali conuiuio, in quo diuerſi hoſpites, Virgines tum fatuæ, tum prudentes, Ouili, in quo & hædi & Ouiculæ. Eccleſia cōparata ouili, ſagenæ, nuptijs.

Circa quas ſimilitudines Nota 1. per Regnum Cœlorum intelligi militantem Eccleſiam, vt dictum, 2. Non intelligi cætum prædeſtinatorum, in hoc enim nulli hædi, nullæ fatuæ Virgines. 3. Sed Eccleſiā viſibilem, in quam ſolam hæc diſcrimina cadunt. 4. Non intelligi ſolam Eccleſiam primitiuam, ſed totam Catholicam, quæ à Chriſto & Apoſtolis initia ſumpſit (hanc enim præcipuè attendi docet Parabola Matth. 20. de operarijs) durabitque vſque ad conſummationem Seculi, omni tempore hanc mixturam admittens.

Eadem hæc Eccleſia, quam Matth. 16. dicit ſe ædificaturum ſuper Petram, ita vt aduerſus illam nec inferorum portę valeant præualere, & in tot Parabolis alibi regnum Dei, Ciuitatem itidem ſupra montem, Lucernam ſuper Candelabrum poſitam indigitat, quam Dei domum appellat Paulus, & columnam ac firmamentum veritatis: eſt vera atq; viſibilis Eccleſia Chriſti in terris, quæ veritatem cæleſtem publicè docet & profitetur, virtutum exemplis exornat, traducit ad poſteros, cōtra hæreticos defendit, & ſicubi eſt opus, ſanguine obſignat. Perpendat Lector vim Argumenti, collatis vtriuſque Inſtrumenti teſtimonijs: Ædificata ſupra petrā, Ciuitas ſupra montem &c

& veritatem sentiet vltro se in oculos ingerentem; quam ego sine scrupulo declinare non potui. Hactenus ex Scripturâ.

DORSCHEVS.

Ad ista Dorscheus §. 224. *replicat* I. *illis promissionibus de firmitate & perpetuitate Regni Messiani, illud quod* (*in Aphorismis scilicet suis*) *iam dixerit, neq; plura ex illis haberi posse.* 2. *Omnino prædestinatos his promissionibus tanquam primaria membra, & verè Regnum, quod in extremo iudicio tradet Christus Patri.* 1. *Cor.* 15. *v.* 24. *comprehendi, qui quamuis quà tales sint inuisibiles, satis tamen se exerunt, & vel maximè in sui consortium inuitant, recipiunt, vrgéntq; opus Domini.* 3. *Fuerint licet etiam in V. T. non tamen in principio notum erat, Messiam ex domo Dauid oriturum. Hoc ergo nouum, quod in Gloriam domus Dauid cedit, quod illinc natus Saluator, spirituale Regnum sit sine vllâ excidentiâ possessurus.* 4. *Illud in V. T. semper fuisse conspicuum licet inæqualiter, nec de eo dici vllibi, quod aliquo præcisè loco, perpetuò absolutæ perfectionis splendorem sit habiturum &c.* 5. *Huius portas patere, per quas liceat perenniter ingredi, portas Verbi diuini & Sacramentorum.*

Refert omnia ad prædestinatos.

Ecclesiam non semper esse sincerã.

Replicat II. §. 225. Ecclesiam *semper esse Sagenam, Conuiuium, Ouile &c, sed eam semper in tantum, in quantum se se extendit esse puram, sincerámq; hoc non probatur. Potest irrepere multò maior copia piscium nullius pretij, plurimi damni, qui deglutiant vtiles & virus suum inferant; Posse in cõniuio fercula saluberrima à publicâ mensâ remoueri, & perniciosissima quædã opponi. In Ouili posse aliquando prædominari Hædos, & pro libitu grassari.*

Replicat III. §. 224. (sunt numeri §§. conturbati, & bis repetuntur ijdem) 1. *Ad hoc, ne præualeant contra Ecclesiam Portæ inferorum, non postulare Christum, vt vbiq; aut in certo perpetuóq; loco, semper in omni veritatis & sinceritatis extrinsecus apparentis statu, gradúq; consistat. Hoc prædictionibus aduersari.* 3. *Sufficere illi inuisibilem triumphum, quæ cernit τὰ μὴ βλεπόμενα.* 2. *Cor.* 4. *v.* 18. *Demus etiam Ecclesiæ competere, quod dicitur Matth.* 5. *v.* 14. *&c (quod de Apostolis dici res loquitur, & multi sentiunt :) non tamen fas est concedere, neminem posse demoliri illam Ciuitatem quadantenus &c, & coniunctionem illam cum Christo esse immutabilem.*

Neque in eodem statu extrinseco.

RESPONDETVR.

176. Ad §. 224. Dorsch.

Ad Replicam I. RESP. Frustra Dorscheum recurrere ad Aphorismos suos, quos contrarijs Aphorismis elisimus. Neq; Scripturæ tam claræ de concursu gentium, & portis semper latissimé patentibus, se detorqueri sinunt ad Ecclesiam obscurã, clancula-

clancularium, cuius nulla membra in indiuiduo, quod pro veritate discendâ & docendâ necessarium est, possint discerni &c.

2. Non negamus prædestinatos esse partem Ecclesiæ, sed cum in hâc vitâ discerni non possint, Visibilis Ecclesia N. T. quæ promittitur, non consistit in solis illis: sed omnibus Christi fidem amplectentibus & profitentibus, siue prædestinati sint, siue non. 3. Falsum est prædestinatos *nos in sui consortium inuitare & recipere &c*, quâ enim ratione inuitant in Societatem suam, quos in hâc vitâ nunquam nouimus aut noscemus? quâ ratione recipiunt in numerum prædestinatorum, cum prædestinatio sit opus solius misericordiæ diuinæ? quâ denique ratione vrgent opus Domini, quod facere propriè est Pastorum & Doctorum Ecclesiæ: ex quorum numero, cum quibus nos egimus, vel agimus, incertum est, vtrùm vel vnus sit prædestinatus?

Christi Ecclesia constat ex omnibus fidelibus, non solis prædestinatis.

4. Prophetias & promissiones de futurâ Ecclesiâ N. T. & regno Dauid, in hoc solùm habuisse rationem noui vaticinij, quod in gloriam domus Dauidis id cessurũ foret: non solùm est eludere Kircheri argumentũ, verùm etiam illudere Scripturis, & Christo Domino: quasi ipsius Regnum & Ecclesia ordinaretur ad domum Dauidis, & non potiùs hæc ad illud, & illam? aut quasi nihil noui de Nouo testamento prædici, aut innotescere potuerit, ac debuerit: quàm quod Christus illius fundator & consummator, de domo Dauid foret oriundus! Miseret me tui Dorschee, quod tam meditatò fallis.

Ecclesia non ordinatur ad domum Dauidis.

5. Falsum est Ecclesiam, prout illam fingunt & deformant Euangelici, semper fuisse conspicuam, cuius Hierarchiam & Regimen ab Apostolis ad se deriuatum, nullum possunt ostendere, neque vllos Doctores sibi consentientes allegare. vide Aphorismum nostrum VIII. Non requirit Ecclesia æqualitatem Prosperitatis & Tranquillitatis temporalis, sed Hierarchiæ & Doctrinæ. Fuit illa inter grauissimas Tyrannorum persecutiones tanto illustrior, quanto magìs sanguine Martyrum

Hierarchiã ab Apostolis deriuatam non habent Acatholici.

purpurata. Non deerant ipsi Pontifices, Pastores, & Doctores, non aduersus Gentiles & hæreticos, in vnitate Catholicæ doctrinæ inuicta veritas. Non affigimus vni loco perfectionem Ecclesiæ, sed per totum quaquaversus orbem diffundimus: etsi Obedientia & subiectio Fidelium, vni summo Pastori & Christi Vicario sit affixa, & inde iura petat atq; accipiat, vbi residet.

Ecclesia affixa obedientiæ Pontificis, sed diffusa per orbé.

6. Possunt sanè Sacramenta & Verbum diuinum Portæ Ecclesiæ dici; sed non aliter rectè administrantur & intelliguntur, quàm secundùm doctrinam & interpretationem Ecclesiæ, sine quâ clausæ sunt, & nebulis errorum obductæ; vt illos qui aliter ea accipiunt aut intelligunt, quàm Ecclesia docet, necesse sit non solùm totis Portis, sed toto etiam Cœlo aberrare.

Sacramenta & Verbum, quomodo portæ.

Ad Replicam II. RESP. I. Cum vmbris pugnat Dorscheus. Hoc dicimus: Ecclesiam *in hâc vitâ semper esse Sagenam, Conuiuium, Ouile*; non negamus irrepere copiam malorum piscium in sagenam, quod ipsum spectauit Christus: & innumeros hædos in Ouile, imò maiorem esse copiam malorum pisciū, quàm bonorum, Hædorum, quàm Ouium, pauci enim sunt, *qui inueniunt portam & viam vitæ, Math. 17. v. 14.* Sed non rumpitur Sagena doctrinæ; non Pastor, quem Ouili suo præfecit Christus, docet errare, vel ipse in pascendo errat, vel hædis succumbit. Quod verò addit Dorscheus *de ferculis perniciosissimis, quæ remotis saluberrimis, in prandium siue Cœnam Euangelicam Matth. 22. à v. 2. & Luc. 14. à v. 16. inferantur*, alienum est à sensu Euangelico; neque enim Rex ille, aut homo, pateretur id fieri. De alio prandio vel Cænâ videtur fabulari Dorsch. quam si Ecclesiæ comparare velit, dicemus à Deo Regem Conuiuij constitutum, qui si noxia fercula inferantur, de his conuiuantes admoneat, eáque à noxijs discernat.

Ad §. 225. Dorsch. Mali sunt in Ecclesiâ, sed illam non euertunt.

Dorschei sensus alienus ab Euangelio.

177. Ad Replicam III. RESP. I. Absolutè NON. i. e. nullo vnquam tempore, *portas Inferi præualituras aduersùs Ecclesiam*, Christus affirmat: præualerent autem, si illam de quocunque Veritatis & Sinceritatis gradu deturbare possent. Extrinsecam firmita-

Ad §. 226. Ecclesiæ nūquā præualēt portæ inferi.

firmitatem illi promittit: alioqui non remitteremur ad Ecclesiam audiendam, inter Ethnicos & Publicanos habendi, nisi illam audiamus. Nullo id iure mandaret Christus, nisi illam in iudicando, ab errore immunem præstitisset. 2. Falsum est, inuictam hanc Ecclesiæ aduersùs Portas inferi, & quosuis inde regurgitantes errores firmitatem, aduersari prædictionibus; proferat vel vnam Dorscheus ex Scripturis prædictionem, quæ Ecclesiam illam, quam Christus supra Petram ædificauit, portis inferorum, & spiritui erroris ac mendacij, aliquando succubituram pronuntiet. 3. Sufficere illi inuisibilem triumphũ, quæ visibilis esse debet, falsum est, vide Aphoris. 2. 3. 4. Neq; prædestinatis ante finem vitæ decerni potest triumphus, cum sint erroribus & peccatis eoúsque obnoxij, & portis inferorum frequentissimè succumbant. Vel ergo nulla est Ecclesia, contra quam portæ inferi non præualebunt, & falsa sunt veritatis verba ac promissa. Vel est Ecclesia visibilis à Christo supra petram fundata, ab Apostolis primùm gubernata, & deinceps vsque ad nos per subsequentes Pastores ac Doctores propagata. Vbi illud præterea aduerte, quod obijcit Kircherus & dissimulat Dorscheus: *Ecclesiam comparari Ouili, in quâ hædi & Oues, Sagenæ, in quâ pisces boni & mali, Nuptijs, in quibus Virgines fatuæ & prudentes.* In cœtu autem prædestinatorum, nulli sunt hædi, nulli pisces mali, nullæ Virgines fatuæ. Ergo per Ecclesiam non intelligit Christus, cœtum hunc incognitum, & inuisibilem triumphum.

Non sufficit triumphus inuisibilis.

Dorscheus dissimulat neruum cõparationis.

4. Rursus illudit Dorscheus Scripturis, cum fatetur *per Ciuitatem in monte positam posse intelligi Ecclesiam*, negat autem, *ideo concedendum, quod nemo poßit illam quadantenus demoliri.* Eadem enim est hæc ciuitas supra montem posita, cum Ecclesiâ supra petram ædificatâ, vt argumentatur Kircherus, neque abnuere audet Dorscheus: Sed contra ædificium illi petræ impositum, nullatenus possunt præualere inferi: Ergo neque contra hanc ciuitatem. Præualet hostis, siue parum siue multùm, siue qua-

Rursus illudit Scripturis, quæ nullam præualentiam inferis concedunt.

dantenus, siue in solidum præualeat; neutiquam inuictus est, qui aliquatenus succumbit; nullā præualentiam inferis Christi verba concedunt. Nec quidquam lucratur Dorscheus, si per Ciuitatem in monte intelligamus Apostolos. Repræsentabant enim illi totam Ecclesiam, quos primos, eiusdem Principes ac Pastores constituit Christus: illisque in veritatis sinceritate, & infallibilitate doctrinæ vsque ad finem seculi successuros alios *Pastores & Doctores ad vitandam circumuentionem erroris*, fidem facit Apostolus, Ephes. 4. v. 11. & seq. Est ergo Ecclesia eo ipso inuiolabilis, infallibilis, & insuperabilis, quia eius Pastores & Doctores prout illam repræsentant, non possunt errare.

---

§. III.

Vera Christi Ecclesiæ Visibilitas perpetua, ex Symbolo Apostolico adstruitur.

KIRCHERVS.

178. Cum Scripturis conspirant Symbola.

QVàm verò pulchrè *ait n. 16. f. 47.* cum eàdem Scripturâ Symbolum conspirat Apostolicum, Symbolum deinde Nicænum. Credimus vnam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam: eóq; ipso ad consummationem seculi duraturam: quod enim sit hodie, cras non sit, quî sub fidei obiectum cadere possit? Neque de inuisibili Electorum Cœtu id accipiendum est.

Ecclesia dicitur Catholica, vt opposita Synagogæ, quæ non fuit vniuersalis.

Obstat enim I. nomen Catholici. Catholica quippe Ecclesia ex Veterum vsu, per oppositionem & contradictionem ad Synagogam dicitur Catholica, quod accuratiores etiam agnoscunt Lutherani. Synagoga enim diffusa per totum terrarum Orbem non fuit; quantùm ad Ritus & Sacra, inter Palestinæ terminos coacta, & tantummodo vsque ad Aduentum Christi duratura. Deinde extra illam saluari poterant homines, & saluati multi sunt. Contrario se modo res habet in Ecclesia N. T. Non ergo per Ecclesiam Catholicam, intelligitur cœtus Electorum; illa enim cum N. T. cœpit; iste non minùs, (etsi minor fortè) in V. T. fuit, quàm nunc est in nouo.

Obstat II. Nomen Apostolici. Cur enim eadem Ecclesia Apostolica dicitur,

dicitur, nisi quia in Apostolis cœpit, per illorum ministerium se se dilatauit, doctrinam denique & Ritus ipsorum tenet constantissimè? At quis V. T. Ecclesiam, in quâ magnus vtique electorum cœtus, Apostolicam, & non multò rectiùs Mosaicam, & Propheticam dixerit? Apostolica, quia in Apostolis cœpit.

Obstat III. Quæ mox sequitur Sanctorum Communio, quo nomine non tantùm Fides & Caritas, sed vnà intelliguntur eadem Verbi prædicatio, Sacramentorum vsus, & alia Ecclesiæ visibilis bona. Quod aliquo modo volens explicare Symbolum Nicænum, inquit: Confiteor vnum baptisma. SS. Communio in omnibus Ecclesiæ bonis.

Ex quibus omnibus concludo, semper fore aliquam, veram & visibilem Ecclesiam Christi &c.

DORSCHEVS.

Replicat I. §. 226 *Vnitatem Sanctitatémq; externam, Fidei obiectum non esse, quia credimus Ecclesiam non vt in Ideâ est abstractiuè, sed vt existit, & extitura est, secundùm reuelationes diuinas, etiam inter mutationes, oppressiones &c.* 179. Oppugnat Fidei obiectum.

Replicat II. §. 227 *Per Catholicam Ecclesiam non intelligi, certum cœtum certæ Sedi annexum, sed totam fidelium multitudinem, omnibus temporibus, omnibus mundi partibus collectam. Qui extra Palestinam saluati sunt, fuerunt Iudæi in abscondito, Rom. 2. v 29. c. 9. v. 6. 7. 8. Extra hanc Communionem nemo saluari poterat. Et notamus Israelitas, & ante eos Patriarchas studiosissimos fuisse Ecclesiæ per Orbem ità propagandæ: & quamuis quoad solennem cultum in vnâ gente fuerit, passim tamen etiam alibi è gentibus plures receperunt.* Ecclesia Catholica non affixa certæ sedi.

Replicat III. §. 228. *Quod Ecclesia vocatur Apostolica, denominari quasi ab vnâ Phalange eorum, qui doctrinam de Regno Cœlorum transtulerint vsq; ad fines Orbis terrarum. Hoc modo tota Ecclesia reducitur sub Apostolorum dodecadem, Apoc. 21. v. 14. Describitur enim ibi Hierosolyma cœlestis etiam Coronam Sanctorum V. T. comprehendens. Et tamen fundamenta eius inscripta habent nomina Apostolorum, & in Angelis portarum, nomina duodecim tribuum Israël: tanquam vniuersa cœlestis Hierosolyma esset Israëlitica.* Dici Apostolicam à præcipuâ phalange.

Allegat deinde Aug. in illud ps. 86. *Fundamenta eius in montibus Sanctis.* & pergit: *vnde sicus dicitur Apostolica, ita etiam Prophetica dici potest Ecclesia, quia summa inter Prophetas & Apostolos est harmonia, Act. 26. v. 22.* Confirmat deinde *ex Hosio in Conf. Petricou. t. 1. c. 27. p. 197. allegante Origenem: ab ipso Adam, siue eius Filio Abel, Exordium sumpsisse Ecclesiam, quæ ædificata est supra fundamentum Apostolorum & Prophetarũ &c.* Addit denique post varia genera Apostolorum, producta ex Alfonso Posse quoq; dici propheticam, & Apostolicam à Christo.

fonso à Castro l. 12. aduersùs hæreses f. 187. Ecclesiam etiam posse dici *Apostolicam ab Apostolo, & summo Sacerdote Confessionis nostræ Iesu Christo, Heb. 3. v. 1. Malè ergo concludere Kircherum, cum exclusiuè dicit, Apostolicam dici, quia ab Apostolis cœpit &c.*

Format argumentum Kircheri.

Replicat denique IV. §. 229. *Argumentum Kircheri, vt ad scopum attingat, tale esse debere: Quæ Congregatio constat Communione SS. non tantùm consociatione Fidei, & Caritatis, sed etiam prædicationis Verbi, & vsus Sacramentorum: eâ in perpetuâ veritate, & doctrinæ puritate visibilis est. Ecclesia Christiana talis est. Ergo &c. Atqui falsa est Maior. Nam etiam Communio Verbi & Sacramenti impuri, potest esse instrumentum ad Communionē Sanctorum. Patet ex hypothesi Pontificiorum, qui 1. Infantes in Lutheranâ Ecclesiâ Baptizatos, si moriantur ante annos discretionis, saluos iudicant. 2. Neq; adultos Simplices, nostræ vel Græcæ Ecclesiæ (quam vtramq; impuram dicunt) damnant. 3. Congregatio Israeliticarum tribuum sub Baalamitismo, & Ieroboamicâ idololatriâ, constitit in Communione SS., quoad internā consociationem Fidei & Caritatis, iuxta illud Rom. 11. v. 4. Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Deinde etiam in illâ Israëlitarum Congregatione, licet impurâ, durauit Circumcisio & lectio Mosaica &c.*

Maiorem negat.

Per Communionem Verbi & Sacramenti impuri posse perueniri ad Communionem SS.

Minorem distinguit.

Porrò neq; Minor subsistit absolutè, vel distingui potest. Possunt enim venire ad externum in Verbo & Sacramentis commercium, de quibus incertissimum est, an verâ aliquâ internâ Communione & Societate conueniant. Proinde abesse potest hæc participatio causarum salutis Sanctorum, ab ipsâ κοινωνίᾳ siue Societate Sanctorum, quâ insensibiliter in actibus spiritualibus consentiunt & conspirant. Adde externam illam communicationem Verbi & Sacramentorum, ad internam Communionem SS., consequendam, non necessariò esse publicam & visibilem: possunt námque esse media ad illam, etsi in abscondito dispensentur, nec publicè constet, vbi illa deprehendi queant. Catechism. Rom. c. 10. q. 20. p. 85. refert ad Communionem 1. Io. 1. 3. 6. descriptam, quæ planè est inuisibilis; addit positam in vnitate Spiritus, copulatione per Sacramentorum fructus, Communione omnium sanctè piéque contingentium, &c Hosius l. c. c. 30. p. 251. eam intelligit, quâ merita SS. omnium, tam in terris, quàm in Cœlis communicantur. Bellarm. in explic. doct. Christ. art. 9. p. 50. dicit eam nihil esse aliud: quàm Corpus Ecclesiæ eo modo vnitum esse, vt si bene vni membro sit, bene sit & reliquis. &c Atqui quidquid rursùs sit de veritate rei, hæc omnia visibili ratione non peraguntur.

Externa Cōmunio non infert internam, neque publicam.

Affert Catholicos DD.

RESPON-

RESPONDETVR.

Ad I. Replicam RESP. 1. Falsum esse, quod *Vnitas Sanctitásque externa Ecclesiæ, non possit esse obiectum Fidei.* Potest enim, & de facto est vnitas Sanctitásque Baptismi, quam à Deo institutam ex diuinâ reuelatione & Verbo Dei habemus, obiectum fidei: quod nec Dorscheus negare debet, cum inter articulos fidei in Symbolo Niceno referatur. Quod verò de Sacramentis dicimus, quæ in Scripturis fundari ipsi Euangelici dicunt, nos vniuersim de omni cultu diuino, & harmoniâ ac Hierarchiâ Ecclesiasticâ, prout in Catholicâ Romanâ viget Ecclesiâ, affirmamus. 2. Ineptum est, quod Dorscheus de Ecclesiâ *in Ideâ & abstractiuè consideratâ*, affert. Nos in externos sensus Ecclesiam incurrere credimus, quæ autem sensibilia sunt, ea vt in sensus cadunt, instar Ideæ Platonicæ proponi, aut abstractiuè considerari, sana Philosophia non credit. 3. Existit, imò maximè floret, viget, crescit Ecclesia inter aduersitates & oppressiones &c, sicut generosus Miles aut Dux, multò est illustrior in prælio & bello, quàm Pace. vide dicta Aphorism 8.

Ad §. 226. Dorsch. & seqq. Baptismus aliáq; Sacramenta & Ecclesia, sunt obiectum Fidei.

Dorscheus ineptit de Ideâ Ecclesiæ.

Ad II. Replicam dicimus. 1. Fallaciæ & Sophismatis species est, quando constat per Antonomasiã, aut ex subiectâ materiâ Appellationem aliquam certæ rei tribui absolutè & sine addito: si is, qui contrà disputat, significationem accipiat generalem, vel ampliorem, quam Antonomasia, vel res subiecta ferat. Vt si quis Principes Imperij nostri contendat esse Imperatores, & Principatus eorum Imperia, quod hæc ab imperando dicantur: illi autem quoque, non solus Cæsar suis subditis imperent, & Prouinciarum suarum Imperio præsint. Hoc agit Dorscheus, quando *totam fidelium multitudinem, omnibus temporibus, omnibus mundi partibus collectam*, per Catholicam Ecclesiã intelligit: cum ipsi constet, Kirchero & nobis litem esse de Catholicâ Christi Ecclesiâ. quæ cum cœperit cum N. T. non potest esse, nec dici Ecclesia electorum, quæ sanè cœpit ab initio mundi. Sic quidem Dorscheus totam reproborum multitudi-

Fallacia est, ab Antonomasiâ, aut certâ significatione trãsire ad Generalem.

Hoc facit Dorscheus in nomine Ecclesię Catholicæ.

nem, per omnia tempora & loca diffusam, poterit appellare Societatem Catholicam, nec Acatholicis quidem sibi suffragantibus.

Quomodo Ecclesia Catholica affixa Sedi Romanæ.

Dicimus 2. Per Ecclesiam Catholicam non intelligi quidē certum cœtum certæ Sedi ità affixum, vt omnes Catholici, qui per totum Orbem sunt diffusi, intra vnius Vrbis vel Prouinciæ limites contineantur: esse tamen Ecclesiam Christi, vnius Sedis Romanæ supremo Imperio & potestati affixam, quæ duo longè diuersa, fallaciter confundit Dorscheus. Illud repugnat, non istud, de quo diximus Aphorismo 9. sub finem.

Disparitas inter Ecclesiam & Synagogam.

Dicimus 3. Etsi verum est, extra Communionem eorum, qui erant *Iudæi in abscondito, quorum Circumcisio cordis in Spiritu, non Literà*, Rom. l. c. id est, qui legem ante, vel extra legem circumcisionis carnalis obseruabant, neminem potuisse consequi salutem: Israëlitis tamen non sufficiebat ad salutem circūcisio Spiritus, sine circumcisione carnis. Neque qui in lege naturæ Deum verum colebant, ei ritè seruientes, spectabant ad Ecclesiam Israëliticam, aut tenebantur legem Moysis, licet sibi propositam obseruare: sicuti Gentiles post Christum, ex Creaturis verum Deum cognoscentes, & sicut Deum glorificantes, Rom. 1. iam desiderio ac voto spectant ad Ecclesiam Christi: quam expresse post sufficientem Religionis Christianæ propositionem, tenentur amplecti, eiúsque membra se profiteri. Patriarchas & Israëlitas, fuisse studiosos cultus veri Dei propagandi, & ex gentilibus legis suæ faciendi proselytos verum est: vt verò Synagogam in alias gentes propagarent, & extra Palæstinam extenderent, quod proprium est Ecclesiæ Catholicæ, nec mandatum habuêre, nec vnquam conati sunt.

181\. Acceptio Ecclesiæ Catholicæ pro cælesti, non venit in mētem Conc. Niceno.

Ad III. Replicam RESP. 1. Etsi eâ ratione, quam ex Apocalypsi accersit, Ecclesia, siue Hierosolyma cælestis, aliquatenus possit dici Apostolica, sicut & Israëlitica, imò & Angelica ab Angelis, quos vidit Ioannes in portis (*& nomina inscripta duodecim tribuum* ipsis portis, non Angelis, vt præter textum

asserit

asserit Dorscheus,) hanc tamen acceptionem in mentem non venisse Patribus Concilij Nicæni, cum conderent Symbolum, inde euidens est: quia credendam proposuerunt Christi Ecclesiam, quæ verissimè Apostolica dicitur ab Apostolis: qui prima ac præcipua, fuère illius membra, primíq; eiusdem per Orbem terrarum propagatores. Quo sensu neq; Synagoga, neq; Ecclesia electorum potest dici Apostolica; illa enim cœpit à Moyse, ista ab Adam vel Abel, vt ex Castro cum Origene contendit Dorscheus.

RESP. 2. Esse equidem summam, inter Prophetas & Apostolos Harmoniam, sed sicut non ideo sequitur, Prophetas V. T. fuisse sub N. T. ità neque sequitur fuisse illos de Ecclesiâ Apostolicâ, quam Christus per Apostolos cœpit & propagauit. Potest etiam Ecclesia Apostolica dici, *ab Apostolo & Summo Sacerdote Confessionis nostræ Iesu Christo*, vt eum appellat Apostolus ad Hebr. l. c. sed hæc quoque acceptio, nec vsitata est, neque facit ad propositum. Appellet Dorscheus, si ità libet, quia fideles & iusti, in lege naturæ & Moysis saluabantur per fidem in Christum venturum, sic omnes Christianos, & Synagogam Iudæorum vocet Ecclesiam Christianam: vt deniq; omnes Christiani fallacias & astutias illius, vel rideant, vel detestentur.

Harmonia inter Prophetas & Apostolos, non infert illos fuisse de Ecclesiâ Apostolicâ.

Non ergo malè, sed optimè concludit Kircherus, *Ecclesiam Christi visibilem perpetuò duraturam, cum exclusione dici Apostolicã: prout opponitur Synagogæ V. T. ex vsu veterum, & Confessione accuratiorum Lutheranorum*, quos vtrósque Dorscheo obijcit Kircherus, illo nec hiscere contrà audente. Inuictum itaque manet ex Symbolo argumentum, Catholicam & Apostolicam Christi Ecclesiam, non posse restringi ad Ecclesiam electorum, quia illa cœpit cum N. T. ab origine mundi, in primis electis. Neque tamen hæc potest dici Christi Ecclesia, prout illa accipitur in Symbolo & à PP. etsi in harmoniâ fidei non dissentiãt inter se vlli electi, siue priores, siue posteriores, siue Prophetæ, siue Apostoli, quod intendunt à Dorscheo allegati.

Inuictum Kircheri ex Symbolo argumentum.

Kircheri mẽtem Dorscheus non attingit.

Ad IV. denique Replicam RESP. 1. Argumentũ, quod ex assertâ in Symbolo Sanctorum Communione, Dorscheus Kirchero imponit, nequaquam esse ad ipsius scopum vel mentem. Non enim ille perpetuam veritatis & doctrinæ puritatem Ecclesiæ Christi in hoc capite asserere intendit: quod pertinet ad secundam assertionem, ex tribus supra §. 1. propositis, & Caput septimum, vt vel ex ipsius verbis, quæ subiungit, intelligere debuit Dorscheus, cum ait, *ex quibus omnibus concludo: semper fore aliquam veram & visibilem Christi Ecclesiam.* Hoc igitur Kircheri isto loco est argumentum: *Ecclesia, quæ habet non tantùm internam & inuisibilem fidei & Caritatis, verùm etiam externam & visibilem Communionem Verbi & Sacramentorum, illa necessariò visibilis est. Ecclesia Christi habet eiusmodi externam & visibilem Communionẽ, &c Ergo est necessariò visibilis.* Vbi Maior est euidens, Minor verò rectè ex Symbolo desumitur, quod absolutè & indistinctè Sanctorum Communionem affirmat. In confesso autem est etiam apud Euangelicos, veros Fideles Cõmunionem habere doctrinæ & Sacramentorum visibilium: cum hæc duo pro Notis veræ Ecclesiæ venditent, vt ideò conclusionem nolens volens concedere Dorscheus cogatur.

Ecclesia habens etiam externam Communionem, necessariò est visibilis.

Argumentũ Kircheri, vt à Dorscheo formatum, est efficax in antecessũm.

RESP. 2. Etsi argumentũ, quod format Dorscheus ad scopũ huius Capitis sit impertinẽs, efficaciter tamen, in antecessũ pro Ecclesiæ Christianæ in Veritatis & doctrinæ puritate, perseuerãtiâ cõcludit. Nã *Congregatio constans non solùm internâ consociatione veræ Fidei & Caritatis, verùm etiã externâ prædicationis & Sacramentorũ, non aberrat à Veritatis & doctrinæ puritate*; alioqui non haberet veram fidem & caritatem, sed spuriam & adulteratam, *ex abundantiâ enim Cordis os loquitur*, Matth. 12. v. 34. Et impossibilem esse Verbi diuini cum errore coniunctionem, diximus Aphor. 7. Vera igitur est Maior Dorscheana. *Ecclesiam autem Christi constare etiam consociatione externâ Prædicationis & Sacramentorum* euidens est ex dictis, & in confesso etiam apud Euangelicos, vt paulò ante diximus. Non solùm igitur

nostræ,

nostræ, sed potius suæ à se fabricatæ Conclusionis gladio, se iugulat Dorscheus.

Neque enim vllius momenti est, quod contra Maiorem, ex falsò nobis impositâ *de infantibus baptizatis, ante vsum rationis morientibus, & simplicibus adultis apud Lutheranos* hypothesi infeliciter obiectat. Nequaquam enim hos esse membra Ecclesiæ Lutheranæ, aut cuiusuis Acatholicæ, demonstrauimus Aphorif. XI. Et quo pacto essent, cum si errores talis Ecclesiæ (in quâ non sunt nisi localiter, nequaquam autem moraliter) ipsis innotescant, eam abdicare & repudiare, in talem euentũ non minùs sint parati, quàm obligati? Nimis verò quàm falsũ est, *Congregationem Israëlitarum sub Idololatriâ, habuisse indistinctè consociationem Fidei & Caritatis: quæ nulla est, vbi vera Fides non est.* Septem illa millia, quæ reliquit sibi Dominus, non erant membra Ecclesiæ falsæ, Samaraticæ siue Ieroboamicæ, sed veræ Hierosolymitanæ & Iudaicæ, vt dudum lib. 3. de Ecclesiâ c. 16. responderunt Bellarm. & alij. Quare repetiti stellionatus reus est Dorscheus, dum tacitâ nostrâ solutione, vt fecit Aphor. 10. rursus inde argumentatur.

Rursus vanè obijcit infantes à Lutheranis baptizatos.

Stellionatus repetitus de septem millibus tempore Eliæ.

Perinde absurda sunt, quibus Minorem impugnat. Nam 1. esto, incertum esse, quod maximè fatemur, *an qui in Verbo & Sacramentis participant: ad internam Communionem Sanctorum in Fide, Gratiâ & Caritate perueniant, aut conueniant?* 2. esto, *Sanctorum illam Communionem, in bonis & donis internis principaliter consistere, & hactenus inuisibilem esse:* quod sanè, neq; plus volunt illi, quos Dorscheus frustratoriè allegat. Illud tamen simul exploratũ & indubitatum haberi debet, Verbi prædicationem & Sacramentorum vsum, totámque Ecclesiæ Christi visibilem hormoniam ac hierarchiam, ità ab eodem institutam esse: vt à fidei & doctrinæ puritate, nec exteriùs quidem aberrare possit. Quod ad sequens caput differre oportebat, nisi Dorscheus perturbato ordine id anticipâsset.

Alia absurda.

Nam nisi Ecclesia hâc ratione publicè Visibilis est, sed *Com-*

Nisi Ecclesia publicè visibilis, obsepta est salutis via.

Communionis Sanctorum & Salutis media, ità in abscondito dispensantur, vt publicè non constet, vbi deprehendi queant, prout asserit Dorscheus: tum hominibus veram Ecclesiam quærentibus, obsepta est salutis via, cum nulla via supersit publica & regia: occulta autem semita, de quâ non constat, vbi deprehendi queat, frustra quæratur. Denique non possunt esse Notæ Ecclesiæ, quam Christus voluit esse publicam, & portas eius die noctéque patentes; quæ ità sunt in abscondito, vt publicè non constet, vbi deprehendi queant. Prædicatio vera Verbi Dei, & administratio Sacramentorum, possunt ità esse in abscondito &c, vt ait Dorscheus, Ergo non sunt Notæ veræ Ecclesiæ, quod tam pertinaciter asserunt omnes Sectarij.

---

§. IV.

Vera & Visibilis Christi Ecclesiæ perpetuitas, Autoritate Patrum confirmatur.

KIRCHERVS.

182. VRgeri etiam possunt *ait Kircherus, n. 17. f.* 50. Patrum dicta, qualia sunt: *Extra Ecclesiam non est Salus; Non habet Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem, &c* quæ, & de visibili Ecclesiâ manifestè loquuntur, veráque esse agnoscuntur etiam ab Aduersarijs.

PP. non loquuntur de falsâ Ecclesiâ, ergo de verâ.

Argumentor inde: Aut de verâ Ecclesiâ hoc intelligitur, aut de falsâ; tertium dari non potest. De falsâ, nemo nisi insanus dixerit, de verâ igitur accipiendum est. Fac autem per mille annos, centum aut quinquaginta saltem, imò viginti quinque, non fuisse veram aliquam visibilem Ecclesiam &c. Post quadringentos, aut quingentos primos annos defecisse Ecclesiam Lutherani docent. Quàm miserè ergo, & quàm ineuitabili modo perierunt tot animarum myriades!

Tempore illorum vigebant dogmata Catholica.

Iam, quod Patrum Scripta, & historiæ testantur Ecclesiasticæ, introducta erant Missa, Sanctorum inuocatio, cultus B. V., doctrina de purgatorio, aliáque, quæ in Catholicis damnant hodie & horrent Lutherani.

Interim nemo negare audet, Patrum illa dicta: *extra Ecclesiam non est Salus &c*, quæ in confesso est falsæ Ecclesiæ non conuenire. Ità enim sequere-

sequeretur deserendam esse veram Ecclesiam, sequendam falsam. Neque negari potest, de visibili ea intelligi. Hæc quippe est, quæ filios generat, nutrit, educat, quam in Matrem eligere possim. Inuisibilis, sicut non cognosci, ità nec eligi potest, cum omnis electio supponat obiecti cognitionem.

Quid superest igitur, nisi aut mille annorum spatio neminem fuisse saluatum, aut veram aliquam visibilem Ecclesiam illo etiam tempore extitisse: quæ cum alia non fuerit, quàm Catholica nostra, quid inde consequatur, quiuis facilè animaduertet. Eligant alterutrum Aduersarij, & maturè deliberent. Aut tot seculis nemo saluatus, aut semper visibilis Ecclesia fuit.

DORSCHEVS.

Replicat Dorscheus §. 228. (rursus animus vi veritatis conturbatus, numeros eosdem 228. 229. repetit:) *Dicta illa Patrum de verâ v. tiq. Ecclesia intelligenda esse. Verùm addit* I. *Miscere rursus Kircherum propositiones suas:* Ecclesiam non posse esse Matrem fidelium ad Regnũ Cœlorum &c, quæ non est omni parte & puncto pura & vera: *Item:* non posse aliquem generari ad Regnum Cœlorum, nisi in visibili & verâ Ecclesiâ &c, *quas falsas esse affirmat se docuisse.* Ait PP dicta intelligenda de verâ Ecclesiâ.

II. *Generare Ecclesiam etiam hæreticam & falsam, non quà falsa, sed quà semen cœleste prolificum retinens. Hanc vim retinuisse Ecclesiam Græcam, Æthiopicam, Maroniticam, Ruthenicam, Abyssinam &c imò & Papalem &c, Ecclesiæ etiam corruptæ Deum miscere, qui semen Sanctum propagent, & Reliquias secundùm electionem gratiæ, Rom.* 11. *v.* 5. *conseruent. Hos posse priuatim, & in Deo notis recessibus conseruari &c.* Generare cœlo etiam Ecclesiam falsam.

III. *Illam Kircheri Hypothesin*, Maternitatem spirituale esse attributum Ecclesiæ, quæ visibilis est, seu quà visibilis est, falsam esse. *Aliud sunt Organa generationis spiritualis, aliud est ipsa generans. Organa generationis Cœlestis sunt sensibus exposita, Verbum auditui, Sacramenta oculis & auditui. Manent hæc Organa in possessione Hierosolymæ, quæ sursum est, & omnium nostrûm Mater est, Gal.* 4. *v.* 26. *&* 27. *quæ inuisibilis est & iudicio sensuum deserta. Hæc gignit etiam per Ministros Apostaticos, Hæreticos, Atheos, etiam vbi Cœtus sunt corrupti. Estq. Organon Verbi adeò aptũ penetrationi secretissimæ, vt non opus sit propositione publicâ solenni, sensibus vniuersim expositâ*, pro quo allegat *Theologiam suam Zacharianam part.* 2. *disp.* 2. §. 51. *p.* 92. Maternitatem spiritualem non esse attributum Ecclesiæ visibilis.

RESPON-

RESPONDETVR.

183. Ad §. 228. Dorsch. Dicta PP. secundùm Lutheranos non possunt intelligi de Ecclesiâ verâ.

RESP. I. Dicta PP. *de salute extra Ecclesiam desperandâ, de Deo Patre frustrà ab illis præsumpto, qui Matrem Ecclesiam repudiârint &c*, quantumuis id affirmet Dorscheus, secundùm principia ipsius & Acatholicorum aliorum, non posse intelligi de verâ Ecclesiâ. Ecclesia enim visibilis secundùm illos non est vera Ecclesia, vt ostensum est Aphor. 3. quam redigunt *ad paucos quosdam pios soli Deo notos:* ideóque dicunt inuisibilem, etsi Dorscheus faciat visibilem, in indiuiduis quibusdam vagis, & actionibus externis, vt ib. diximus.

Neque de Ecclesiâ inuisibili electorum.

De Ecclesiâ autem inuisibili electorum & Sanctorum non posse dicta PP. intelligi, conuincit imprimis argumentum Kircheri: *quia inuisibilis Ecclesia, sicut non cognosci, ità nec eligi potest, omnis enim electio supponit cognitionem.* Ad quod tacendo, Dorscheus eo ipso victum se fatetur, neque enim confugere potest ad indiuidua vaga & indeterminata Ecclesiæ electorum, (quàm solam iactat pro verâ Ecclesiâ,) electio quippe rei certæ & determinatæ, requirit cognitionem certam & determinatā. Cum itaque electio Ecclesiæ sit rei certæ ac determinatæ, illius inquam Ecclesiæ, quam Christus instituit: supponit ergo determinatam cognitionem, quæ haberi non potest, nisi per certa & determinata membra illius, & ab illis.

Indiuidua determinata non sufficiunt ad certã Ecclesiæ cognitionem.

Deinde tenemur omnes sub periculo æternæ damnationis, veræ Ecclesiæ nos adiungere, & in illâ perseuerare sub obedientiâ legitimorum Præpositorum, & in Communicatione cum reliquis membris, vt docet S. Cyprianus de Simplicitate Prælatorum. Hieron. ep. 1. ad Damasum de Verbo hypostasis. Aug. l. 4. de Bapt. c. 1. quâ autem ratione possumus nos adiungere Ecclesiæ inuisibili, cùm non sit in nostrâ potestate, venire in numerum Prædestinatorum, nec in illorum arbitrio, nos in suum numerum recipere? Cum præsertim fieri queat, vt ex Pastoribus, quos nanciscimur, & ex hominibus, quibus conuiuimus, nec vnus quidem sit ex Prædestinatis.

Non est in nostrâ potestate venire in numerum electorum.

RESP.

RESP. II. Verissimum esse, quod statuit Kircherus, Ecclesiam, *quæ non est ex omni parte & puncto vera & pura, non posse esse Matrem fidelium.* Non est aliter Mater, quàm prædicando ex omni parte & puncto verum & purum Verbum Dei, & secundùm illud administrando Sacramenta. Non posse enim Verbum diuinum coniungi vllatenus Verbo humano & erroneo, ostendimus suprà Aphor. 7. & hic præterea confirmamus. 184. Ecclesia impura non est Mater fidelium.

I. *Perfecta Dei sunt opera*, Deuteron. 32. v. 4. Ergo vel maximè Ecclesia est perfecta, inter præstantissima Dei opera procul dubio numeranda, vtpote, *quam acquisiuit Sanguine suo.* Act. 20. v. 28. Perfectum autem *id est, cui nihil deest*, iuxta Aristot. 3. phys. text. 27. *in ijs videl. ad quæ ordinatur*, vt explicat S. Thō. 1. 2. q. 171. Atqui Ecclesia, quam repræsentant Apostoli, Prophetæ, Euangelistæ, & Pastores ac Doctores, ordinatur ad vitandam *circumuentionem erroris*, Ephes. 4. v. 14. & vt sit *Columna & Firmamentum Veritatis.* 1. Tim. 3. v. 14. absque vllius erroris aut Veritatis exceptione. Ergo non est perfecta, nisi sit omni parte & puncto pura & vera. Si enim vel in vno puncto errat, deest illi Veritas tali errori opposita: cùm tamen sine exceptione ordinetur ad Veritatem. Valétque non minùs in Ecclesiâ, quàm in Scripturâ, quod de hâc dixit S. Aug. ep. 9. *ne admissâ Autoritate mendacij* (vel erroris) *tota dubia nutet & fluctuet. Non enim potest aut oportet literis explicari, quanta & quàm inexplicabilia mala consequantur, si hoc concesserimus.*

Perfecta sūt Dei opera, ergo vel maximè Ecclesia.

Non est autē perfecta, si vllo veritatis defectu laborat.

II. *Vidit Deus cuncta opera* Naturæ, *quæ fecerat, & erant valde bona.* Gen. 1. v. 31. Sunt ergo multò maiori ratione valde bona opera gratiæ, inter quæ eminet Ecclesia. Non est autem valde bona, sed nec bona quidem Ecclesia, si non omni parte & puncto est pura, *quia quilibet singularis defectus causat malum, bonum autem causatur ex integrâ causâ.* vt S. Dion. dicit cap. 4. de diuin. nom. post medium. Inepta igitur est Dorschei distinctio, dum fingit Ecclesiam etiam hæreticam & falsam posse esse Matrem fidelium, *non quà falsam, sed quà cœleste Semen retinens.*

Opera naturæ valde bona, ergo multò magis opera gratiæ, inter quæ Ecclesia.

Malum ex quolibet defectu.

tinens. Non enim alia Ecclesia generat fideles, quàm Ecclesia Christi, quæ autem partim falsa, partim vera, partim bona, partim mala fingitur, absolutè mala est, non bona. Nullum malum est, quod non sit in aliquo bono, aut habeat aliquid boni; *alioqui malum, si integrum sit, destruit seipsum*, ait Aristot. 4. Ethic. c. 5. Non autem est Ecclesia Christi, (quæ in N. T. sola est Mater Fidelium) si mala est: non est verò bona, si aliquâ parte aut puncto sui mala est, quia *malum ex quolibet defectu*. Non potest igitur Mater esse fidelium illa Ecclesia, quæ non omni parte & puncto pura est & vera.

Ecclesia, vel in vno puncto mala, nō est bona.

III. Deniq; Sapiens & bonus artifex non facit opus à Regulis suæ artis errans; Peritus Architectus non fabricat sponte ac deliberatè domum ruinosam, aut quæ rimas agat, aut vllo defectu laboret. Ipsa æterna Sapientia Christus Architectus fuit Ecclesiæ suæ, quam *ædificauit supra Petram*, & quam stabiliuit *vt Columnam*, Matrémque fidelium constituit. Ergo paradoxum est, imò Summo Artifici iniuriosum, tali ædificio vllam falsitatis rimam impingere. Culparet hoc opus artificem suum, non laudaret, si tale esset, quale Dorscheus cum suis concinnat: non solùm gratiæ, veræ Fidei, verùm etiam lumini naturæ aduersarius.

Bonus Artifex non peccat deliberatè, contra vllam Artis Regulam, ergo multò minùs Deus.

Fideles non generari, nisi ab Ecclesiâ visibili, quà visibilis est.

RESP. III. Verissimam esse alteram quoque Kircheri hypothesin: *Maternitatem Spiritualem esse attributum Ecclesiæ visibilis, seu quà visibilis est.* Ratio conuincens est, quia *fides est ex auditu*, siue prædicatione, Rom. 11. v. 17. & seqq. per quam & per Sacramenta Ecclesia parit fideles. Non autem prædicat Ecclesia, neq; baptizat vt inuisibilis, ergo Maternitas Spiritualis est attributum Ecclesiæ visibilis, siue quà visibilis est. Visibiles nempe, & vt ità loquamur, audibiles ac vndique sensibiles sunt prædicatores & ministri, quos Ecclesia visibilis vocat,

cat, ordinat, instituit, mittit. Neque vllius ponderis sunt, quæ contrà mouet Dorscheus.

Nam I quod dicit: *aliud esse Organa generationis spiritualis, aliud ipsam generantem*, verum equidem est; sed in hâc spirituali Maternitate (etsi physicè Mater ægra frequenter liberos sanos pariat) fieri non potest, quin si Mater sit impura & falsa, organa quoque generationis vitientur. Ratio est, quia Ecclesia, quam in proposito Matrem dicimus, non est impura, aut falsa, nisi ratione impuræ & falsæ doctrinæ: talis autē est prædicatio, qualis est doctrina Ecclesiæ, vt per se patet; ergo si hæc impura est & falsa, necesse est, prædicationē quoq; esse talem. Neque subsistit, quod dicit Dorscheus: *Generare Ecclesiam etiã hæreticam & falsam, non quà falsa est, sed quà Semen cœleste prolificum retinens.* Nam sicuti doctrina talis Ecclesiæ permixta est erroribus, ità quoq; prædicationis semen corruptum est, (quæuis enim Ecclesia totam doctrinam transfundit in prædicationem & obseruantiam, ac vtramq; indistinctè tradit vt veram) vt inde non possint generari nisi hæretici, & errores.

Si Ecclesia est impura, organa quoque generationis spiritualis sunt talia.

Ecclesia quæuis totã doctrinam suam tradit, vt veram.

II. Quod dicit: *Organa generationis cœlestis esse sensibus exposita, Verbum auditui, Sacramenta visui; & manere hæc in possessione cœlestis Hierusalem, quæ sursum est, & omnium nostrûm Mater est:* Verba sunt vanissima. 1. Non solùm enim Verbum & Sacramenta, sed ipsi quoque, qui prædicant & Sacramenta administrant, sed & Ecclesia, à quâ visibiliter instituuntur ac mittuntur, vti dictum est, sensibus subiacent, neque Verbum tantùm, sed etiam Sacramenta auditui exposita sunt, quorum pars est forma Sacramentalis in Verbo consistens.

Non solùm Verba & Sacramenta, sed etiam Ministri, sunt visibiles.

2. Neque apparet, quâ ratione prædicatio Verbi & Sacramenta sint aut maneant in possessione cœlestis Ierusalem: si enim accipitur pro societate beatorum Angelorum & hominum, æternâ felicitate in cœlis fruentium, certum est, his nec per se, nec per alios competere, aut attribui Verbi prædicationem. Paradoxa sunt: *Angelos aut Sanctos in Cœlo prædicare, baptizare,*

Non possunt attribui Ierusalem cœlesti.

ptizare, Cœnam Domini distribuere &c. Non acceperunt à Christo potestatem, vt hæc munera per se, vel alios obeant. Precibus conuersionem infidelium & peccatorum adiuuare ac impetrare possunt, quod ipsum Angeli *in ministerium salutis nostræ missi*, varijs modis agunt: sed officia Ecclesiasticæ hierarchiæ, aut aliqua in ijsdem siue moralis siue physica efficientia, nullatenus ijs conueniunt.

Si verò eandem cœlestem Ierusalem consideramus, vt est Finis noster, quā cum reliquis Beatis participare desideramus, sic mouet illa quidem Ecclesiam ad parturiendos, & per Verbum ac Sacramenta pariendos Fideles: sed hæc motio nonnisi impropriè est generatio & generantis, quæ sonant causam efficientem, non Finalem; quod ex physicis meminisse deberet Dorscheus. Pulchrè S. Thom. lect. 7. in hunc ipsum locū ad Galat. 4. de cœlesti Ierusalem Matre nostra ait, *dupliciter illum posse intelligi, secundùm quod hanc Matrem possumus intelligere, vel illam, per quam generamur, quæ est Ecclesia militans, vel illam Matrem, in cuius filios generamur iuxta illud 1. Petri 1. v. 3. regenerauit nos in spem viuam &c. Sic ergo generamur in præsenti militanti Ecclesiâ, vt perueniamus ad triumphantem.* Non generamur ergo ab Ecclesiâ triumphante, sed à militante, & in illâ propter triumphantem.

Eadem, vt est finis noster, non propriè generat.

Duplex Apostoli intellectus.

Quo sensu SS. PP. magis locum Apostoli intellexerunt de Ecclesiâ militante, quàm triumphante, vel non aliter de vtrâq; quàm explicauimus. Ad Ecclesiam militant referuntem Irenæus l. 1. c. 4. adu. hær. Chrysost. hic, S. Aug. ep. 50. & l. 1. de consensu Euangel. c. 31. Neque obstat illud *Sursum*, nō enim semper significat id, quod suprà est, sed etiam illud, quod eò tendit, vt in illo, quod frequentat Ecclesia: *Sursum corda*, vbi respondemus: *Habemus ad Dominum.* Hoc sensu rectè *Sursum & cœlestis* dicitur Ecclesia militans, quia per dona cœlestia ordinatur ad Hierusalem cœlestem, tanquam finem. Neq; sincerè, sed violenter & textu refragante illud τῆς ἐρήμου, i. e. *de-*

Sursum, quid significet.

serta,

ſerta, exponit Dorſcheus, *de Ieruſalem Cœleſti inuiſibili & ſenſuum indicio deſertâ*, cùm contextus requirat, vt opponatur Synagogæ Seruili Eccleſia Chriſti libera, collecta non ſolùm ex Iudæis, verùm etiam ex gentibus, quorum ante Chriſti aduentum innumerabilis multitudo ſterilis erat iuſtorum & electorum; poſtea autem ex illis *longè fertilior & numeroſior Sanctorum multitudo* prouenit, quàm ex Iudæis; quæ eadem mens eſt Irenæi. Accedit, quod ἔρημος nuſquam idem ſignificet quod inuiſibilis, ſed quod ſolitarius aut deſertus. Ita ſcil. iſti, qui perpetuò crepant Scripturas, inuitâ Mineruâ, & abſque antiquitatis ſuffragio, eas pro libitu diſtorquent.

Dorſcheus non ſincerè explicat τὸ *deſerta*.

III. Denique, hinc apparet falſum eſſe 1. quod *Ieruſalem Cœleſtis gignat etiam per Miniſtros Apoſtolicos, hæreticos &c*, nullos enim illa gignit fideles per quoſcunq;, ſed ab Eccleſiâ militante genitos, ipſa in ſuos quoque filios ac ciues recipit. 2. *Etiam Eccleſiam falſam & hæreticam habere vim generandi, hâncq; retinuiſſe Eccleſiam Græcam, Æthiopicam, &c* Falſa enim Eccleſia puram doctrinam ſine permixtione errorum non proponit. Si autem demus, aliquos hæreticos, Schiſmaticos, aut infideles ſincerè proponere veræ Fidei doctrinam, aut Baptiſmum ritè cõferre: ea doctrina aut baptiſmus non eſt falſæ Eccleſiæ, cuius ſunt membra, ſed veræ, cuius doctrinam aut Sacramentum tradere intendunt, etſi animo ficto, & à veritate alieno. Non magìs hæretica aut falſa Eccleſia ex ſuis principijs veram doctrinam, tanquam propriam tradere poteſt, quàm Turcica, ſi aliquis fortè Turca Symbolum Apoſtolicum, quod fortè didicit, doceat, aut baptiſmum Chriſtiano ritu conferat. Aliena ſunt, quæ iſti vſurpant, & veræ Eccleſiæ propria, non ipſorum.

Eccleſia falſa non generat fideles.

Baptiſmus verus, non eſt falſæ, ſed veræ Eccleſiæ.

Quod denique aſſerit *de Organo Verbi*, per quod ſolam Scripturam intelligit, *quod penetrationi ſecretiſsimæ aptiſsimum ſit, nec indigeat publicâ propoſitione*, falſum itidem eſt. Neceſſariã enim eſſe ad veram Scripturæ intelligentiam publicam Eccleſiæ viſibilis propoſitionem & explicationem patet ex ijs maximè, quę

Verus Scripturæ intellectus indiget Eccleſiâ.

 diſputa-

disputauimus cap. 5. & partim ex hic dictis. Etsi verum est, eiusmodi publicam propositionem & interpretationem, posse etiam à priuato priuatim proponi, modò si dubium sit, ad publicam Ecclesiæ visibilis Autoritatem recurratur.

Dicta Patrũ de verâ Ecclesiâ intelligenda.

Ex quibus omnibus probatum manet: *dicta illa Patrum, quæ Kircherus ponderauit, non posse nisi de Ecclesiâ visibili intelligi, simúlque eiusdem perpetuitatem efficaciter inde confirmari.* Si enim extra Ecclesiam visibilem non est salus, & non potest habere Deum Patrem, qui Ecclesiam visibilem non habet Matrem: Ergo si Ecclesia illa aliquando penitus interiret, salus esset clausa, & Deus, hâc quidem ordinariâ viâ à se institutâ, neminem reciperet in filium: sublatâ enim causâ, aut necessario instrumento tollitur effectus.

---

§. V.

Recta ratio naturalis non permittit, veram & visibilem Christi Ecclesiam aliquando intercidere, idque ex Confessione Augustanâ confirmatur.

KIRCHERVS.

186 Conseruatio Imperiorum, arguit conseruationẽ Ecclesiæ.

CONseruauit Deus, *ait n. 18. f. 55.* à multiplicato inde genere humano, regna & imperia, ipséque illorum extitit primus Autor & fundator. Et quamuis aliàs alia, semper tamen & vbique aliqua mansit, & seruata fuit Reipublicæ forma. Ergo, cùm Deus adeò abundè & clementer creaturæ suæ prospexerit de ijs, quæ pertinent ad vitam hanc corporalem: incredibile est, non prospexisse nobis de re maximè ad salutem animæ necessariâ, Ecclesiâ videl. visibili. Quis talem sibi Deum fingat?

Sine inuisibili Ecclesiâ homines nõ forent inexcusabiles.

Solet quidem ille subtractione Verbi sui, eiusdem vindicare contemptum, hic vel alibi mouendo Candelabrum, non in vniuersum tollendo. Si nulla prorsus vera & visibilis Ecclesia, mille annorum spatio toto Orbe terrarum extitisset: quomodo veram colendi Dei rationem inuestigare homines potuissent, vt coram Deo inexcusabiles redderentur? vicissent in tantum Caluiniani, neque valere amplius ipsa Lutheranorum responsio posset, qui ex Rom. 1. rectè docent, naturales no-

titias,

titias, quamuis per se solæ non sufficerent ad salutem: ad hoc tamen profuisse gentilibus, vt veram Dei colendi rationem inquirerent; eámque in Ecclesiâ Dei inueniri potuisse.

Summa: ignoto Deo Altaria extruere, & non sine grauissimâ ratione sacrificare potuissent, vtpote de cuius colendi ratione meritò desperâssent.

DORSCHEVS.

Replicat §. 229. generatim. *Concedimus, ait, Deum non minùs humano generi prospexisse constituendo, conseruandóq́ Regnum gratia, quàm ciuile. Æqualitatem autem ordinationis & propagationis Regiminis sacri & profani negamus. Pendet enim ista à liberrimâ diuinâ bonitate & Sapientiâ. Imò de facto constat, Deum multò aliter iam inde ab Orbe condito, Ecclesiam administrâsse, quàm reliquam gentium politiam.* Hoc supposito — Negat æqualitatem regiminis sacri & profani.

Dicit I. *Kircherum transire à perpetuâ puritate Ecclesia ad sufficientiam mediorum salutis, nec probare, quod intendit. Sunt enim hac duo distincta, Puritas & Sinceritas Ecclesia, atque Sufficientia Mediorum Salutis. Media Salutis sunt reuelationes diuina de credendis, & accipiendis ad Salutem. Illa omni auo sufficienter visibilia & audita fuerunt, etiam cùm vera Ecclesia publico exercitio vniuersali non floruit. Media illa radij sunt prasentis, & ad illuminationem prompti Solis, & Capitis Ecclesia Christi. Itaq́ iubet credere Ecclesiam, etiam cùm nullam videmus.* — Kircherus transit à puritate Ecclesiæ ad sufficientiam mediorum salutis.

Dicit II. *Sicut ostendi vix potest, fuisse aliquam politiam in sincero incorruptóq́ statu semper permanentem, & cateris imperantem: ità in Ecclesiâ, quoad exteriorem formam, multitudinem, amplitudinem, successionem, felicitatem, vnitatem, puritatem, non semper vniformis fuit ratio, sed varia & innumerabilis permutatio &c.* — Nulla politia perpetua, ergo neque Ecclesia.

Dicit III. *Gentes nihilominus manere inexcusabiles. Quia fundamentum Conuersionis non est Ecclesia puritas, licet Ecclesia sit ordinarium instrumentum. Neq́ enim in Ecclesiâ, vt Congregatio quadam est, acquiescere debent: sed in Congregationis principium ipsum penetrare. Illud est reuelatio diuina. In hanc assensus fidei formaliter resolui, ex hâc etiam originaliter constitui debet. Confer suprà §. 117. & 118. & seq. Principium autem istud omnibus seculis sufficienter fuit expositum.* — Gentes nihilominus inexcusabiles.

Et cur tam solicitus est Kircherus, vt gentes reddatur inexcusabiles per Ecclesia stabilitatem & puritatem? Sunt, qui putent, teste Suar. l. 1 de diu. essent. cap. 1. n. 15. Veritatem de Deo ex Creaturis haustam, etsi euidentem assensum non prabeat, sufficere vt infideles sint inexcusabiles. Perer. in c. 1. ep. ad Rom. disp. 17. n. 82. scribit: Gentibus legem naturalem seruare satagentibus, — Creaturæ reddũt gentes inexcusabiles.

gentibus,

gentibus, Dei gratiam ad Salutem necessariam non fuisse defuturam &c. Maldonatus in c. 11. Matth. v. 22. ait, Gentiles potuisse seruatâ lege naturæ, omnium confessione saluos esse, legem autem naturæ satis fuisse illis ab ipsâ Naturâ prædicatam. Confer dicta superius p. 409 &c. Hæc, si ita se habent, cur de Ecclesia seruandâ in gratiam Gentilium perpetuâ Puritate tantopere disputat Kircherus?

Kircherus frustra de illis solicitus.

RESPONDETVR.

187\. RESP. I. Omnimodam æqualitatem ordinationis diuinæ circa Regimen sacrum & profanum, nec Kircherum nec quemquam alium ex Catholicis asserere, vel asseruisse. Frustra igitur Dorscheus negat, quod nemo affirmat. Hanc rationem ex Politiâ humanâ non proponimus, vt simpliciter necessariam, sed vt diuinæ prouidentiæ & Sapientiæ, bonitati & Caritati erga genus humanum conuenientissimam. Quali modo nec incarnationis quidem Mysterium ad reparationem generis humani necessarium fuisse credimus, ita vt sine illâ Deus non potuerit nos aliter reparare. *Ostendamus*, ait S. Aug. l. 13. de Trin. c. 10. *Non alium modum possibilem Deo defuisse (cuius potestati omnia æqualiter subiacent) sed sanandæ miseriæ nostræ, conuenientiorem alium modum non fuisse.* Sic poterat Deus alio modo, nos in viam Salutis per Filium suum vnigenitum patefactæ, absq; visibili Ecclesiæ institutione & magisterio deducere: sed nullum alium modum conuenientiorem fuisse, ostendit hæc ipsa circa politiam humanam constituendam Dei prouidentia, per argumentum à Maiori.

Ratio ex politiâ humanâ congrua, non euidēs.

Neque incarnatio simpliciter necessaria.

Si enim in Ciuilibus, *potestates à Deo ordinatæ sunt,* Rom. 13. v. 1. quantò magìs in Sacris, post plenitudinem cœlestis doctrinæ & gratiæ à Christo allatam, conueniebat sacram aliquam Politiam siue Ecclesiam constitui, ad salutaris doctrinæ propositionem, interpretationem, conseruationem, nec non ordinatam fidelium gubernationem: ne dum quisque suo sensu & arbitrio relinquitur, ea credendorũ & agendorũ confusio, perplexitas & incertitudo consequatur, quæ inter illos cernitur,

Potestas ciuilis à Deo ordinata, ergo multò magìs sacra.

qui

qui Hierarchiâ & Autoritate Ecclesiasticâ euersâ aut depressâ, solis nituntur Biblijs, quorum insufficientiam 1. parte demonstrauimus. Neque in contrarium dicta à Dorscheo mouere debent.

Non I. Neque enim, si omnia ad viuum resecemus, Kircherus transit à puritate Ecclesiæ (de quâ seq. cap agit) ad media salutis: sed de perpetuâ Ecclesiæ Christi visibilitate disputat, sine quâ media salutis rectè consistere non posse contēdit. Et licet presſè loquendo, puritatem ac sinceritatem Ecclesiæ, à sufficientiâ mediorum salutis distinguere possimus: ea tamen ex parte Ecclesiæ hæc media proponentis, veluti conditio sine quâ non, requiritur. Ad media salutis non spectant tantùm reuelationes de credendis & agendis, sed vel maximè ipsa credenda & agenda. Fuerunt omni æuo sufficienter visibilia & audita, non tamen per solas Scripturas, vti vellet Dorscheus, sed simul per Traditionem & Ecclesiam tanquam Scripturarum interpretem. Neque vnquam vera Ecclesia non floruit publico vniuersali exercitio, quod in medijs persecutionibus vigebat, eámque ob causam innumeri Martyres Ecclesiam suo sanguine purpurârunt. Nunquam redactum fuit in Dorscheanos angulos & tales recessus, vbi deprehensum non fuerit, aut deprehendi non potuerit: etsi quoad poterat, clàm cùm metus Tyrannorum vrgeret, in locis abditis perageretur. Semper enim fuit publicum institutione & naturâ, ac vniuersali vsu Fidelium.

Kirch. non transit à puritate Ecclesiæ aliò.

Media salutis omni tēpore visibilia.

Agnoscimus *radios Solis & Capitis nostri Iesu Christi*, sed is nō iubet ità nos credere Ecclesiam, vt simul illam non videamus. Sicuti Thomas Ioan. 20. *vidit hominem & credidit Deū*, sicuti in Symbolo credimus *vnum Baptisma salutiferum*, & videmus aquam, simúlque audimus illud: *Baptizo te in nomine Patris &c*, ità credimus Ecclesiam spiritualibus gratiæ donis inuisibiliter ornatam intus: simúlq; videmus & sentimus exterius cœtum hominum, quem esse veram Christi Ecclesiam credimus Fide

Ecclesiam partim credimus, partim videmus.

diuinâ propter reuelationem, per infallibilia motiua, nobis applicatam. Cur stellio recoquis argumentum, tacitâ solutione à Catholicis millies datâ, quam repræsentat notissimus tibi Bellarminus. l. 3. de Ecclesiâ. cap 15.

188. Politia humana mutabilis, non item Ecclesia. Neque II. pondus habet, quod ex mutatione & ruinâ Imperiorum & Politiarum, argumentum contra Kircherum retorquere nititur, parem mutabilem colligendo in Hierarchiâ Ecclesiasticâ. Ordinauit Deus Politiam humanam, conuenienter rebus temporalibus & caducis, vnde instar illarum varijs mutationibus subiacent. Ecclesiam autem Christi, quæ ordinatur ad vitam æternam, & fundatur in Verbo Domini, quod *manet in æternum*, conueniebat ita instituì ac stabiliri, ne cum stultis vt luna mutaretur, sed vt Sol in perpetuo Veritatis splẽdore, eodémque tenore inuariabilis persisteret. Ità à Christo hucúsque perdurauit Ecclesia Catholica Romana, semper sibi similis, vniformis, & immutabilis in credendis, & agendis, quæ ad Religionis substantiam pertinent. Quod ipsum, cùm tot tantáque Imperia, Regna, & Principatus profani interierint, hodiéque innumeris mutationibus subiaceant, argumento est: (Hierarchiæ perpetuitas veræ Ecclesię argumentum.) sacram hanc tam inuariabilem Hierarchiam esse opus diuinũ, neq; humanis, sed diuinis institutis & consilijs inniti. Si Dorscheo placeat mutationis argumenta proferre, ea expectabimus, quæ necdum à Catholicis sint soluta, ne identidem stellionem appellare cogamur.

Nihil denique III. in gratiam Gentilium inconueniens dixit Kircherus. Neque enim credimus de illis locutum, qui post Christum nihil prorsus de Christianâ Religione, & Christianorum diuersis Sectis inaudierint. His enim non diffitemur, ad salutem sufficere haustam ex creaturis notitiam legísque Naturalis obseruantiam, quæ ipsa nec alia mens est DD. nostrorum, quos cum pompâ Dorscheus producit.

(Kirch. de gentilibus loquitur.) De illis Gentilibus accipimus Kircherum (ex quibus vnum producit S. Chrysost. homil. 33. in Acta Apostol. à Dorscheo

fallaciter

fallaciter allegatus §. 197. vti ostendimus n. 39.) quibus diuinitatis ex creaturis cognitione vtcunque conceptâ, Religio Christiana, & Sectarum in eâ diuersitas innotuit: isti certè, nisi sit aliqua vera & visibilis Ecclesia, quam adire, audire, consulere, & in eius conspicuam Societatem venire possint, erunt excusabiles, si veram Ecclesiam ità absconditam vel reconditam, vt attingi sensibus, (à quibus in hâc vitâ dependet nostra cognitio,) non possit, non amplectantur. Quâ ratione *veluti ignoto Deo*, sacrificare aliquatenus possent, quia quem ex creaturis confusè nôrunt, ab eius distinctâ & perfectiori notitiâ, veræ Christi Ecclesiæ ignoratione arcentur. quibus Christiana fides innotuit.

Cur verò Deus pro hominibus olim peculiarem Ecclesiam, vt pro Israëlitis in V. T. & Christianis in N. T. non ordinârit, pertinet *ad incomprehensibilia iudicia, & inuestigabiles vias eius*, vt appellat Apost. Rom. 11. v. 33. Id certum est, testibus Paulo & Barnabâ Actor. 14. v. 11. quòd in *præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit &c.* Cur Deus in lege naturæ non ordinârit Ecclesiã?

Quæ Dorscheus dicit de fundamento Conuersionis, *non esse illud iaciendum in Ecclesiæ puritate*, fallit, vbi enim tutiùs iaciatur, quàm in illâ Ecclesiâ, *quæ est fundata supra Petrã, &c.* Matth. 16. talis verò non est Ecclesia, quæ omni parte & puncto pura non est, vt demonstratum est Aphor. 7. n. 169. & 184. vacillat enim veritas, quæ non est prorsus pura. Sed quo pacto Ecclesia est ordinarium Conuersionis instrumentum, cùm illud Dorscheus reponat in solis biblijs, ad quæ remittit omnes? & quis credat, tam bonum artificem, quàm est Deus, ordinariè vti vitioso impuro, & fallaci instrumento ad opus sibi maximè proprium, quale est Conuersio ad veram Fidem? De resolutione Fidei in reuelationem diuinam satis diximus. n. 51. Principium Fidei, quod Dorscheus in solis Biblijs reponit, omnibus seculis fuisse sufficienter expositum, negant vno ore cæci, Illiterati linguarum Originalium, imò & Logicæ imperiti. Fundamentum Conuersionis in Ecclesiâ.

riti. V. dicta parte 1. Recta igitur ratio, non obstantibus tricis Dorscheanis, ostendit, veram Christi Ecclesiam esse perpetuò visibilem.

KIRCHERVS.

Perpetuitatem Ecclesiæ agnoscit Confessio Augustana.

189. Eius verba. Agnoscit hoc, *ait* f. 55. ipsa Confessio Augustana art. 7. his verbis, *Docent, quòd vna, Sancta Ecclesia perpetuò mansura sit. Est autem Ecclesia Congregatio Sanctorum, in quâ Euangelium rectè docetur & rectè administrantur Sacramenta. Et ad veram vnitatem Ecclesiæ satis est consentire de doctrinâ Euangelij & administratione Sacramentorum; nec necesse est, esse similes Traditiones humanas, seu ritus aut Ceremonias ab hominibus institutas; sicut inquit Paulus:* Vna Fides, vnum Baptisma &c.

Prædicatio & Sacramenta, nonnisi in visibili Ecclesiâ. Quid clariùs pro nostrâ parte Aduersarij dicere potuissent? Pura Verbi prædicatio, legitima Sacramentorum Administratio, consensúsque & vniformitas in istis præcipuis, discrepantia in cæteris, nonnisi in visibili Ecclesiâ esse possunt. Ergo vel Aduersariorum publico & communi calculo, nullum tempus reperitur ab Apostolis inde; quo non fuerit talis SS. Congregatio, in quâ Euangelium rectè doceretur, & rectè administrarentur Sacramenta.

Ante Lutherum nulla Ecclesia Christiana, nisi Catholica. Certè autem mille annorum spatio & ampliùs, ante Lutherum & Caluinum alia Ecclesia non fuit, quæ Christianam Fidem amplecteretur, nisi Catholica, quam AntiChristianam vocant. Quomodo autem si talis fuit, in illâ Verbum Dei rectè doceri, & legitimè administrari Sacramenta potuerunt? Aut, si in Catholicâ Ecclesiâ ritè ista viguerunt, quomodo AntiChristiana esse potuit.

Effugia frustranea. Neque confugere hîc ad Infantes licet, ad agonizantes, ad occultos Romanæ Ecclesiæ Osores, vel audaculos quosdam contradictores. Nulli enim istorum publicam eiusmodi Congregationem habuerunt, nulli prædicârunt Euangelium, administrârunt Sacramenta, consensúmque in istis & vniformitatem retinuerunt. Imò, si hæc etiam præstitissent, non perpetua tamen ipsorum Congregatio fuisset, quod veræ Ecclesiæ tribuitur ab Augustanâ Confessione.

DORSCHEVS.

Distinguit inter internâ Ecclesiæ constitutionem, & externam. Replicat §. 230 Hæc *ex Conf. Aug. à Kirchero proposita sibi non aduersari.* & dicit I. *Ecclesiam consideratam respectu internæ Constitutionis esse Congregationem Sanctorum perpetuò mansuram &c, consideratam verò respectu*

spectu externæ dispositionis, sic totam talem dici, ob genuinam illam, viuam, sanctámque partem, quam inesse adspectabili Congregationi vi diuinarum promissionum credimus.

Dicit II. *Ratione Organorum seu mediorum notificantium absconditum illud Regnum, extrinsecam Ecclesiæ dispositionem consistere in Euangelij doctrinâ rectâ, & administratione Sacramentorum; sed in hâc posse esse variationẽ & mutationem: Nam & hunc, & illum, & istum visibilem cœtum ad Congregationem SS. promouendam, conseruandámque aliquamdiu ordinatum posse intercidere. Neque enim vllus particularis cœtus promissionẽ perpetuitatis absolutè accepit. Vnde qui dicat Ecclesiam, quæ est Congregatio SS. in qua Euangelium rectè docetur, & rectè administrantur Sacramenta, perpetuò mansuram: is non dicit Ecclesiam, quoad rectam doctrinam & administrationem Sacramentorum perpetuò mansuram.*

Externam consistere in prædicatione & Sacramentis, ac posse variari.

Dicit III. *Concordem esse Pontificiorum opinionem in AntiChristi persecutione, omnes publicas Religionis ceremonias & Sacrificia cessatura, vt in locis abditis, in speluncis, in latibulis, quo SS. se recepturi sunt, non incommode quæri possit Ecclesia &c. Allegat Stapletonum, l. 3. princ. doctrina, c. 2. Bellarm. l. 3. de Pont. c. 7. §. 1. & alios. Porrò demus,* ait, *in vnaquaque Europæ Ciuitate vnum tantùm esse fidelem, Congregationem tamen SS. fore, quia non externa sociatio, sed interna cum Deo vnio in eâ attenditur. Hæc Congregatio, si ad externam consociationem admitteretur, publicè Euangelium rectè doceret, & Sacramenta administraret. Semper tamen de Verbo, déque Sacramentis tantum superfuit, quantum ad Congregationem SS. necessarium est.*

Sub AntiChristo Religionis cultum desiturum, etiam Pontificij tenent.

Si vnus in quauis ciuitate fidelis, Ecclesia tamen sancta foret.

Dicit IV. *Etsi Verbi prædicatio, Sacramentorum administratio & vniformitas in his, ad visibilem Ecclesiam pertineant, non tamen esse admittendũ, quod nullo pacto ad Ecclesiam inuisibilem restringenda sint. Possunt enim publicè ignotæ fuisse SS. Congregationes, in quibus hæc rectè ac ritè fierent, etsi quoad ritus fuerit aliqua discrepantia. Illæ verò, licet singulæ sibi fuerint cognitæ & visibiles quoad sua membra, adeò vt Congregatio Hispanica suos, Gallicana suos &c, habuerit cognitos, sicut & olim in antelucanis congressibus sibi cogniti fuerunt Sanctorum cœtus: Non tamen propterea fuisse visibiles eâ visibilitatis ratione, quâ SS. vnicuique ex gentilismo, aut AntiChristianismo migrare volenti, in propatulo essent, & conspicerentur vndique.*

Prædicatio & Sacramẽta pertinent quoque ad Ecclesiam inuisibilem.

Dicit denique V. *Quod Kircherus asserit, Mille annis & ampliùs, aliã Ecclesiam Christianam non fuisse, quam Catholicam Romanam, à suis contrarium esse ostensum, allegat* Gerardum suum, cuius syluas identidem cædit. & Caluiniani Balth. Lydij Waldensia. rapit deinde rursus ad se infantes & agonizantes, ac de Kirchero veluti victo inanissimè triumphat.

Ante Christum non sola Ecclesia Romana Christiana.

RESPONDETUR.

190. Demonstratio Kircheri qualis?

RESP. I. Dorscheum effugia quærere in meridie, ne cogatur fateri solem lucere. Demonstratio Kircheri est ista: *Congregatio Sanctorum, in quâ Euangelium rectè docetur, & rectè administrantur Sacramenta &c, est visibilis: Ecclesia una, Sancta, perpetuò mansura, est hæc ipsa Congregatio. Ergo Ecclesia una, Sancta, perpetuò mansura, est visibilis.* Minor disertè affirmatur à Conf. Aug. quæ *Ecclesiam unam, Sanctam, perpetuò mansuram* taliter definit, definitione vtique essentiali. Ad quam non tantùm pertinet Sanctitas, consistens in donis internis veræ Fidei proprijs, eíque connexis: verùm etiam altera, sita in eiusdem fidei rectâ prædicatione & obseruantiâ externâ, quæ in administratione & vsu Sacramentorum maximè cernitur: sicuti ad essentiam hominis non sufficit anima, etsi pars sit præcipua & præstantior, sed insuper corpus requiritur. Quare ad hanc rem impertinens est distinctio Internæ & externæ dispositionis, cùm vtraque ad Ecclesiæ constitutionem requiratur.

Ecclesiæ propria est Sanctitas tam externa, quàm interna.

Ecclesia dicitur quoq; Sancta, ob veros Sanctos, qui semper sunt in illa.

RESP. II. Etsi ideo etiam Ecclesia Sancta dicitur, quòd in eâ sint & omni tempore fuerint veri Sancti, tum occulti, tum aperti, non est ea tamen causa adæquata huius appellationis: quæ præcipuè sita est in legis, doctrinæ, Sacramentorum, aliorúmque institutorum etiam externâ Sanctitate, ab omni errore & vitio, vel corruptelâ longissimè alienâ, quæque apta nata est, vt quosuis sui obseruantes, ad solidam virtutem, ac veram Sanctitatem internam perducat. Neque hæc Ecclesiæ Sanctitas minuitur vel tollitur, per quorumuis impiorum multitudinē, in quos competit illud Aristotelis: *Milesij habent bonas leges, & malos mores.* Non rectè igitur Dorscheus Sanctitatem Ecclesiæ, ob quam in Symbolo Sancta dicitur, restringit ad solos verè iustos & electos, quibus licet deficientibus, retineret Ecclesia perpetuam immaculatæ legis, doctrinæ, Sacramentorum, institutorúmque Sanctitatem.

RESP. III. In hâc mediorum salutis licet externâ Sancti-

tate

tate, non posse Ecclesiam deficere: neque Deum, qui speciali prouidentiâ illam gubernat, permittere, vt aliquid doctrinæ, Sacramentis, cæterisque institutis alienum addat, aut necessarium detrahat. Sicut enim is facit, ne propter vllas tribulationes, in errorem damnabilem siue interiùs siue exteriùs inducantur electi, ita efficit, ne quidquam erroneum in leges suas aut ritus Ecclesia visibilis admittat. Cœtus particulares errare ac deficere posse, neque promissionem perpetuitatis accepisse vltrò fatemur; de Ecclesiâ Vniuersali quæstio est, à quâ fallaciter ad particulares transilit Dorscheus. Sed de hoc cap. seq.

In sanctitate mediorum non potest Ecclesia deficere.

Resp. IV. Esto, publicas Religionis Cęremonias & Sacrificia cessatura tempore AntiChristi, eo sensu, quòd in publicis locis non poterunt exerceri: non cessabit tamen publica professio Orthodoxæ doctrinæ, de Fide, Religione, eiùsque cultu. Remanebit eadem doctrina in libris DD. & PP. Actis Conciliorum, historiâ Ecclesiasticâ, aliísque monumentis. Quæ omnia licet perirent in Chartis, remanerent *Scripta non atramento, sed Spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis sed in tabulis cordis carnalibus* Fidelium 2. Cor. 3. v. 3. Etiam illo tempore permansuram incorruptam Ecclesiam visibilem, clarè sentit S. Aug l. 20. de ciu. c. 8. vbi dicit, *id potiùs esse credendum, nec qui cadant de Ecclesiâ, nec qui accedant ad Ecclesiam, illo tempore defuturos.* De Ecclesiâ inuisibili electorum nemo cadit, ab Ecclesiâ autem corruptâ, vel impurâ exire, non est cadere, sed potiùs surgere: permansura igitur est iuxta S. Aug. semper etiam sub AntiChristo incorrupta Visibilis Christi Ecclesia.

Tempore AntiChristi non cessabit publica veritatis professio.

Ità sentit Aug.

Etiam in abditis locis, in speluncis, & cauernis terræ, cùm exercetur vera Religio, imò, cùm nec ibi exerceri potest: est tamen illud exercitium publicum professione, doctrinâ, monumentorum Antiquitatis testimonio, quæ omnia & olim sub Tyrannis, & olim sub AntiChristo suo sanguine obsignârunt, & obsignabunt innumeri Martyres. Neque, *si in singulis Europæ Ciuitatibus singuli solùm essent fideles, solùm sociarentur in vnione interna*

Cultus Religionis semper publicus.

terna cum Deo (vt significat Dorscheus) sed in totâ quoque doctrinâ de Sacramentis & cæteris ad diuinum cultum necessarijs. Eâdem ratione in his quoque pauculis Ecclesia foret visibilis institutione, naturâ, & professione, ipsóque actu, nisi obstacula interueniant. De tali verò diuini Cultus professione publicâ & visibili obseruātiâ gloriari minimè possunt Acatholici. Etsi enim iuxta morem sectarum suarum, cùm possunt, & prædicent, & Sacramenta administrent: at Scripturæ, PP. Conciliorum, historiæ Ecclesiasticæ, alijsque legitimis testimonijs destituuntur. Vbi illud præterea absurdum Dorschei pondera, quòd quæ naturâ suâ & per se sunt visibilia, ipse inuisibilia facit, quando per accidens in loco abdito posita sunt: cùm Conf. Aug. *Ecclesiam veram in vnione & donis internis constituat*, quæ per se & ex naturâ suâ sunt inuisibilia, de quâ inuisibilitate procedit status quæstionis.

Ecclesia sēper visibilis institutione & professione.

Dorscheus facit inuisibilia, quæ per se sunt visibilia.

RESP. V. Contra doctrinam Conf. Aug. pugnare Dorscheum dum Congregationes occultas, quibus in publico Religionis exercitium interclusum est, singulas sibi suisque membris cognitas, Ecclesiæ inuisibili accenset. Conf. enim Aug. vt vidimus Aphor. 3. n. 167. in Ecclesiam inuisibilem, quam solā vult esse veram, non recipit *malos & impios, quia pertinent ad Regnum Diaboli*. In conuentibus autem occultis, qui in locis abditis propter metum persecutionum, aut olim à Christi Fidelibus acti sunt, aut iam aguntur, & in posterum agentur, interuenisse & interuenire aliquos malos & impios, ambigi non debet. Non possunt ergo hi conuentus accenseri Ecclesiæ inuisibili secundùm statum quæstionis & doctrinam Confessionis Augustanæ, nisi (vt putat Dorscheus,) secundùm *indiuidua indeterminata, quæ demonstrari non possunt*; quod moraliter perinde est, ac si totus eiusmodi cœtus foret inuisibilis, vt diximus Aphor ib.

Cœtus occultos Dorsch. refert ad Ecclesiam visibilem contra C. A.

Ex quibus conficitur, Prædicationem Verbi, & administrationem Sacramentorum &c non conuenire nisi Ecclesiæ visibili,

sibili, quatenus in actione externâ & visibili consistunt. Vnde vlterius concludimus, si recta Prædicatio & Sacramentorum administratio, à verâ & semper vnâ, Sanctâ & Catholicâ Ecclesiâ, diuelli non possunt: (vt hactenus partim monstratum est, & magis ex cap. seq. elucescet) Veram Christi Ecclesiam, non solùm quoad dona interna inuisibilem, verùm etiam quoad doctrinam & Sacramenta, cultúmque diuinum semper visibilem esse, perpetuóque mansuram: eâ visibilitate, quâ cuique ex Gentilismo vel hæresi ad Christianam Fidem aspiranti, & Credibilitatis motiua ponderanti, fiat ità euidenter credibilis: vt eam ab omnibus hæreticorum Synagogis discernere, & diuinâ Fide amplecti possit ac debeat, quidquid obstrepat Dorscheus.

Ecclesia semper conspicua ex Gentilismo aspiranti ad Christianismum.

Hanc denique ipsam veram & visibilem Christi Ecclesiam, non esse aliam quàm Romano-Catholicam demonstrabimus cap. 8. Neque moramur Gerardum, vel alios similes, quorum argumenta aut laborant crimine stellionatus, id est, repetitione eorum, quæ dudum soluimus, aliisque malis artibus, aut allegationibus fallacibus, malè detortis & impertinentibus. Infantes baptizatos inter Lutheranos, & agonizantes non pertinere ad Ecclesiam Lutheranam, ostendimus Aphor. 11. n. 172.

Gerardi & similium argumenta vitiosa.

DORSCHEVS.

Vt videatur vicisse, argumenta pro Ecclesiâ partim producta, partim producenda, pro Scripturâ pugnare contendit §. 231. vt Ecclesiæ Autoritatem superuacaneam esse persuadeat. Nos verborum ampullas in Compendium cogimus. 1. *De Scriptura firmitate, ait, & perpetuitate absolutâ extare clarissimas promissiones diuinas. 2. Scripturam absolutè Catholicum esse, & vniuersi Orbis felicitati donatam ad salutem æternam, ideóq. ad finem sæculi duraturam. 3. Apostolicam esse, & per Apostolorum ministerium toto orbe dilatatam. 4. Eorum doctrinam & ritus ad salutem necessarios, neq; tantùm internam SS. Communionem, sed publicam quoque Verbi & Sacramentorum, continere. 5. Complecti per modum principij illud Verbum, extra quod nulla salus: neq; habere Deum Patrem, qui illud non habeat pro regenerationis Organo.* 291.

Argumenta pro Ecclesia, Scripturæ aptare conatur.

Arguit à legibus ciuilibus ad Scripturam.

6. Si prouidentia Ciuilis monumenta, legésq, varias diuersis in populis non traditione solùm, sed etiam varijs Scripturæ modis conseruauit Deus, adeò, vt iam non ex Politia perfectione, prudentiā ciuilē quærere aut æstimare, necesse fuerit, sed Scriptura potiùs fuerit illius Cynosura: Quomodo non Deus æterna Sapientia tabulas i. e. Sacras Literas ita contra orbis ferociam muniuisset, & commendásset, vt iam non ex Ecclesiæ perfectione, de illis quærere & æstimare necesse esset, sed hæ potiùs ità eminerent, vt illius essent norma? 7. Solet quidem Deus Verbi sui contemptum subtractione eius vindicare, sed illa subtractio & deprauatus sensus non omnes peruadit. Quid enim gentilibus reliqui fuisset ad salutem, si præter naturales notitias, & has ipsas obscuriores, nulla certa ex ipso Verbo Dei, ad ipsius intelligentiam in promptu esset accessio, cum inter Ecclesias pugnæ sint & concertationes maximæ? &c

RESPONDETVR.

232. Si tam solida foret probatio eorum, quæ dicis Dorschee, quàm cordata tua est assertio, succumbendum vtique nobis foret: sed nimis quàm diuersa sunt dicere & probare, vt hæc quoque lacinia Solibiblica, quam huic Capiti assuis, ostendit.

Non est par Ecclesiæ & Scripturæ perpetuitas.

I. Scripturæ *firmitatem*, id est, soliditatem & certitudinem, non negamus; pro eius perpetuitate absolutâ, sicuti extant pro Ecclesiæ duratione vsq; in finem seculi, haberi vllas promissiones diuinas, falsum est, neque vnam proferre potes. Perijsse aliquos libros Canonicos verisimile est, vt ostendit Serar. in proleg. Bibl. q. 14. & 15. quibus doctrinæ firmitas & certitudo certè non defuit. Antiquiorem esse Scripturis Ecclesiam neq; Dorscheus negare audet, neque ante finem seculi illas non abolitum iri, probare potest. Non est ergo par Ecclesiæ & Scripturæ perpetuitas.

Est diffusa per Orbem.

II. Esse Scripturam *propagatam & diffusam per totum Orbem, ideóq, Catholicam* dici posse concedimus. Non ideo tamen infallibile est mansuram perpetuò: potest quidpiam ad salutem æternam conducens, Orbi donari, cuius effectus quidem perennet, non autem ipsum. Eiusmodi fuit ipsa Christi passio, prædicatio &c.

Est Apostolica.

III. Posse *Apostolicam dici* ab Apostolis, quia continet doctrinam

ctrinam Apostolicam, & N. T. libri ab ipsis conscripti sunt, itidem verum est.

IV. Complecti *omnem doctrinam ad salutem necessariam*, pernegamus. Credenda sunt, quæcunque Ecclesia credenda proponit, siue scripta sint, siue non sint. Plures Traditiones non scriptas recenset Bellarm. l. 4. de Verbo Dei. c. 5. Quin sensus Scripturæ, pro quo stant Euangelici, non est in Scripturis assertus: nec expressè, nec æquiualenter, nec virtute, vt inde per Consequentiam legitimè deduci queat, quod ostendimus toto cap. 5. Non continet omnia credenda.

V. Biblia complecti *Verbum salutiferum per modum principij inadæquati*, verum est: neque extra illa secundùm interpretationem Ecclesiæ intellecta, salutem esse, non refragamur. Et, vt damus, non habere Deum Patrem, qui Scripturam, velut instrumentum Fidei & morum, non agnoscit: ità nec ille inter filios reputatur, qui in Scripturis intelligendis Ecclesiam recusat habere Matrem & Magistram. Non habet Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Scripturæ interpretem.

VI. Quando Dorscheus exemplum produxerit alicuius Reipub. Principatus, Imperij, *in quâ vnica Cynosura, siue Regula politici status administrandi sit lex scripta*: eâ ratione, vt Princeps vel Magistratus, nullam præterea habeat potestatem iudicandi, interpretandi, aut præter leges scriptas, quidquam mandandi, aut faciendi: tum enim verò, quantum hæc quidem naturalis falsò afferta Ratio dictat, non in Ecclesiæ perfectione, sed in Scripturis, quæremus vnicam credendorum & agendorum siue normam, siue Cynosuram. Nulla politia habet pro vnicâ Regulâ legẽ scriptam.

VII. Denique fatemur, Deum, non vbique subtrahere Scripturam, aut legitimum illius sensum, sed *illis solùm locis, vbi contemptus Verbi diuini id meretur.* Hæc verò subtractio non fit absque subtractione Ecclesiæ, quam è toto Terrarum Orbe, nunquam subtractum iri, est verissimum ex promissionibus diuinis. Neque propter subtractionem solius Scripturæ, intercluditur spes salutis. Etsi enim inter Ecclesias sint concerta-

Subtractio solius Scripturæ non intercludit salutem.

tiones maximæ, illæ eædem oriuntur ex Scripturis diuersimodè intellectis: vt in illis solis sufficiens saluti remedium gentilibus reliquum sit nullum. Vera Ecclesia Christi, Characteribus inscripta clarissimis & infallibilibus, facilè discernitur, & concertationes de Scripturarum sensu rectissimè illa componit, si rectè audiatur.

Nihil ergo, quæ de Scripturis attulit Dorscheus, præiudicat Ecclesiæ Christi veræ ac visibili, sed potiùs veram Scripturarum intelligentiam, ab Ecclesiâ pendere, persuadent & confirmant.

Capitis Anacephalæosis.

192. Nullas hoc capite, vel generatim saltem Kirchero deuiationes Dorscheus obijcit, deuiationum suarum fortassis conscius & intelligens. Sed nos præcipuas ab ipso commissas, breuiter attingamus. 1. *Si reciproca aliqua sint* (videl. proprietates quarti modi, siue conuertibiles cum naturâ, & essentiâ &c,) asserit *ea seorsim siue distinctè vnum ab altero tractari non posse, absq; Tautologiæ, siue inanis repetitionis vitio*; in quo contra Isagogen Porphyrij, & præcepta Tironibus Logicæ comperta, Theologiæ Doctor turpiter aberrat. Num. 165.

2. Adstruit cum alijs Acatholicis *duplicem Ecclesiam, visibilē & inuisibilem*, contra sensum & sententiam Veteris Ecclesiæ. Num. 168.

3. *Crimen stellionatus* committit, Notas Ecclesiæ dudū refutatas, tacitis responsis & solutionibus nostris assignando. Num. 169. Item paulò post *eodem crimine* bis peccat, Num. eod. sub finem; item N. 180. *similiter* delinquit N. 168.

4. Iactat *Antecessores Fidei Lutheranæ*, qui nulli sunt, nisi hæretici & testes, quos nominare non potest; aduersantibus etiā Magdeburgensibus Centuriatoribus. Num. 171. & 172.

5. Illudit Scripturæ, dum Prophetias de Ecclesiâ N. T. refert ad *solam domum Dauid.* Num. 175. item in simili num. 176.

6. Falsò

6. Falsò negat, *vnitatem, Sanctitatémq; Ecclesiæ externam posse esse obiectum Fidei:* & ineptè de Ideâ Ecclesiæ loquitur. N. 179.

7. Contra *statum quæstionis & Antonomasiam Ecclesiæ Catholicæ, eam sophisticè extendit*, aliúdque absurdum in acceptione nominis *Apostolici* comittit ibid. & Num. 180.

8. Locum Apostoli Gal. 4. 26. & seq. de *Ierusalem, quæ sursum est, quæ Mater nostra est &c*, perperam contra textum, & contextum explicat. Num. 184.

9. Sanctitatem, ob quam *Ecclesia in Symbolo Sancta* dicitur, perperam explicat. Num. 189.

10. Contra Conf. Aug. & rei veritatem, *cœtus fidelium occultos, accenset Ecclesiæ inuisibili.* ibid.

11. *Ecclesiæ Christi prærogatiuas, Scripturæ aptare* frustra conatur. N. 190.

Verbo absoluimus, & dicimus Dorscheum toto Capite à **Veritatis Scopo aberrâsse, neque contra veræ Ecclesiæ Christi visibilem perpetuitatem quidquam, nedum conuincens, sed nec alicuius momenti attulisse.**



CAPVT VII.

Veram & visibilem Ecclesiam nunquam posse totam errare in Fide.

KIRCHERVS.

193. Non est quæstio de parte Ecclesiæ, sed de totâ.

NOn est quæstio *ait Kircherus n.* 159. de parte aliquâ Ecclesiæ. Nimis quàm multis constat exemplis, aliquos Christianos errare posse, & reipsa errâsse sæpiùs. Hoc ergo solùm asserimus: *Christum, qui caput est Ecclesiæ, non permissurum esse, vt ipsa tota, quatenus ex Pastoribus & ouibus constat, totoque passim diffusa est Christiano orbe, publicè profiteatur aliquod dogma, quod pugnet cum Fide & Euangelio. Qui sensus est secundæ assertionis initio capitis 6. posita.*

Si tota Ecclesia semel erraret, non esset perpetua.

Sequitur verò ex Assertione I. eodem capite explicatâ & defensâ. Si enim vel per breue spatiũ vniuersa Christianorũ multitudo erraret in Fide, iam non constaret illa perpetuitas, adeò firmis argumentis demonstrata. Non staret ampliùs ille Fidei articulus, in quo vnam, sanctam, Catholicam Ecclesiam nos credere profitemur. Quæ pro perpetuitate Ecclesiæ argumenta allata fuerunt, eadem vniuersa ac singula militant etiam pro istâ Assertione.

Videamus magis in specie, I. quid de hâc re Scriptura doceat? II. Quid antiquissimi Patres senserint? III. Quid rectè ratio, suadeat?

DORSCHEVS.

I. In genere §. 234. Replicat; *Kircherum nihil noui attulisse, id tantum repetysse, quod iam protritum est à DD. Lutheranis, & post alios à Gerardo to. 5. de Ecclesiâ, c. 8. & 9. &c Posse ergo se eò remittere Kircherũ, placere tamen pauca addere.* Igitur Replicat II. *Si vel maximè aliquo temporis spatio vniuersa Christianorum multitudo, quatenus nobis id cognitum est, & quatenus ea visibilis apparatus fulget splendore, à Fide recederet & deficeret, constitutam tamen perpetuitatem Ecclesiæ. vt supra docuerit.*

Dorscheus putat Ecclesiam esse perpetuam, licet erret.

RESPONDETVR.

Ad Replicam I. RESP. Kircherum nihil noui attulisse, sed ea, quæ in antiquâ veritate fundata sunt: neque aliter ab Acatholicis protrita, quàm ab inimicis proteri solet Veritas. Legimus mi Dorschee tuum Gerardum, neque reperimus Solutiones argumentorum Catholicorum, sed sophismata & effugia

apud

apud vos recepta, tibíque ipsi vsurpata: ne glorieris te aliquid addere, nisi nouas fallacias.

Ad Replicam II. RESP. Si tota Ecclesia, quatenus visibilis à Fide recederet, tu nempe illam sufflaminares tuis Aphorismis, quos supra elisimus! Sed te quidem autore, qui veram Fidem quærunt, aut dubij de illâ sunt, *in Ecclesiâ, vt Congregatio quædam est, acquiescere non debent, sed in Congregationis principium ipsum penetrare. Illud est reuelatio diuina*; non alia videlicet quàm in Biblijs scripta, neque alio interprete indigens, quàm seipsâ. Atqui hoc nos Principium, parte 1. insufficiens esse, & absq; Ecclesiæ Magisterio impenetrabile demonstrauimus, ratione tum Lectionis clausæ cæcis, & illiteratis, tum autoritatis Verbi diuini, tum versionis, tum Canonis, tum denique legitimi sensus: quæ singula sine Magisterio & interpretatione Ecclesiæ fluctuare, singulis capitibus euicimus, vt Dorschei monitum & effugium nullius sint ad salutem & veritatem momenti.

Dorscheus iubet frustra acquiescere in solis Biblijs.

---

§. I.

Ecclesiam visibilem errare non posse, demonstrant promissiones diuinæ in Scripturis extantes.

KIRCHERVS.

ANte omnia, *ait n. 19. f.* 20. occurrunt verba illa, *Isa. 59. v.* 19. 20. 21. *Hoc fœdus meũ cum eis: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, à modo vsque in sempiternum.* Quæ referri ad Ecclesiam N. T. inde patet, quod dicantur futura, cum venerit Sion Redemptor, venerintque à Solis ortu, & ab occidente ad glorificandum Dominum; & manifestè ita applicantur à Paulo ad Rom. 11. v. 26. 194.

Testimonium Isaiæ.

Iisdem penè verbis Ecclesiæ N. T. quam tum repræsentabant Apostoli, Christus promittit spiritum veritatis, qui illos ducturus sit in omnem veritatem. Io. 16. v. 13. Et, ne ad solos Apostolos ista pertinere existimentur, de eodem Spiritu dicit, Io. 14 v. 16. quod mansurus sit cum ipsis in æternum. Quâ assistentiâ perpetuâ non indigebant Apostoli, quippe in æternum non victuri. sed Ecclesia, cuius tum personam

Ioannis.

repre-

repræsentabant. Vnde Christus in ardentissimis illis precibus paulò ante mortem, Io. 17. v. 20. non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me. Rogabat verò, vt Pater sanctificaret eos in veritate, vt seruaret eos in nomine suo, vt seruet eos à malo. &c Quò illud etiam tendit Matth. 28. v. 20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.

Matthæi.

Promissiones perpetuæ.

Quæ non solis Apostolis, quorum ministerium breue fuit, nec in primos modò quadringentos, aut quingentos annos dicebantur: sed in seculi vsque consummationem hæc se protendebat promissio, sine aliquâ interruptione. Cogita, si post illa tempora in Fide errâsset Ecclesia vniuersa, quo pacto sibi constarent istæ promissiones? vbi ille Spiritus, qui non recedet ab ore Ecclesiæ, non ab ore seminis eius, non ab ore seminis seminis eiusdem, qui cum Ecclesiâ maneat in æternum?

DORSCHEVS.

Argumentũ ex Isaiâ redigit in formam.

Replicat §. 235. I. ad verba Isaiæ, *quod inde à Kirchero concluditur, sic procedere: Qui eo fœdere copulandi sunt Deo, in quo Spiritus S. fœderandorum inhabitator, & fœderantis verba, perpetuò fœderandorum linguis & oribus imponenda, & nunquam ab ipsis recessura promittuntur: penes illos visibilis Ecclesia indefectibilis est, & nunquam erratur. Atqui homines N. T. visibili cœtu tali fœdere copulandi sunt Deo &c. Ergo penes illos visibilis Ecclesia indefectibilis est, & nunquam erratum. Atqui Maior propositio falsa est, nisi ita formetur: Qui ad visibilem Societatem ex fœdere Deo irresistibiliter, & absolutè copulandi sunt in æternum &c, penes illos est Ecclesia visibilis, indefectibilis, & nunquam erratum.*

Maiorem limitat.

Minorem dicit obscuram, & variè explicari.

Allegat Sanctium.

Minor propositio obscura est. Nam 1. teste Sanchez. hic, aliqui putant hæc verba dicta esse Christo à Deo Patre; alij Ecclesiæ; plerique alij cum Hieronymo hæc Esaiæ tribuunt. Adamus Sausbout. illis adscribit, ad quos Esaias loquebatur. Ipse Sanchez. n. 91. ait monere Dominum Prophetam, vt hæc verba sæpiùs inculcet; quod item edicit eius semini, id est, posteris posterorum. &c Nam & consecutos esse multos ex Iudæis salutem primis Ecclesiæ temporibus, & deinde, vt Paulus ex multorum sententiâ docet ad Rom. 11. ad finem seculorum. Hanc sententiam, aut tenet, aut indicat Cyrillus. Illud *in sempiternum*, vt in alijs locis sæpe, longum tempus significare, licet aliquo spatio definitum. &c Illud *non recedent* licet in futuro sit, tamen pro Imperatiuo positum esse, quod in Scripturâ scilicet obuium, ità, vt non tam dicantur verba ab ore non recessura, quàm præcipiatur, ne vllo tempore recedant.

Cornelium de Lapide.

II. Cornelius à Lapide, hic *conatur quidem ex his verbis euincere, Ecclesia*

clesiæ promitti priuilegium non errandi; addit tamen postea. 1. Hunc Spiritum Ecclesiæ promitti, non singulis personis; sunt enim in Ecclesiâ etiam impij & peccatores. 2. Spiritum hunc tamen promitti singulis iustis & ex parte Dei esse æternum, & cum iusto manere in sempiternum, nisi ipse eum sponte excutiat. 3. Pari modo Spiritum veritatis, qui non singulis Ecclesiæ membris, id est, iustis, sed toti Ecclesiæ eiusque capiti Ro. Pontifici ad definiendas res in fide controuersas promittitur, ab eâ, & ab eo non recessurũ in æternũ. *Sed si pari modo Spiritus promittitur Ecclesiæ & Pontifici, sicut iustis; qui scilicet nunquam recessurus sit, nisi sponte excutiatur, nondum hinc probata est absoluta infallibitas.*

III. *Nondum ex textu probauit Kircherus, promitti fœderationem perpetuis visibilibus monumentis & personarum indicijs constitutam. Spiritus S. in Ecclesia futurus, non est visibile donum. Verba veritatis nunquam recessura à certis & Deo notis. 2. Timo. 2. v. 19. ipsi fatemur. Id verò etiam de illis promitti in ordine ad publicam coram toto mundo Confessionem, & non potius in relatione ad Deum, & fidelẽ cum eo coniunctionem, Kircherus non probauit.*

Replicat II. §. 236. ad Verba ex Io. 16. v. 13. & ait, *Kircherum, sic concludere: quibus Christus promittit Spiritum S. in omnem veritatem ducturum vsq; ad finem mundi, illi non possunt errare in fide, vi promissionis diuinæ. Atqui toti Ecclesiæ &c. Ergo &c. At hic rursus Maior falsa est, quia illa promissio non est absoluta, quia non impletur in singulis fidelibus, nec in Ecclesiis particularibus, quibus tamen hæc promissio facta est.* Argumentũ Kircheri ex S. Io. redigit in formã.

Minor propositio non ostendit 1. toti Ecclesiæ visibili illam promissionem factam. Nec enim sequitur toti Ecclesiæ factum est, ergo toti Ecclesiæ visibil: factum est hoc promissum. 2. Toletus, Iansenius, Maldonatus; & alij fatentur, illam promissionem primariò competere Apostolis, per quos postea omnis Veritas certis regulis Ecclesiis communicata est. Per quos ait Iren. l. 3. aduersus hær. c. 1. Euangelium peruenit ad nos, quod quidem tunc præconiauerunt, postea verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt. &c *Quod confirmat Feuardent. in Not. ad h. l.* Minorem impugnat.

Notat autem Dorscheus, contra Bellarm. & Puteanum 1. Irenæum non loqui tantùm de quatuor Euangelijs, sed de Euangelio, prout est dispositio salutis nostræ. &c 2. Dicere, tantundem quoad sensus diuinos salutiferos Scripturis complexos esse, quantum præconiauerunt. Vbi latius subiectum illum velle constituere respectu præconij, arctius respectu Scriptionis, nullo prætextu obtinebitur. Idem Deus est eadem principalis causa prædicationis & Scriptionis, voluisse autem illum pauciora Scripturis comprehensa, quàm viuo eloquio, ex Irenæo non conficietur, Relatio enim in Scripturas est vicarium quasi subsi- Irenæi sensum deprauat.

dium viua prædicationis, est columna & firmamentum fidei nostræ. Ergo eiusdem cum viua vocis prædicatione latitudinis.

Respondet ad preces Christi ex Io. 17.

Replicat III. ad preces Christi, Io. 17. v. 20. *Ex illis non conuinci Ecclesiam visibilem totam nec deficere, nec errare posse. 1. Nec enim Christus frustra precatur, etsi publicum cœtum Ecclesiasticum errori obnoxium dicamus, est adhuc reliquum sanctum λεῖμμα ἐκλογῆς. 2. Semper remanet publicum cœlestis veritatis testimonium, quo generari possunt Dei filij. 3. Christus non collectiuè tantùm pro omnibus, sed & distributiuè pro singulis orat credituris, & tamen illi propterea non redduntur indefectibiles, & impeccabiles.*

Ad Matthæum.

Replicat denique IV. ad Verba Matth. 28. v. 10. *Non plus inde probari, quàm inter gratiosam præsentiam Christi, & inter fideles esse perpetuam relationem; ità vt nunquam detur talis præsentia, nisi sint fideles, & quamdiu illa durabit, & hos duraturos. Non autem ostendit 1. positâ apud aliquem fidelem præsentiâ gratiæ, illum propterea ad finem vsq; in illius possessione mansurum. Neque 2. integram aliquam multitudinem, quæ in eâdem possessione est, in eâdem gratiâ mansuram. Neq; 3. Si aliquis visibilis cœtus puritate verbi & Sacramentorum ex præsentiâ Christi floruit, in eodem flore perennaturum. Neq; 4. Necessariò visibilem aliquem cœtum cum Christo gratiosè præsente, vniendum esse.*

Est enim omnis Christi gratiosa præsentia conditionata, adeóq; & illius futuritio. Illa sanè promissio: Ego ero vobiscum &c. est conditionata, sicut & illa, vbi duo, vel tres. &c Patet hoc ex circumstantijs v. 19. expressis. Imò etiam ex eo, quia respectu singulorum credentium & particularium Ecclesiarum conditionata est. Neq; enim potentiâ Dei absolutâ, ista præsentia præstatur, sed ordinatâ & conditionatâ. Ergo & respectu Ecclesiæ vniuersalis. Secùs, vna eademq; missio absoluta & conditionata foret.

RESPONDETVR.

195. Ad §. 235. Dorsch. Argumentū ex Isaiâ clariùs proponitur.

Ad Replicam I. RESP. I. Vim argumenti ex verbis Isaiæ, multò clariùs, quam faciat Dorscheus, ità exprimi: *Illi, quibus Deus veritatis inito fœdere Spiritum suum & verba sua communicat, eáq; de ore ipsorum, & de ore seminis ipsorum, & de ore seminis seminis ipsorum, amodo & vsq; in sempiternum nunquam recessura promittit: certi sunt Ecclesiam suam nec deficere, nec errare posse. Veri Christiani sunt illi ipsi. Ergo Ecclesia illorum neq; deficere, neq; errare potest.* Sed Dorscheus Maiorem falsam pronuntiat, absque limitatione, quam ad resistendum Spiritus S. veritatis inimici excogitârunt. Illi scilicet duntaxat, de Ecclesiæ suæ indeficiente infalli-

infallibilitate certi sunt, quos inito fœdere *irresistibiliter & absolutè* sibi Deus coniungit, quibúsue simili modo talia in sempiternùm promittit. Secùs est de illis, qui ità fœderantur, vt fœderi inito possint resistere, quibúsue non absolutè talia promittuntur, sed conditionatè, si videlicet non sponte Spiritum S. & Verba veritatis excutiant. Negat autem priori modo, fœdus N. T. sancitum, sed posteriori duntaxat id factum contendit, adeóq; nihil pro infallibilitate Ecclesiæ hinc inferri.

Atqui nimis quàm temerè Verbis & promissis diuinis Dorscheus illudit, & vocum ambiguitate veritatem obscurat. Si *irresistibiliter* idem sit, quod *violenter*, & *absolutè* excludat libertatem arbitrij: hoc sensu fatemur, fœdus N. T. non esse sancitum irresistibiliter, neque continere promissionem absolutā. Sed ignotus est hic sensus antiquitati, & PP. Orthodoxis, qui nec aduerbij quidem *irresistibiliter*, barbarie vsi sunt. Non possunt, vel potiùs non volunt saluâ libertate, resistere homines Deo facienti vt velint, & faciant, quòd per illos liberè volendum, dicendum, faciendum ipse decreuit, aut promisit. *Agit enim omnipotens in cordibus hominum, etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit*, ait S. August. lib. de gratiâ & libero arb. c. 21. pluribus Scripturarum exemplis demonstrans, Deum prophetias & promissa sua, per liberas hominum voluntates implere. Quod magis explicat lib. de correpț. & grat. c. 14. *Non est itaque dubitandum* ait, *voluntati Dei, quæ in cælo & in terrâ omnia, quæcunque voluit, fecit: & qui etiam illa, quæ ventura sunt, fecit: humanas voluntates non posse resistere, quo minùs faciat ipse, quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult facit.*

Deus non sanxit N. T. irresistibiliter, cum exclusione libertatis.

Deus facit, vt homines liberè faciunt, quod ipse vult.

Subiungit exemplum Saulis, ex 1. Reg. 20. cui *se subdere, seu non subdere in Israëlitarum potestate erat*, non tamen sic, vt etiam Deo (qui absolutè illum in Regem elegerat,) valerent resistere. *Qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates,*

S. Aug. id illustrat exemplis.

sine dubio habens humanorum cordium, quò placeret, inclinandorum, omnipotentissimam potestatem. Idem magis illustrat exemplo Dauidis, quem 1. Paral. 12. Abisai & *omnes viri bellatores corde* pacifico venientes in Hebron, constituerunt Regem super omnem Israël, voluntate vtique suâ, eâque liberrimâ, etsi Deus absolutè iam antè regnum illi decreuerat, atq; promiserat.

Sicut igitur S. Aug. ibidem à minori ad maius rectissimè cõcludit: *si ergo cùm voluerit Reges in terrâ Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas: quis alius facit, vt salubris sit correptio* (quam cum doctrinâ S. Aug. de gratiâ consistere negabant Semi-Pelagiani) *& fiat in corde correpti correctio, vt cælesti constituatur in regno?* pari ratione & nos in proposito concludamus: *Quis alius, quàm idem Dominus, facit? & cur non faciat, quod facit in regnis temporalibus constituendis, terrenorúmq; Regum flectendis cordibus: vt Pastorum ac Doctorum Ecclesiæ mentes, voluntatésq; sic dirigat, vt infallibiliter persistant in veritate, neq; deflectant ad dextram vel sinistram?*

Hoc verba Scripturæ, nisi vim illis inferamus, hoc necessitas fidelium, vt salutis viam reperiant, neque fluctuent in incerto, postulat. Copulantur irresistibiliter perpetuò fœdere Christiani Deo in suâ Ecclesiâ, non quòd resistere, aut deficere non possint, spectando præcisè liberum arbitrium: sed quia ità diriguntur & adiuuantur, ne deficere velint, etsi decretum sic eos dirigendi, ipsáq; in eo fundata promissio, absoluta fuerint. Vt adeò limitatio Dorschei non sit nisi Sophistica, eóque tendat, quòd nullæ prophetiæ vel promissiones diuinæ, quæ liberâ hominum voluntate implentur, sint infallibiles: quod tum iis, quæ S. Aug. ll. cc. affert, tum alijs Scripturæ exemplis euidenter refellitur, eóque ipso argumenti Kircheriani Maior solidè stabilitur.

Quomodo fideles Deo copulentur irresistibiliter?

196. Nunc pro Minori loquamur, quam Dorscheus in meridie Catholicæ Veritatis cæcutiens, dicit esse obscuram. Non vult videlicet verba Isaiæ intelligi de Ecclesiâ visibili N. T. ídque probare

Dorsch. negat Isa. intelligi de Ecclesiâ visibili.

probare contendit, ex varijs etiam Catholicorum interpretationibus. Sed Resp. 1. plures frequenter in Scripturis eiusdem loci dari sensus, non solùm vnum literalem, alium spiritualem, siue mysticum, verùm etiam aliquando plures literales, quod docet S. Aug. lib. 12. Confess. c. 26. lib. 3. de doct. Christ. c. 27. lib. 11. de ciu. Dei. c. 19. Qui sensus omnes veri esse possunt, & à Spiritu S. intenti, etsi is principalis æstimari debeat, qui textui ac contextui, nec non communi Patrum interpretationi conformior: qualem in proposito credimus esse sensum de Ecclesia N. T. ex verbis Isaiæ à Kirchero depromptum, cui alij sensus, quos veros esse inficiari nolumus, nihil præiudicát.

Plures sensus literales eiusdem loci.

RESP. II. Allegationem Sanctii, in hunc locum, non esse sinceram. 1. Quia etsi demus, hæc à Deo Patre dici Christo, redundant tamen in Ecclesiam, quæ est semen ipsius. 2. Idem est, si hæc cum S Hieronymo & plerísq; tribuamus Isaiæ, in hunc sensum, quem à Dorscheo fallaciter suppressum, ponit ipse Sanctius num. 93.: *neque à te, ô Isaia, Spiritus Propheticus, qui in te est, vnquam deficiet, neque ex tuo ore verba recedent* &c. *Neque à tuo semine, id est, ab his, qui tibi in eo spiritu ac ministerio succedent, nempe ab Apostolis, aut alijs Doctoribus &c, qui Isaiæ filii dici possunt, quomodo discipuli vocantur filii, & qui aliorum loco in aliquo gradu suffecti sunt.* Quæ referri ad Ecclesiam, quam Apostoli & Doctores repræsentant, manifestum est. 3. Refert quidem Sanctius sententiam Adami Sausbout, existimantis, *errare eos, qui hæc ad Isaiam, seu Christum, aut Ecclesiam referenda putant, adscribitq; illis, ad quos Isaias hoc rerum articulo loquebatur:* sed mox Adami sensum reprobat his verbis: *Mihi hæc omnia, quæ Adamus minùs probat, maximè probantur, præsertim quod ad Isaiam attinet: quia textus non difficilis est ad illam de Isaia cogitationem, & NB. communis Patrum autoritas plurimùm habere debet momenti.* Sentit ergo Sanctius, quod verissimum est, communi Patrum autoritate verba Prophetæ referri ad Ecclesiam, vel redundare in illam, vt dictum

Allegatio Sanctij non sincera.

 est.

Sanctij sensus PP. non præiudicat.

est. Neque sensus ille, quem de suo subiungit, & examinandum proponit, Patrum autoritati præiudicare, vel plus momẽti, quam illa, ipsomet Iudice habere potest, aut debet. Cum præsertim ea, quę in contextu præcedunt, manifestè Ecclesiam N. T. designent, vt rectè ponderat Kircherus, & fallaci silentio transit Dorscheus cuius dolus malus in allegando Sanctio ex dictis apparet. Neque Sanctius contra Patrum autoritatem verba Isaiæ. de præcepto potiùs, quàm de vaticinio: & illud *in sempiternum*, pro longo tempore, violenter satis interpretari debuit: etsi in aliis locis hæc talem interpretationem, conformiter contextui & subiectæ materiæ, recipere non diffiteamur.

Allegatio Cornelij de Lapide non melior.

RESP. III. Non melioris fidei esse allegationem Cornelij de Lapide, qui expresè ex communi interpretum sententiâ, ista refert ad Ecclesiam. Neque obstant, quæ addit. Nam 1. verum est Spiritum & verba veritatis nũquam deficientis, promitti *Ecclesiæ generatim, non singulis personis*, quas errare posse ac solere manifestum est. 2. Quod dicit promitti *singulis iustis, & respectu illorum, ex parte Dei esse æternum &c*, est sensus accõmodatitius, vel minùs principalis: neq; conformis communi PP. & interpretum sententiæ, cui præiudicare non debet. 3. Malignè Dorscheus interpretatur Cornelium, quasi ità *pari modo* velit singulis iustis, & Ecclesiæ, eiúsque Capiti Ro. Pontifici promitti, Spiritum veritatis, vt sicut iusti possunt illam sponte excutere: sic quoque possit Ecclesia, eiúsque Caput Pontifex in definiendis fidei controuersijs, eundem Spiritum veritatis excutere. Nunquam id in mentem venit Cornelio. Paritatem statuit generatim in promissione perpetuâ, non in modo & specie sempiternitatis.

Malignè eũdem interpretatur.

Id Dorscheus aduertere debuit. 1. Quia negat eundem Spiritũ Veritatis dari singulis iustis, qui datur Ecclesiæ ac Pontifici ad definiendas Fidei controuersias. 2 Sensum principalem & communem explicans: *Spiritus ergo ait, hic primò est Fidei & Veritatis, qui assistit Sioni, id est, Ecclesiæ, eiusq; Capiti Ro. Pont., ne in Fidei*

in Fidei definitionibus erret. Nequaquam ergo ſentit, quòd Eccleſia cum ſuo Capite poſſit excutere Spiritum veritatis, qui facit, ne velit errare, imò nec poſſit, quatenus ſubſtat eius directioni: etſi nullam vim libertati voluntatis inferat, vt paulò ante n. 195. explicatum eſt. Stant ergo verba Iſaiæ pro infallibilitate Eccleſiæ.

RESP. IV. Deniq; ad illud, quod obſtrepit Dorſcheus, *non eſſe à Kirchero probatum, quod in Iſaiæ verbis promittatur fœderatio perpetuis viſibilibus monumentis, & perſonarum indicijs conſtituta*, adeóque non eſſe intelligenda de Eccleſiâ viſibili, refelli Dorſcheum 1. ex præcedentibus, quæ Kircherus affert, verbis *de Sionis redemptore, ac venientibus à Solis ortu, & ab Occidente ad glorificandum Dominum*, qui niſi ſint viſibiles, intelligi non poteſt, an veniant ab Occidente, Oriente, Septentrione, aut Meridie. 2. Propheta *Spiritui* adiungit *verba*, quæ non proferuntur neque audiuntur niſi ab Eccleſiâ viſibili, & in illâ: Eccleſiæ inuiſibilis, quà talis, verba aut nulla ſunt, aut quod moraliter idem eſt, inſenſibilia ſiue imperceptibilia. Aut ſi ſunt eadem cum verbis Eccleſiæ viſibilis, vt ſic periculo expoſita ſunt quia nullus homo, quem audimus, vel videmus, *habet infallibilem aſſiſtentiam Regiminis diuini*, vt argumentatur Dorſcheus 1. parte; falli ergo poteſt & fallere. 3. Eccleſiæ inuiſibilis figmentum abundè diſſoluimus cap. 6. vt nihil debeat addi. Iſaiam loqui de Eccleſiâ viſibili.

Fruſtra igitur ſunt, quæ affert, *de inuiſibili Spiritu veritatis, & electis ſoli Deo notis*; dirigit enim is fideles infallibiliter per Eccleſiæ viſibilis Paſtores ac Doctores; quod de rectâ prædicatione verbi & adminiſtratione Sacramentorum, neque Aduerſarij negare poſſunt. Eſto, Spiritum veritatis principaliter ordinari ad interna dona, & vnionem cum illo; ſed non attingit diuina ſapientia ad hunc finem, niſi per media viſibilia in Eccleſiâ viſibili à ſe inſtituta. Spiritus S. dirigit fideles infallibiliter per Eccleſię Paſtores.

Ad Replicam Dorſchei II. RESP. I. Argumentum Kircheri ex verbis Io. 16. non fideliter formari & repræſentari à Dorſcheo: 197. Ad §. 236. Dorſch.

Ecclesia, cuius Pastorib' promittitur Spiritus veritatis, tota errare non potest.

Dorscheo: neq; enim simpliciter hæc est Maior: *Quibus Christus promittit Spiritum S. in omnem veritatem ducturum &c, illi non possunt errare in Fide &c*, sed ista: *Illa Ecclesia, cuius Apostolis, Pastoribus & Doctoribus Christus promittit Spiritum S. in omnem veritatem ducturum vsq; ad finem mundi, tota non potest errare in fide vi promissionis diuinæ. Ecclesia Christi, siue N. T. est talis. Ergo &c.* Esse autem hanc mentem Kircheri, inde patet, quod dicit Christum promittere Spiritum veritatis, *Ecclesiæ N. T. quam tum NB. repræsentabant Apostoli.* Quâ ratione intelligi quoq; potuisse verba Isaiæ, ex suprà dictis facilè colligitur.

Hæc promissio est absoluta, respectu Ecclesiæ vniuersalis.

Hoc sensu Maior est verissima, falsum verò promissionem non esse absolutam. Neque obstat, eam non impleri in singulis fidelibus, neque in Ecclesijs particularibus; non est enim his principaliter facta, sed solùm secundariò & in sensu accõmodatitio ad illos pertinet, vt vidimus. Imò nec ad statũ quęstionis pertinent singuli fideles, vel particulares Ecclesiæ, quos & quas errare posse, ac reipsâ errâsse nimis quàm multis constat exemplis, vt Kircherus initio capitis præfabatur.

Promissio hæc primariò competit Apostolis, eorúmq; Successoribus.

Sed neq; Minor difficultatem patitur, si conuenienter Maiori sic formetur: *Ecclesia Christi est, cuius Apostolis, Pastoribus, Doctoribus, Christus promisit Spiritum veritatis vsq; in finem. &c* Fatetur enim Dorscheus, imò plurium autoritate confirmat, istam promissionem primariò competere Apostolis, inter Ecclesiæ videlicet cæteros Pastores ac Doctores, quorum Apostoli fuère duces, Magistri, & Præcessores. Cùm verò hunc Spiritum Christus dicat *mansurum cum ipsis in æternum*, & ipsi non victuri erant in æternum, rectè argumentatur Kircherus: hanc promissionem perpetuæ assistentiæ Spiritus S., ne sit frustratoria, pertinere ad Ecclesiam, id est, ad eiusdem Pastores & Doctores, deinceps post Apostolos vsq; ad finem mundi futuros: & Ecclesiam repræsentaturos, sicut ab initio illam repræsentârunt Apostoli. Hoc sensu verum est, Ecclesiam visibilem, quam gubernabant, & repræsentabant Apostoli, totã deficere

Alioqui foret frustratoria.

non

non posse, sic vt omnes Pastores & oues simul aberrent à verâ fide. Quod rursus videtur inspergere de Ecclesiâ visibili, indignum est, vt vlteriùs in eo hæreamus.

Æquè indignum, imò & culpâ stellionatûs infectum est, quod ex Irenæo impertinenter inducit: *Apostolos tantundem, neque plus præconiâsse, siue prædicâsse, quàm Scripturis complexi sint.* Cur tacet clarissima testimonia, quæ pro solutione vanissimæ obiectionis, & traditionibus non scriptis ex Irenæo l. 3. cap. 2. 3. 4. affert Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei c. 7. neque vllo verbo restringit verba Irenæi ad sola quatuor Euangelia, vt illi imponit Dorscheus? Et vt daremus, non confici ex Irenæo, Deum voluisse pauciora Scripturis comprehēsa, quàm viuo eloquio, vel traditione: multò minùs inde conficitur, voluisse tantundem comprehensum in vno, quàm in altero. Ridicula deinde est consequentia, quam subdit: *Relatio in Scripturas est vicarium subsidium viuæ prædicationis, & firmamentum fidei nostræ; ergo eiusdem cum illâ latitudinis:* quasi Prophetæ & Apostoli nihil potuerint aut voluerint prædicare, aut reipsâ prædicârint, quod non scripserint? Proba istud Dorschee, & magnus eris Apollo. Neque verum est relationem in Scripturas esse columnā & firmamentum fidei; negat hoc Irenæus, qui ll. cc. dicit, *multas Barbarorum gentes, Christianas fuisse sine Scripturis: &, si nullas omnino Scripturas Apostoli reliquissent, sequendum nobis fuisse ordinem traditionis.*

Allegat Irenæum, & peccat stellionatu Dorsch.

Ridicula consequentia à Scripturis ad prædicationem.

Ad III. Replicam RESP. 1. Hæc testimonia, quæ Kircherus attulit, plus habere virium coniuncta, quàm seorsim; prout etiam ipse Kircherus ea coniunxit. Etsi demus Christū principaliter orâsse pro electis, orauit tamen simul pro Apostolis, eorúmque Successoribus, qui repræsentant Ecclesiam visibilem, ex cuius directione electi denique obtinent æternam salutem. Nihil addimus de protritâ Ecclesiæ inuisibilis insufficientiâ.

Ad §. 237. Dorsch. Testimonia Kircheri maiorem vim habent coniuncta.

2. Cum *per publicum cælestis veritatis testimonium,* Dorscheus

non intelligat, nisi Scripturam, iam ex primâ parte euidens est, solam non sufficere ad generandos Dei filios. 3. Esto Christũ orâsse hìc etiam distributiuè pro singulis, non diffitetur tamen Dorscheus, principaliter orâsse pro electis, nos verò addimus: peculiari modo orâsse pro Apostolis, eorúmque Successoribus Ecclesiam gubernaturis, siue electis, siue non electis, ne simul omnes à veritate deficiant. Quare non opus est quidem, vt reddantur indefectibiles & impeccabiles fideles singuli distributiuè: sint tamen tales Pastores & Doctores, repræsentantes Ecclesiam collectiuè.

Christus Io. l. c. principaliter orauit pro Apostolis, eorúmq; Successoribus.

198. Ad IV. Replicam RESP. 1. Verba illa Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*, ponderanda esse, vt dicta ad Apostolos à Christo, cũ mitteret eos *ad docendas omnes gentes &c.* ne difficultate prædicationis pusillanimes redderentur aut perplexi; præsentiam igitur perpetuam illis promittit, imposito numeri congruentem, tanquam Magister perpetuus, qui in errorem illos labi non esset permissurus. Quare hæc verba non referuntur propriè aut principaliter ad quosuis fideles, sed Apostolos eorúmque Successores; ideóque parum ad rem sunt, quæ subnectit Dorscheus de præsentiâ gratiæ generatim.

Ad §. 138. Dorsch. Verba Matth. vlt. quomodo ponderãda.

Nam verum est ex his verbis non probari 1. aliquem fidelem in eius possessione vsque ad finem permansurum. Neq; 2. integram aliquam multitudinem in eâdem persttituram, vt nullus excidat gratiâ fidei aut vnionis cum Deo. Neque 3. aliquẽ cœtum visibilem particularem, puritate doctrinæ ex præsentiâ Christi florentem, in eodem flore perennaturum. Secùs est de cœtu siue Ecclesiâ visibili vniuersali, quam perennaturam in eodem veritatis flore, hoc ipso capite demonstramus. 4. Quod negat visibilem aliquem cœtum cum Christo gratiosè præsente, per gratiam inconcussæ veritatis in perpetuum vniri, falsum conuincitur ex ijs, quæ cap. priori & isto diximus, ac deinceps dicemus.

Non pertinent ad singulos fideles, neq; particulares Ecclesias.

Nullius

Nullius verò momenti est ratio, quam reddit, quod *omnis Christi gratiosa præsentia sit conditionata.* Nam 1. nusquam hoc scriptum est, sine Scripturâ autem nihil asserere debent Solibiblici. 2. Quin potius repugnat Scriptura, cum Christus ad suam præsentiam gratiosam vocet absque conditione, *omnes qui laborant, & onerati sunt*, Matth. 11. v. 28. Et Spiritus S. nulli conditioni alligatus, *spirat vbi vult &c.* Io. 3. v. 8. 3. Quando Deus aliquod salutis medium promittit, quod nullâ ratione pendet, aut pendere potest à voluntate nostrâ, eiusmodi promissio est prorsus absoluta, cum nulla sit conditio, quam nos ponere possimus. Talis est promissio infallibilis directionis per Ecclesiam ad salutem obtinendam; nulla enim conditio ex parte nostrâ excogitari potest, quam Deus à nobis exigat, & nos præstare possimus, vt talem nobis instituerit, & concesserit Ecclesiam: quæ sit infallibilis fidei Magistra, columna & firmamentum veritatis; sed est hoc opus misericordiæ, bonitatis & sapientiæ conuenientissimæ. Ergo promissiones, quæ de hâc re in Scripturis extant, sunt absolutæ, neque suspensæ ab vllâ conditione, etsi ipse per liberas hominum voluntates eas infallibiliter exequatur; quod promissionis absolutam veritatem minimè impedit, vt constat ex dictis num. 195.

Falsum est omnē Christi gratiosā præsentiam esse conditionatam.

Promissio medij salutiferi à nobis independētis est absoluta.

Neque vllius momenti est, quod ex eo, *quia hæc promissio respectu singulorum credentium est conditionata*, concludit etiam respectu *Ecclesiæ vniuersalis esse talem.* Hæ enim promissiones propriè aut principaliter non spectant singulos seorsim, sed Ecclesiam vniuersam, quatenus per Doctores & Pastores suos repræsentatur, vti hoc §. ostensum est. Nihil autem absurdi est, vti autumat Dorscheus, *eandem promissionem absolutam esse, & conditionatam*, si diuerso respectu consideretur, vno videlicet principaliter & propriè: altero non nisi secundariò, & veluti per accidens intento. Certè ipse Dorscheus fatebitur, has promissiones esse absolutas respectu Ecclesiæ inuisibilis & electorum, quas tamen respectu aliorum conditionatas esse diffiteri non potest.

Promissio, absoluta, respectu Ecclesiæ, conditionata est respectu singulorum.

Dorscheus admittit promissiones similes.

Ex quibus denique omnibus apparet Scripturas ſtare pro Eccleſiâ viſibili, falli & fallere neſciâ, ſecundùm conuenientiſſimam textus & contextus harmoniam; & communem PP. & DD. interpretationem. In contrarium autem illas trahi violenter à Dorſcheo artibus non bonis, & argumentis veri inanibus.

---

§. II.

Conditionem Verbi diuini ſequendi, quam promiſſionibus Eccleſiæ factis Acatholici apponunt: nugatoriam, iniquam, & alienam eſſe, demonſtratur.

KIRCHERVS.

199. AT dicunt, *pergit Kircherus* §. 20. *f.* 63. promiſſiones illas de aſſiſtentiâ Spiritus S. perpetuâ, eſſe conditionatas, nempe ſi Eccleſia vocem Sponſi ſui ſemper audierit, iuxta illud Io. 8. v. 31. *Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis.* Quæ exceptio frigida eſt, iniqua, & aliena.

Rectè credere, & vocem Chriſti ſequi non differunt.

I. Frigida certè. Nam vox Chriſti Lutheranis eſt ſola Scriptura, eadem eſt ijſdem adæquata fidei norma; ergo de fide rectè ſtatuere, & vocem Chriſti ſequi, realiter non differunt. Quod naturæ conditionis repugnat, & perinde eſt, ac ſi dicat aliquis: Eccleſiam non erraturam in fide, ſi non errauerit; ſin errauerit, erraturam. Aut: Petrum tantiſper manſurum hominē, quantiſper animal manſerit rationale. Quid enim errare eſt, quàm vt definit Cicero in Paradoxis, tranſilire lineas? quid in fide errare, quàm à Scripturæ normâ aberrare? vnde manifeſta quidem & ridicula planè emergit nugatio.

Lutherani ex ſimilibus promiſſionibus argumentantur.

II. Iniqua eſt. Quia ex promiſſionibus eiuſmodi argumentari ſibi licere præſumunt Lutherani; Catholicis licere non exiſtimant. Quod oſtendo: Docent in fundamentalibus fidei articulis Eccleſiam inuiſibilem, finaliter ſaltem, errare non poſſe. Pro argumento promiſſiones afferunt, quæ electos concernunt ſingulariter, veluti non poſſe eos in errorem induci finaliter, & ſi quæ ſunt huiuſmodi alia. Quæro, an illâ promiſſione inuoluatur vnà, & quaſi ſupponatur, conditio de audiendâ voce Chriſti? Si negent, ſequitur aliquem non poſſe induci in errorem, qui tamen vocem Chriſti non audiat, quæ manifeſta eſt contradictio. Si affirment, inuolui & ſupponi hanc conditionem: neq; tamen

contingere

contingere posse, propter singularem Dei dispositionem & assistentiã, vt electorum aliquis vocem Christi finaliter non audiat: idem sibi à nobis pro Ecclesiæ ab errore fidei immunitate, responsum habento. Alioqui non Christianam magis Ecclesiã, quam Mahometanã, vel Paganam, hæ Ecclesiæ factæ promissiones concernent. Quid enim amplius Christiani haberemus, atque habent ipsi? etiam Turca non potest errare, vbi Scripturam sequitur, etiam Paganus; veluti cum vnum duntaxat esse Deum vterq; statuunt, & in tantum cum Scripturâ ipsâ consentiũt. Secundùm illos nõ magis conueniunt Christianis, quàm Paganis.

III. Aliena est exceptio. Nam quæro, vtrùm sit in potestate hominis Scripturam sequi, vel non? Dauid illuminationem in hâc re à Deo petit, ps. 118. & fatentur Lutherani speciale auxilium esse necessariũ. Pugnat autem cum naturâ promissionis, (nisi vnà promittatur facultas præstandi conditionem, si quæ forte subest) vt illi, cui fit promissio, conditio feratur, quam præstare non sit penès ipsum. Deinde istæ promissiones ad illud diriguntur, quod maximè postulat imbecillitas humana: quæ illud requirit maximè, vt assequatur vocem Christi, & in sensu illius inquirendo ne hallucinetur. Promisit ergo Christus, non permissurum se, vt tota Ecclesia aberret ab illo sensu, quem per vocem suam, siue (ex hypothesi Lutheranorum) per Scripturam intendit: alioqui non erit tam promissio, quàm illusio, quia non includeret id, quod in ea re momentum est longè maximum. Et quæso, quid consolationis mihi inde, si de conditione illâ: impleta sit, aut non sit? perpetuò mihi dubitandum? Sequi vocẽ Christi postulat speciale auxilium. Promissio nisi includat id, quod est necessarium, illusoria.

DORSCHEVS.

Replicat §. 239. Dorscheus I. *Differre omnino, manere in sermone IESV, & non errare, licet optimè sint connexa; est enim illa ἐμμονὴ, siue mansio, causa continens ἀνεξαπατησίας Ef 7. v. 9.* 200. Differre, quæ Kirch. dicit eadem.

Replicat II. ibid. *Hypothesin Lutheranam de inuisibili Ecclesiâ nihil iuuare Kircherum. Neq; enim illam oriri, ex absolutâ & irresistibili diuinâ efficientiâ, quæ omnem conditionem ad non deficiendum, & non errandum, in inuisibili Sanctorum cœtu ponat. Caluinianis fortassis hoc placere. Promissiones de perseuerantiâ inuisibilis Ecclesiæ, consistere partim in obligatione diuinâ ad sufficientia & efficacia auxilia gratiæ, partim in præscientiâ diuinâ abfuturæ à fidelibus inuisibiliter Christo coniunctis, malitiosæ resistentiæ. His positis infallibiliter posse oriri promissionem, de non defecturâ Ecclesiâ inuisibili.* In quo consistant promissiones diuinæ.

Replicat III. §. 240. *Et negat esse parem argumentandi rationem pro Ecclesiâ visibili ex promissionibus diuinis. Nam si, ait, illam prouidentiam, absolutam & irresistibilem esse dicas, non eâdem nobiscum incedis viâ. Talem* Aliter Lutheranos argumentari, quàm Kirch.

autem procul dubio agnosces, qualem aliqui Pontificij agnoscunt in Pontifice infallibiliter definiente, etiam cum debitam diligentiam non adhibet, de quo §. 210. Vel enim illa tua prouidentia circa Ecclesiam, ex prædestinatione gratiæ, aut ex aliâ quâdam & secretâ vocatione Ecclesiam moderatur, & infallibilem facit, vt ex tuorum DD. hypothesibus ostendimus supra §. 102. cum singulis fidelibus ad conuersionem, & perseuerantiam procedere Deum, quod Scripturæ repugnans, & diuinæ naturæ parum consentaneum videtur.

Non vniformis hominũ repugnãtia. *Itaq; hoc pacto rem explicamus. Est in hominibus non vniformis repugnantia, non tam quoad gradus scelerum, quàm pertinacia: quæ residet in principio agendi, nec in quantitate actus externi semper est conspicua. Omnem tamen repugnantiam ab æterno præsciuit Deus: non autem decreuit absolutâ quâdam & irresistibili operatione gratiæ aggredi homines, vti Caluinianis placet. Ordinem itaq; Deus certum ait §. 241. & potentiam gratiæ ad illum ordinem restrictam, proposuit. Iam ab omni æternitate prauidit, quinam essent intra ordinem illum diuinum vsque ad finem mundi constituti, qui verò Euangelio restituri & Consilium Dei aduersus se spreturi, Rom. 1. v. 16. Act. 7. v. 51. Luc. 7. v. 30. Quotquot prænoscuntur intra ordinem consistentes, ex promissione gratiæ subsistunt, sed non absolutà. Neque tamen in potestate hominis est gratiosa illa subsistentia, siue hypostasis. Idcirco verò promissio diuina non eluditur; dicimus enim Deum promittentem (quod ad naturam promissionis, si aliqua conditio subsit, quam præstare non sit penès ipsum, cui fit: Kircherus requirit,) etiam ad conditionem implendam, promittere vires ordinatas, & efficaces.*

Ordinem certum gratiæ Deus cõstituit.

Intra quem ex promissione gratiæ manetur.

Promisisse dicimus Christum, non permissurum se, vt tota Ecclesia à sensu, quem per verbum suum non absolutâ operatione, sed sapientissimâ ordinatione intendit, excidat. Isti resistere omnis homo potest; insistere suâ vi nullus potest; quod quidam insistunt, ex merâ gratiâ est. Semper visibilem aliquam Ecclesiam fore per Dei gratiam, quæ non resistat, nullibi promissum est. Neq; tamen sequitur malè consultum esse mortalibus, quia tantum illis præstatur, & promissum est, quantum satis est. Semper enim media gratiæ, inprimis Verbum diuinum in promptu sunt.

Resistere illi, quiuis potest, non insistere suâ vi.

Paganos nõ concernere promissiones diuinas. Replicat denique IV. §. 243. *Malè Kircherum argumentari ab Ecclesiâ Christi ad Mahometanam, & Paganam. Christianam Ecclesiam enim esse Ecclesiam Dei; ergo promissio perseuerantiæ immediatè illam attingit. Mahometanam & Paganam esse Ecclesiam malignantium, Ergo eam non concernit promissio perseuerantiæ.*

Obijcit cõsequens absurdum. Deinde sic instat: *Quilibet fidelis aut habet absolutam promissionem perseuerantiæ, aut conditionatam. Non absolutam; aliàs nullus excideret. Si conditionatam, ergo non fidelem magìs, quam Mahometanum, vel Paganum ista con-*

sta concernet promissio. Nam etiam Turca & Paganus non potest errare in fide, vbi Scripturam sequitur. Consequens hoc absurdissimum, & gloriæ filiorum Dei aduersum. Habent ergo in hâc promissione aliquid fideles præ Turcis, & Paganis. Non potest autem ratio diuersitatis assignari, si habens conditionatam perseuerantiæ promissionem fidelis, habeat aliquid præ infideli: cur non etiam eandem habens vniuersitas fidelium, præ vniuersitate infidelium aliquid habeat? Aut si vniuersitas infidelium præ illâ nihil habeat, cur singuli fideles præ illis aliquid habeant?

RESPONDETVR.

Conditionis huius nugacitas & frustratio exponitur.

Ad Replicam I. RESP. Non solui argumentum, quando mutantur termini, in quibus vis est. Hoc facit Dorscheus, vt videatur soluere, quod si gloriam Deo daret & veritati, fateretur esse insolubile. Non dicit Kircherus. *Manere in sermone IESV*, & *non errare, esse idem*: sed, *de fide rectè statuere*, & *vocẽ Christi sequi*, realiter non differre. Vtrumque, & *rectè de fide statuere*, & *vocem Christi sequi* est realiter idem, quod *non errare*: etsi conceptu differant, quia non errare explicari potest per negationem duplicatam, quæ iuxta Philosophos æquiualet affirmationi, & à parte rei est aliquid positiuum. Vt si dicas: *hominem non esse cæcum*, est idem, ac si diceres: *non esse non videntem*, quod à parte rei non est aliud, quàm *esse videntem*. Sic, si dicas in proposito: *Ecclesiam non errare*, erit idem, ac si diceres: *Ecclesiam non non rectè statuere de Fide*; *non non sequi vocem Christi*, siue *non non permanere in sermone ipsius*; quod à parte rei non est aliud, quàm *rectè statuere de Fide, sequi vocem Christi*, & *permanere in sermone ipsius*; etsi hoc postremum, quod addit Dorscheus, videtur plus aliquid dicere, perseuerantiam videlicet.

201. Ad 6. 239. Dorsch.

Rectè credere, & vocem Christi sequi, idem est, quod nõ errare.

Sed Kircherus duo priora solùm affirmat esse idem realiter, prout etiam vtrumq;, imò & ipsum permanere est idem, quod non errare, vt ostendimus. Vnde sequitur in proposito non distingui istud ab illis, nisi per duplicatam negationem, quæ à parte rei nihil ponit, sed est mera operatio mentis; adeóq; fal-

Permansio in verbo Dei, non est causa infallibilitatis, sed idem.

sum

sum est, quod nimis obiter respondet Dorscheus, *illam ἐμμονὴν siue permansionem in verbo Dei esse causam continentem ἀνεκπτωσίας, id est, inexcidentiæ*, siue immunitatis ab errore. Idem non est enim causa suiipsius; neque negatio in solo conceptu sita, propriè causare aut causari potest. Impertinens verò est, quod allegatur ex Isa. 7. v. 9. *Si non credideritis, non permanebitis*, quia in his verbis permansio non assignatur pro causâ Fidei, sed infidelitas pro causâ non permansionis. Vnde firmum manet argumentum Dorschei, cum in proposito conditio non differat reipsâ ab illo, quod sub ipsâ promittitur, promissionem esse nugatoriam, siue frustratoriam: Ecclesiam videlicet *rectè de Fide statuturam, vel vocem Christi secuturam, si vocem Christi sequetur*, vel *si rectè de Fide statuet*, vel deniq; cum hæc omnia idem sint: *Ecclesiam non erraturam, si non errauerit*.

Promissio sub conditione quæ non differt à re promissâ, nugatoria.

Neq; solùm in propositionibus eiusmodi æquipollentibus, verùm vniuersim in illis, quæ sunt essentialiter, vel inseparabiliter connexa, cõditiones sunt illusoriæ: si conditio sit de essentiâ siue proprietatibus inseparabilibus eius rei, quæ sub ipsâ ponitur, vt in altero Kircheri exemplo: *Petrus tantisper manebit homo, quantisper animal manserit rationale*, siue, *si Petrus manserit rationale animal, mansurus est homo, vel ècontra*. Quare eiusmodi cõditiones habentur pro non adiectis, secundùm iura, *qui enim sub conditione stipulatur, quæ omnino* (id est, certò) *extitura est, purè videtur stipulari*. l. si pupillus 9. §. si quis. sub conditione. ff. de Nouat. & deleg. concord. l. si sub conditione, & l. Quod si. ff. de condict. indebiti. Non minùs autem est inseparabilis proprietas veræ Christi Ecclesiæ, esse immunem ab errore, siue rectè de Fide statuere, aut vocem Christi sequi, quàm hominis esse discursiuum aut risibilem, vt ex hactenus dictis patet: & vel inde confirmatur, quod sicut fieri non potest, vt vniuersim homines amittant prima luminis naturalis principia, siue speculatiua siue practica: sic multò minùs, (cum Deus magis vtique stabilierit Societatem hominum supernaturalem, quàm natura-

Idem est de essentialiter, siue inseparabiliter cõnexis.

Eiusmodi conditiones habentur pro non adiectis.

Infallibilitas inseparabilis Ecclesiæ proprietas.

naturalem) à veræ fidei principijs, & regulis aberrare possit tota Christi Ecclesia. Non igitur promissiones ipsi factæ, sunt suspensæ ab incertâ conditione, sed puræ & absolutæ; ac perinde frustratoria sunt: *Si Petrus manebit risibilis, manebit homo, &c. si Ecclesia manserit in verbis Christi, manebit vera Ecclesia.*

Dei prouidentia circa Ecclesiam, ex argumentis Kircheri magis elucidatur.

Ad Replicam II. & III. RESP. 1. Quæ grandibus verbis nugatur Dorscheus, de absolutâ ac irresistibili efficiētiâ siue operatione gratię, ac prouidētiâ diuinâ: ex quâ negat oriri inuisibilis Ecclesię, siue electorū, finalē saltem, erroris immunitatē: instar fumi ex illis quæ ex S. Aug. attulimus §. 1. euanescere. Verū est non interuenire absolutam aut irresistibilē efficientiā gratiæ, aut prouidentiæ diuinæ, quæ tollat liberum arbitrium: sed talem, quæ ex absoluto decreto vtatur infallibiliter, liberis hominum voluntatibus ad finem salutis ipsorum: sicut ad executionem absoluti decreti, quo Sauli & Dauidi, vt diximus supra, Deus destinauit regnum Israëlis, vsus est liberis voluntatibus Israëlitarum in ijsdem Regibus, seu acceptandis, seu eligendis. Hoc autem siue decretum, siue prouidentia, & efficientia, potest dici irresistibilis potestate non quidem antecedente (neque enim vis infertur voluntati, quæ in se spectata posset resistere) sed consequente. Cum enim Deus infallibiliter fecerit, vt hos Reges habere liberè vellent Israëlitæ: & itidem corda trahendo, faciat, vt electi liberè velint ac faciant, quæ saltem finaliter, ad salutem ipsorum sunt necessaria: sic certè quatenus volunt, & vt substant prouidentiæ speciali ipsos trahenti: in sensu composito non possunt non velle, siue quod idem est, nec resistunt, nec possunt resistere. Priori igitur sensu verum est, Deum non aggredi homines irresistibili operatione gratiæ, hôc verò posteriori falsum est.

202. Ad eundem §. & 240. Repetit nugas de irresistibili efficientiâ.

Prouidentia Dei circa infallibilitatem Ecclesiæ, est irresistibilis consequenter, non antecedenter.

2. Ex quo consequens est, hanc Dei circa Ecclesiam prouidentiam,

Prædeterminatio Physica minimè necessaria. Dorscheus repugnat Conf. Aug.

dentiam, dum eam infallibilem facit, non adhibere quidem vllam prædeterminationem physicam, (quæ minimè necessaria est) sed *aliâ quâdam secretâ & speciali vocatione, vel assistentiâ illam moderari.* Qualem vocationem & assistentiam admittere respectu electorum deberet Dorscheus, nisi à Libro Concordię discordaret, vt ostendimus num. 34. resp. 4. Cui illud quoq; repugnat, quod hic negat infallibilitatem Ecclesiæ inuisibilis, siue electorum, oriri ex tali *diuinâ efficientiâ, quæ omnem conditionem ad non deficiendum, & non errandum in inuisibili SS. cœtu ponat.* Sic enim aiunt in declarat. Art. 11. mihi f. 818. *Accuratè Apostolus distinguit inter opus Dei, qui NB. SOLVS facit vasa honoris, & inter opus Diaboli & hominis, qui ex instinctu & impulsu Diaboli (nequaquam autem impellente Deo) seipsum vas contumeliæ facit. Deinde paulò post* f. 821. *Falsum,*inquiunt,*igitur est, quod non NB. SOLA Dei misericordia, & vnicum SS. Christi meritum, verùm etiam NB. ALIQVID IN NOBIS, causa sit electionis diuinæ: propter quod nos Deus ad vitam æternam prædestinauit.* Si autem diuina efficientia non ponit omnia ad electionẽ, & perseuerantiam necessaria: Ergo non Deus solus, sed Deus & homo simul faciunt vas honoris, sicut homo & Diabolus simul faciunt vas contumeliæ; & est aliquid in nobis, quod sit causa electionis. Denique saltem in electis innumeris, qui primùm in fine vitæ conuertuntur, absoluta & irresistibilis operatio diuina se exerit: *nam ad conuersionem aut regenerationem suam homo nihil operari, aut cooperari potest, nec plus quàm lapis, truncus, aut limus,* aiunt in art. de lib. arb. mihi f. 662. Manifestè ergo Form. Concord. aduersatur Dorscheo, & hic illi.

Secundùm quam solus Deus facit vasa honoris.

Quod magis apparet in ijs, qui conuertuntur in fine vitæ.

Promissiones diuinæ non consistũt in obligatione, aut præscientiâ.

Falsum vlterius est *Promissiones de perseuerantiâ inuisibilis Ecclesiæ, consistere partim in obligatione diuinâ ad sufficientia & efficacia auxilia gratiæ, partim in præscientiâ absuturæ ab electis malitiosæ resistentiæ, & quod intra ordinem gratiæ à Deo constitutum vsque ad finem sint subsistituri.* Nam 1. Deus non solùm promittit, & vi promissionis se obligat ad auxilia gratiæ, sed multò magis, imò principa-

principaliter ad dandam vitam æternam. 2. Iuxta Form. Cõcord. non pendet prædestinatio (adeóque nec promissio, quæ fit electis) à præscientiâ alicuius conditionis, quam liberè ipse homo ponat; quia *solus Deus facit vasa honoris, nec est aliquid in nobis, quod sit causa electionis*, vt dictum. 3. Sed neq; Dorscheũ, etsi à suâ Concordiâ discordẽ, præscientia diuina iuuat; quia negat *subsistentiam siue perseuerantiam in gratiâ, esse in potestate hominis, sed ait esse ex merâ gratiâ.* Est ergo in potestate solius Dei, adeóque pendet ab absoluto Dei decreto.

Neque euadit Dorscheus, dum dicit, *omnem hominem posse resistere gratiæ; vtrùm verò restiturus sit, nécne præscire Deum, & in hâc præscientiâ fundari promissiones Ecclesiæ inuisibilis.* Rursus enim impingit in Form. Concord. sentiendo, non solum Deum, sed ipsum etiam hominem per ea, quæ præscit Deus ipsum facturum, se facere vas honoris, & esse in illo aliquam electionis causam. Imò sequitur, *vt promissa sua Deus poßit implere, non esse in Dei, sed in hominis potestate, quod veritas & pietas nos credere vetat*, ex sententiâ S. Aug. lib. de prædest. SS. cap. 10.

Rursus impingit in Formul. Concord.

Ex quibus denique confectum manet, per absolutam & irresistibilem (eo quo explicauimus modo) Dei prouidentiam & efficientiam, electos saltem finaliter immunes manere ab errore. Quin iuxta Form. Concord. æquè, vel magis absolutã & irresistibilem esse prouidentiam diuinam circa electorum (in quibus Ecclesiam inuisibilem sibi fingunt,) finalem in Fide perseuerantiam, quàm nos Catholici illam adstruamus circa veram & visibilem Christi Ecclesiam, ab erroribus immunẽ præstandam. Neq; enim nos excludimus Conciliorum & Pontificum, in rebus Fidei definiendis & declarandis scientiam, laborem, solicitudinem, quibus Spiritus S. veluti dispositionibus vtitur ad eos in infallibilem Veritatem inducendos; etsi etiam absque his aliqui Catholici id quandóque fieri existiment, ex tali videlicet instinctu, quali Caiphas actus, Io. 11. v. 50. & Balaam Numer. 23. & 24. contra mentem suam à Deo inspiratus

Magis Dei prouidentia est irresistibilis circa electos, quàm circa Ecclesiam.

tus fuit. Certè simile quid etiam in verâ Ecclesiâ fieri, nihil repugnat. Dorscheum cum suis à Regno Caluini non longè in aliis abesse, diximus supra num. 34. Nos neque in hâc re, neq; in aliis cum illo conuenimus. Differentiam clarè & solidè demonstrauit Becanus Parte 1. Theol. Schol. cap. 16.

Disparitas Dorschei elisa.

Elisâ igitur fictitiâ disparitate, (quam Dorscheus contra Form. Concord. infidus Euangelii sui Minister, propugnat,) inuictum manet Kircheri argumentum, quo Iniquitatem conditionis siue hypothesis, *de Ecclesia, si vocem Sponsi sui semper audiat, nunquam erraturâ,* (vt ridiculam nugationem maximè condonaremus) demonstrat ex eo: Quod, *cum hæc conditio inuoluatur vel supponatur etiam in promissione factâ inuisibili Ecclesiæ, siue electis: neque tamen contingere possit propter singularem Dei Assistentiam, vt electorum aliquis, vocem Christi finaliter non audiat! Idem, nisi iniqui esse velint Lutherani, pro Ecclesiæ in rebus fidei infallibilitate responsum habere debere,* nihil obstante Dorschei à Cōcordiâ Lutherana deficientis, quæsito effugio.

Lutherani, quod concedere nolunt Ecclesiæ, concedunt electis.

203. Ad §. 243. Dorschei.

Ad Replicam IV. RESP. I. Kircherum non dicere, promissionem perseuerantiæ factam esse Ecclesiæ Mahometanæ, aut Paganæ, quæ vtique sunt Ecclesiæ malignantium; sed illud indignum existimamus: Ecclesiam Christianam, stante nugatoriâ hâc conditione, quâ promissiones ipsi factas Euangelici eneruant, non plus inde infallibilitatis sibi vendicare posse: quàm sine vlla promissione habeant, Turcæ, & Pagani, ipséq; mendacii Pater Diabolus, si Scripturam sequantur: quod in quibusdam facere illos ac fecisse, & facere posse, extra controuersiam est.

Turcæ & Pagani, secundùm Dorsch. non minùs infallibiles, quàm Christiani.

RESP. II. Promissionem perseuerantiæ Fidelibus indistinctè (sine discrimine inter electos, & non electos) factam, vtique esse conditionatam, *si videlicet Fidem & gratiam Dei non excusserint, sed vsq; ad mortem retinuerint.* Neq; tamen ad Turcas & Paganos pertinere, cum careant rectâ Fide; quam si amplectantur, eadem erit ratio illorum, quæ aliorum Fidelium. Interim

Promissio perseuerantiæ generatim conditionata.

terim verum eſt, ſecluſâ promiſſione, quæ Eccleſijs malignantium facta non eſt, vigore imaginariæ hypotheſis, quam Eccleſiæ Dei affingunt Euangelici: (*ſi videlicet vocem Sponſi ſui audierit, ſiue Scripturã ſequatur,*) non plus infallibilitatis competere ſeu ſingulis fidelibus, ſeu Eccleſiæ Chriſti vniuerſæ, quàm habeant Mahometani, Pagani, & ipſi Dæmones, ſi aliquid ſecundùm Scripturas ſentiunt, dicunt, aut docent. Quod abſurdũ eſſe, vtiq; inficiandum non eſt, ſed hanc abſurditatem ſuæ ſuorúmq; falſæ doctrinæ, non Catholicis & Kirchero imputare debet Dorſcheus: abſurdum enim non niſi ex abſurdo ſequi compertum eſt.

Iuxta Lutheranos nõ plus competit Eccleſiæ Chriſti, quàm Paganis, ipſíque Diabolo.

Ad 3. Kircheri argumentum, quo Conditionem quam Euangelici affingunt promiſſionibus Eccleſiæ factis, eſſe alienam probat inde, *quia Vocem Chriſti ſequi pendet ex ſpeciali auxilio, quod non eſt in poteſtate hominis.* Deinde, quia *niſi vi promiſſionum Eccleſia immunis ſit ab errore, nequaquam per illam conſultum eſt imbecillitati humanæ &c*, non reſpondet per diſtinctum §. Dorſcheus, ſed §. 241. hæc obiter inſerit: *Deum electis præſtare conditionem perſeuerantiæ*, ſub quâ illis vita æterna videlicet, promiſſa eſt. Cæterùm de Eccleſiâ addit: *ſemper viſibilem aliquam Eccleſiam fore, per Dei gratiam, quæ non reſiſtat* (ſiue à gratiâ Fidei, & Veritatis nunquam deficiat,) *nullibi promiſſum eſſe.*

De conditione alienâ, quid reſpondeat Dorſch.

Atqui verò Nobis non eſt controuerſia de electis, qui ad cauſam hanc non pertinent, vt oſtendimus Aphor. 4. n. 168. de Eccleſiâ viſibili, & pro illâ diſputamus. Perpendat bonâ mente coram Deo, Dorſcheus teſtimonia de Eccleſiæ infallibilitate, & vel maximè hæc: *Supra hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt, aduersùs eam Matth. 16. v. 18. Eccleſia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis 1. Timoth. 3. v. 15. Dedit &c. alios autem Paſtores & Doctores &c. donec occurramus omnes in vnitatem fidei, vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ &c ad circumuentionem erroris &c. Epheſ. 4. v. 11. & ſeqq.* Teſtimonia hæc ſecun-

Non eſt controuerſia de electis.

Teſtimonia Scripturæ clariſſima pro Eccleſiæ infallibilitate.

dùm se sine glossis Acatholicorum considerata, tam absoluta sunt, & nihil conditionis præseferunt, quàm vlla alia, quæ absoluta esse concedunt. Quâ ergo fronte, qui purum verbum Dei assiduè crepant, conditionem affingunt, quæ in Verbis nulla apparet? Et cur hæc tam clara, de perpetuâ Ecclesiæ visibilis infallibilitate, potiùs obscurant, quàm vt alia loca obscuriora, ex his interpretentur?

Sine hâc infallibilitate nobis non consultum.

Falsum verò nimis est, absque hâc infallibilitate, *benè nobis consultum, aut solidam consolationem in Ecclesiâ repositam esse*. Cum enim ad Fidem, quæ ad salutem necessaria est, requiratur infallibilis certitudo, eámque Ecclesia fallibilis: & erroribus obnoxia, vt ab Euangelicis describitur, præstare non possit: non sine periculo salutis, ad illam tanquam Magistram, columnam & firmamentum veritatis remittimur. Euidens quippe est, non esse idoneam infallibilis veritatis, & omnis circumuentionis vitandæ Magistram: de quâ ex ipsius naturâ & erroribus varijs præcedentibus, quos ipsi imponunt Acatholici, dubitare cogimur, vtrum in præsenti quoq; nos non fallat, aut in futurum sit circumuentura? Neque licet confugere ad Scripturam, quò digitum intendit Dorscheus, cum in ipsâ sine Ecclesiæ infallibili propositione, aut explicatione quoad nos, nihil sit infallibile; vt parte 1. luculenter demonstratum est.

Ecclesia fallibilis non est idonea veritatis Magistra.

Nisi ergo Christus conditionem, *Vocis suæ semper audiendæ*, cui promissiones Ecclesiæ factas Dorscheus cum suis alligat, ipse perpetuò præstiterit & exhibuerit, vtpote quæ non est in nostrâ potestate: consequens est dictas promissiones respectu nostri, esse frustratorias & illusorias, cum tali Ecclesiæ non magis fidere possimus, quàm si nullas omnino promissiones accepisset. Euicit ergo, quod propositum habuit Kircherus, conditionem eiusmodi & nugatoriam esse, & iniquam, & alienam.

§. III.

§. III.

Similitudines Domus, & Ciuitatis, supra petram & montem ædificatæ, item electæ Sponsæ: quibus Ecclesia visibilis comparatur, eiusdem infallibilitatem adstruunt.

KIRCHERVS.

PRiorem comparationem maximè, *vt ait Kircherus num.* 21. *f.* 68. 204.
insinuant, quæ leguntur ps. 47. v. 9. & seqq. Matth. 16. v. 18. 1. Tim. 3. v. 15 vbi tria sunt obseruanda.

I. Hæc loca esse de eâdem re, siue parallela. Ps. 47. nominatur ciuitas Dei, quam ipse fundârit in æternùm. Matth. 16. Ecclesia, quæ ità describitur. vt facilè animaduertas idem esse cum ciuitate Dei, de quâ Psalmus, & eandem Architectonicam; sicut enim Deus ciuitatem illam fundauit in æternum, ita Christus Ecclesiam fundauit supra Petram, vt nec Inferorum portæ aduersùs eam sint præualituræ. Eandem Apostolus 1. Timoth. 3. v. 15. nomenclatione non absimili, vocat domum, & firmamentum, ac columnam Veritatis, quod itidem perpetuitatem indicat.

Ciuitas Dei & Ecclesia idem in Scripturis item Domus Dei, &c.

II. Agunt singula de Ecclesiâ N. T. ex Gentibus & Iudæis collectâ, ac visibili: Apostolus enim de conuersatione Ministrorum loquitur, eorúmq; dispositione & gubernatione, quæ nonnisi in visibili Ecclesiâ locum habent: neque minùs conueniunt ciuitati, de quâ Psalmus & Christus. Iam enim diximus esse æquipollentia.

Agunt de Ecclesia N. T.

III. Si consideretur analogiæ ratio, illúdque medium, in quo instituitur comparatio, rectè concludi: quod Ecclesia visibilis non possit errare in fide; alioqui enim succumberet inferorum portis, neque esset columna veritatis, ab illâ deflectens.

Vis comparationis ex infallibilitate.

Altera comparatio cum Sponsâ, & connubio spirituali, habetur pluribus locis: sed sufficiant duo, vnum ex V. T. alterum ex N. T. Oseæ 2. v. 19. & 20. Sponsabo te mihi, ait Dominus, in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitiâ, & iudicio, & in misericordiâ &c. quæ intelligenda de Ecclesia N. T. quam Deus conuocauit ex gentibus & Iudæis, testatur Apostolus Rom 9. v. 25. Neq; restringi possunt ad Ecclesiam inuisibilem, cum talis vtique Sponsa intelligatur, quæ Sponso suo multos quotidie filios gignat. Hoc autem non potest tribui nisi Ecclesiæ visibili, quæ per prædicationem & Sacramenta spiritualem generationem perficit: insolubili vinculo coniuncta Christo, ex parte ipsius.

Comparatio spiritualis Connubij ex Oseâ.

Esse

non intelligat, nisi Scripturam, iam ex primâ parte euidens est, solam non sufficere ad generandos Dei filios. 3. Esto Christũ orâsse hìc etiam distributiuè pro singulis, non diffitetur tamen Dorscheus, principaliter orâsse pro electis, nos verò addimus: peculiari modo orâsse pro Apostolis, eorúmque Successoribus Ecclesiam gubernaturis, siue electis, siue non electis, ne simul omnes à veritate deficiant. Quare non opus est quidem, vt reddantur indefectibiles & impeccabiles fideles singuli distributiuè: sint tamen tales Pastores & Doctores, repræsentantes Ecclesiam collectiuè.

Christus Io. l. c. principaliter orauit pro Apostolis, eorúmq; Successoribus.

198. Ad IV. Replicam Resp. 1. Verba illa Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*, ponderanda esse, vt dicta ad Apostolos à Christo, cũ mitteret eos *ad docendas omnes gentes &c.* ne difficultate prædicationis pusillanimes redderentur aut perplexi; præsentiam igitur perpetuam illis promittit, imposito numeri congruentem, tanquam Magister perpetuus, qui in errorem illos labi non esset permissurus. Quare hæc verba non referuntur propriè aut principaliter ad quosuis fideles, sed Apostolos eorúmque Successores; ideóque parum ad rem sunt, quæ subnectit Dorscheus de præsentiâ gratiæ generatim.

Ad §. 138. Dorsch. Verba Matth. vlt. quomodo ponderãda.

Nam verum est ex his verbis non probari 1. aliquem fidelem in eius possessione vsque ad finem permansurum. Neq; 2. integram aliquam multitudinem in eâdem perstituram, vt nullus excidat gratiâ fidei aut vnionis cum Deo. Neque 3. aliquẽ cœtum visibilem particularem, puritate doctrinæ ex præsentiâ Christi florentem, in eodem flore perennaturum. Secùs est de cœtu siue Ecclesiâ visibili vniuersali, quam perennaturam in eodem veritatis flore, hoc ipso capite demonstramus. 4. Quod negat visibilem aliquem cœtum cum Christo gratiosè præsente, per gratiam inconcussæ veritatis in perpetuum vniri, falsum conuincitur ex ijs, quæ cap. priori & isto diximus, ac deinceps dicemus.

Non pertinent ad singulos fideles, neq; particulares Ecclesias.

Nullius

Nullius verò momenti est ratio, quam reddit, quod *omnis Christi gratiosa præsentia sit conditionata.* Nam 1. nusquam hoc scriptum est, sine Scripturâ autem nihil asserere debent Solibilici. 2. Quin potius repugnat Scriptura, cum Christus ad suam præsentiam gratiosam vocet absque conditione, *omnes qui laborant, & onerati sunt*, Matth. 11. v. 28. Et Spiritus S. nulli conditioni alligatus, *spirat vbi vult &c.* Io. 3. v. 8. 3. Quando Deus aliquod salutis medium promittit, quod nullâ ratione pendet, aut pendere potest à voluntate nostrâ, eiusmodi promissio est prorsus absoluta, cum nulla sit conditio, quam nos ponere possimus. Talis est promissio infallibilis directionis per Ecclesiam ad salutem obtinendam; nulla enim conditio ex parte nostrâ excogitari potest, quam Deus à nobis exigat, & nos præstare possimus, vt talem nobis instituerit, & concesserit Ecclesiam: quæ sit infallibilis fidei Magistra, columna & firmamentum veritatis; sed est hoc opus misericordiæ, bonitatis & sapientiæ conuenientissimæ. Ergo promissiones, quæ de hâc re in Scripturis extant, sunt absolutæ, neque suspensæ ab vllâ conditione, etsi ipse per liberas hominum voluntates eas infallibiliter exequatur; quod promissionis absolutam veritatem minimè impedit, vt constat ex dictis num. 195.

Falsum est omnē Christi gratiosā præsentiam esse conditionatam.

Promissio medij salutiferi à nobis independētis est absoluta.

Neque vllius momenti est, quod ex eo, *quia hæc promissio respectu singulorum credentium est conditionata*, concludit etiam respectu *Ecclesiæ vniuersalis esse talem.* Hæ enim promissiones propriè aut principaliter non spectant singulos seorsim, sed Ecclesiam vniuersam, quatenus per Doctores & Pastores suos repræsentatur, vti hoc §. ostensum est. Nihil autem absurdi est, vti autumat Dorscheus, *eandem promissionem absolutam esse, & conditionatam*, si diuerso respectu consideretur, vno videlicet principaliter & propriè: altero non nisi secundariò, & veluti per accidens intento. Certè ipse Dorscheus fatebitur, has promissiones esse absolutas respectu Ecclesiæ inuisibilis & electorum, quas tamen respectu aliorum conditionatas esse diffiteri non potest.

Promissio, absoluta, respectu Ecclesiæ, conditionata est respectu singulorum.

Dorscheus admittit promissiones similes.

Ex quibus denique omnibus apparet Scripturas stare pro Ecclesiâ visibili, falli & fallere nesciâ, secundùm conuenientissimam textus & contextus harmoniam, & communem PP. & DD. interpretationem. In contrarium autem illas trahi violenter à Dorscheo artibus non bonis, & argumentis veri inanibus.

§. II.

Conditionem Verbi diuini sequendi, quam promissionibus Ecclesiæ factis Acatholici apponunt: nugatoriam, iniquam, & alienam esse, demonstratur.

KIRCHERVS.

199. AT dicunt, *pergit Kircherus* §. 20. *f.* 63. promissiones illas de assistentiâ Spiritus S. perpetuâ, esse conditionatas, nempe si Ecclesia vocem Sponsi sui semper audierit, iuxta illud Io. 8. v. 31. *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis.* Quæ exceptio frigida est, iniqua, & aliena.

Rectè credere, & vocem Christi sequi non differunt.

I. Frigida certè. Nam vox Christi Lutheranis est sola Scriptura, eadem est ijsdem adæquata fidei norma; ergo de fide rectè statuere, & vocem Christi sequi, realiter non differunt. Quod naturæ conditionis repugnat, & perinde est, ac si dicat aliquis: Ecclesiam non erraturam in fide, si non errauerit; sin errauerit, erraturam. Aut: Petrum tantisper mansurum hominē, quantisper animal manserit rationale. Quid enim errare est, quàm vt definit Cicero in Paradoxis, transilire lineas? quid in fide errare, quàm à Scripturæ normâ aberrare? vnde manifesta quidem & ridicula planè emergit nugatio.

Lutherani ex similibus promissionibus argumentantur.

II. Iniqua est. Quia ex promissionibus eiusmodi argumentari sibi licere præsumunt Lutherani; Catholicis licere non existimant. Quod ostendo: Docent in fundamentalibus fidei articulis Ecclesiam inuisibilem, finaliter saltem, errare non posse. Pro argumento promissiones afferunt, quæ electos concernunt singulariter, veluti non posse eos in errorem induci finaliter, & si quæ sunt huiusmodi alia. Quæro, an illâ promissione inuoluatur vnà, & quasi supponatur, conditio de audiendâ voce Christi? Si negent, sequitur aliquem non posse induci in errorem, qui tamen vocem Christi non audiat, quæ manifesta est contradictio. Si affirment, inuolui & supponi hanc conditionem: neq; tamen

contingere

contingere posse, propter singularem Dei dispositionem & assistentiã, vt electorum aliquis vocem Christi finaliter non audiat: idem sibi à nobis pro Ecclesiæ ab errore fidei immunitate, responsum habento. Alioqui non Christianam magis Ecclesiã, quam Mahometanã, vel Paganam, hæ Ecclesiæ factæ promissiones concernent. Quid enim amplius Christiani haberemus, atque habent ipsi? etiam Turca non potest errare, vbi Scripturam sequitur, etiam Paganus; veluti cum vnum duntaxat esse Deum vterq; statuunt, & in tantum cum Scripturâ ipsâ consentiũt.

Secundùm illos nõ magìs conueniunt Christianis, quàm Paganis.

III. Aliena est exceptio. Nam quæro, vtrùm sit in potestate hominis Scripturam sequi, vel non? Dauid illuminationem in hâc re à Deo petit, ps. 118. & fatentur Lutherani speciale auxilium esse necessariũ. Pugnat autem cum naturâ promissionis, (nisi vnà promittatur facultas præstandi conditionem, si quæ forte subest) vt illi, cui fit promissio, conditio feratur, quam præstare non sit penès ipsum. Deinde istæ promissiones ad illud diriguntur, quod maximè postulat imbecillitas humana: quæ illud requirit maximè, vt assequatur vocem Christi, & in sensu illius inquirendo ne hallucinetur. Promisit ergo Christus, non permissurum se, vt tota Ecclesia aberret ab illo sensu, quem per vocem suam, siue (ex hypothesi Lutheranorum) per Scripturam intendit: alioqui non erit tam promissio, quàm illusio, quia non includeret id, quod in ea re momentum est longè maximum. Et quæso, quid consolationis mihi inde, si de conditione illâ: impleta sit, aut non sit? perpetuò mihi dubitandum?

Sequi vocé Christi postulat speciale auxilium.

Promissio nisi includat id, quod est necessarium, illusoria.

DORSCHEVS.

Replicat §. 239. Dorscheus I. *Differre omnino, manere in sermone IESV, & non errare, licet optimè sint connexa; est enim illa ἐμμονὴ, siue mansio, causa continens ἀνεκπτωσίας Es 7. v. 9.* 200.

Differre, quæ Kirch. dicit eadem.

Replicat II. ibid. *Hypothesin Lutheranam de inuisibili Ecclesiâ nihil iuuare Kircherum. Neq; enim illam oriri, ex absolutâ & irresistibili diuinâ efficientiâ, quæ omnem conditionem ad non deficiendum, & non errandum, in inuisibili Sanctorum cœtu ponat. Caluinianis fortassis hoc placere. Promissiones de perseuerantiâ inuisibilis Ecclesiæ, consistere partim in obligatione diuinâ ad sufficientia & efficacia auxilia gratiæ, partim in præscientiâ diuinâ absfuturæ à fidelibus inuisibiliter Christo coniunctis, malitiosæ resistentiæ. His positis infallibiliter posse oriri promissionem, de non defecturâ Ecclesiâ inuisibili.*

In quo consistant promissiones diuinæ.

Replicat III. §. 240. *Et negat esse parem argumentandi rationem pro Ecclesiâ visibili ex promissionibus diuinis. Nam si*, ait, *illam prouidentiam, absolutam & irresistibilem esse dicas, non eâdem nobiscum incedis viâ. Talem*

Aliter Lutheranos argumentari, quàm Kirch.

autem procul dubio agnosces, qualem aliqui Pontificij agnoscunt in Pontifice infallibiliter definiente, etiam cum debitam diligentiam non adhibet, de quo §. 210. Vel enim illa tua prouidentia circa Ecclesiam, ex prædestinatione gratiæ, aut ex aliâ quâdam & secretâ vocatione Ecclesiam moderatur, & infallibilem facit; vt ex tuorum DD. hypothesibus ostendimus supra §. 102. cum singulis fidelibus ad conuersionem, & perseuerantiam procedere Deum, quod Scriptura repugnans, & diuinæ naturæ parum consentaneum videtur.

Non vniformis hominũ repugnãtia.

Itaq; hoc pacto rem explicamus. Est in hominibus non vniformis repugnantia, non tam quoad gradus scelerum, quàm pertinaciæ: quæ residet in principio agendi, nec in quantitate actus externi semper est conspicua. Omnem tamen repugnantiam ab æterno præsciuit Deus: non autem decreuit absolutâ quâdam & irresistibili operatione gratiæ aggredi homines, vti Caluinianis placet. Ordinem itaq; Deus certum ait §. 241. *& potentiam gratiæ ad illum ordinem restrictam, proposuit. Iam ab omni æternitate præuidit, quinam essent intra ordinem illum diuinum vsque ad finem mundi constituti, qui verò Euangelio restituri & Consilium Dei aduersus se spreturi, Rom. 1. v. 16. Act. 7. v. 51. Luc. 7. v. 30. Quotquot prænoscuntur intra ordinem consistentes, ex promissione gratiæ subsistunt, sed non absolutâ. Neque tamen in potestate hominis est gratiosa illa subsistentia. siue hypostasis. Idcirco verò promissio diuina non eliditur; diximus enim Deum promittentem (quod ad naturam promissionis, si aliqua conditio subsit, quam præstare non sit penès ipsum, cui fit: Kircherus requirit,) etiam ad conditionem implendam, promittere vires ordinatas, & efficaces.*

Ordinem certum gratiæ Deus cõstituit.

Intra quem ex promissione gratiæ manetur.

Promisisse dicimus Christum, non permissurum se, vt tota Ecclesia à sensu, quem per verbum suum non absolutâ operatione, sed sapientissimâ ordinatione intendit, excidat. Isti resistere omnis homo potest; insistere suâ vi nullus potest; quod quidam insistunt, ex merâ gratiâ est. Semper visibilem aliquam Ecclesiam fore per Dei gratiam, quæ non resistat, nullibi promissum est. Neq; tamen sequitur malè consultum esse mortalibus, quia tantum illis præstatur, & promissum est, quantum satis est. Semper enim media gratiæ, inprimis Verbum diuinum in promptu sunt.

Resistere illi, quiuis potest, non insistere suâ vi.

Replicat denique IV. §. 243. *Malè Kircherum argumentari ab Ecclesiâ Christi ad Mahometanam, & Paganam. Christianam Ecclesiam enim esse Ecclesiam Dei; ergo promissio perseuerantiæ immediatè illam attingit. Mahometanam & Paganam esse Ecclesiam malignantium. Ergo eam non concernit promissio perseuerantiæ.*

Paganos nõ concernere promissiones diuinas.

Deinde sic instat: *Quilibet fidelis aut habet absolutam promissionem perseuerantiæ, aut conditionatam. Non absolutam; alias nullus excideret. Si conditionatam, ergo non fidelem magis, quam Mahometanum, vel Paganum ista con-*

Obijcit cõsequens absurdum.

sta concernet promissio. Nam etiam Turca & Paganus non potest errare in fide, vbi Scripturam sequitur. Consequens hoc absurdissimum, & gloriæ filiorum Dei aduersum. Habent ergo in hâc promissione aliquid fideles præ Turcis, & Paganis. Non potest autem ratio diuersitatis assignari, si habens conditionatam perseuerantiæ promissionem fidelis, habeat aliquid præ infideli: cur non etiam eandem habens vniuersitas fidelium, præ vniuersitate infidelium aliquid habeat? Aut si vniuersitas infidelium præ illâ nihil habeat, cur singuli fideles præ illis aliquid habeant?

RESPONDETVR.

Conditionis huius nugacitas & frustratio exponitur.

Ad Replicam I. RESP. Non solui argumentum, quando mutantur termini, in quibus vis est. Hoc facit Dorscheus, vt videatur soluere, quod si gloriam Deo daret & veritati, fateretur esse insolubile. Non dicit Kircherus. *Manere in sermone IESV, & non errare, esse idem:* sed, *de fide rectè statuere*, & *vocē Christi sequi*, realiter non differre. Vtrumque, & *rectè de fide statuere*, & *vocem Christi sequi* est realiter idem, quod *non errare:* etsi conceptu differant, quia non errare explicari potest per negationem duplicatam, quæ iuxta Philosophos æquiualet affirmationi, & à parte rei est aliquid positiuum. Vt si dicas: *hominem non esse cæcum*, est idem, ac si diceres: *non esse non videntem*, quod à parte rei non est aliud, quàm *esse videntem*. Sic, si dicas in proposito: *Ecclesiam non errare*, erit idem, ac si diceres: *Ecclesiam non non rectè statuere de Fide; non non sequi vocem Christi*, siue *non non permanere in sermone ipsius*; quod à parte rei non est aliud, quàm *rectè statuere de Fide, sequi vocem Christi, & permanere in sermone ipsius*; etsi hoc postremum, quod addit Dorscheus, videtur plus aliquid dicere, perseuerantiam videlicet. 201. Ad §. 230. Dorsch. Rectè credere, & vocem Christi sequi, idem est, quod nō errare.

Sed Kircherus duo priora solùm affirmat esse idem realiter, prout etiam vtrumq;, imò & ipsum permanere est idem, quod non errare, vt ostendimus. Vnde sequitur in proposito non distingui istud ab illis, nisi per duplicatam negationem, quæ à parte rei nihil ponit, sed est mera operatio mentis; adeóq; falsum Permansio in verbo Dei, non est causa infallibilitatis, sed idem.

ſum eſt, quod nimis obiter reſpondet Dorſcheus, *illam* ἐμμονὴν *ſiue permanſionem in verbo Dei eſſe cauſam continentem* ἀνεκπτωσίας, *id eſt, inexcidentiæ,* ſiue immunitatis ab errore. Idem non eſt enim cauſa ſuipſius; neque negatio in ſolo conceptu ſita, propriè cauſare aut cauſari poteſt. Impertinens verò eſt, quod allegatur ex Iſa. 7. v. 9. *Si non credideritis, non permanebitis,* quia in his verbis permanſio non aſſignatur pro causâ Fidei, ſed infidelitas pro causâ non permanſionis. Vnde firmum manet argumentum Dorſchei, cum in propoſito conditio non differat reipsâ ab illo, quod ſub ipsâ promittitur, promiſſionem eſſe nugatoriam, ſiue fruſtratoriam: Eccleſiam videlicet *rectè de Fide ſtatuturam, vel vocem Chriſti ſecuturam, ſi vocem Chriſti ſequetur,* vel *ſi rectè de Fide ſtatuet,* vel deniq; cum hæc omnia idem ſint: *Eccleſiam non erraturam, ſi non errauerit.*

Promiſſio ſub conditione quæ non differt à re promiſsâ, nugatoria.

Idem eſt de eſſentialiter, ſiue inſeparabiliter cõnexis.

Neq; ſolùm in propoſitionibus eiuſmodi æquipollentibus, verùm vniuerſim in illis, quæ ſunt eſſentialiter, vel inſeparabiliter connexa, cõditiones ſunt illuſoriæ: ſi conditio ſit de eſſentiâ ſiue proprietatibus inſeparabilibus eius rei, quæ ſub ipsâ ponitur, vt in altero Kircheri exemplo: *Petrus tantiſper manebit homo, quantiſper animal manſerit rationale,* ſiue, *ſi Petrus manſerit rationale animal, manſurus eſt homo, vel ècontra.* Quare eiuſmodi cõditiones habentur pro non adiectis, ſecundùm iura, *qui enim ſub conditione ſtipulatur, quæ omnino* (id eſt, certò) *extitura eſt, purè videtur ſtipulari.* l. ſi pupillus 9. §. ſi quis. ſub conditione. ff. de Nouat. & deleg. concord. l. ſi ſub conditione, & l. Quod ſi. ff. de condict. indebiti. Non minùs autem eſt inſeparabilis proprietas veræ Chriſti Eccleſiæ, eſſe immunem ab errore, ſiue rectè de Fide ſtatuere, aut vocem Chriſti ſequi, quàm hominis eſſe diſcurſiuum aut riſibilem, vt ex hactenus dictis patet: & vel inde confirmatur, quod ſicut fieri non poteſt, vt vniuerſim homines amittant prima luminis naturalis principia, ſiue ſpeculatiua ſiue practica: ſic multò minùs, (cum Deus magis vtique ſtabilierit Societatem hominum ſupernaturalem, quàm

Eiuſmodi conditiones habentur pro non adiectis.

Infallibilitas inſeparabilis Eccleſiæ proprietas.

natura-

naturalem) à veræ fidei principijs, & regulis aberrare possit tota Christi Ecclesia. Non igitur promissiones ipsi factæ, sunt suspensæ ab incertâ conditione, sed puræ & absolutæ; ac perinde frustratoria sunt: *Si Petrus manebit risibilis, manebit homo, &c. si Ecclesia manserit in verbis Christi, manebit vera Ecclesia.*

Dei prouidentia circa Ecclesiam, ex argumentis Kircheri magis elucidatur.

Ad Replicam II. & III. RESP. 1. Quæ grandibus verbis nugatur Dorscheus, de absolutâ ac irresistibili efficiẽtiâ siue operatione gratię, ac prouidẽtiâ diuinâ: ex quâ negat oriri inuisibilis Ecclesię, siue electorũ, finalẽ saltem, erroris immunitatẽ: instar fumi ex illis quæ ex S. Aug. attulimus §. 1. euanescere. Verũ est non interuenire absolutam aut irresistibilẽ efficientiã gratiæ, aut prouidentiæ diuinæ, quæ tollat liberum arbitrium: sed talem, quæ ex absoluto decreto vtatur infallibiliter, liberis hominum voluntatibus ad finem salutis ipsorum: sicut ad executionem absoluti decreti, quo Sauli & Dauidi, vt diximus supra, Deus destinauit regnum Israëlis, vsus est liberis voluntatibus Israëlitarum in ijsdem Regibus, seu acceptandis, seu eligendis. Hoc autem siue decretum, siue prouidentia, & efficientia, potest dici irresistibilis potestate non quidem antecedente (neque enim vis infertur voluntati, quæ in se spectata posset resistere) sed consequente. Cum enim Deus infallibiliter fecerit, vt hos Reges habere liberè vellent Israëlitæ: & itidem corda trahendo, faciat, vt electi liberè velint ac faciant, quæ saltem finaliter, ad salutem ipsorum sunt necessaria: sic certè quatenus volunt, & vt substant prouidentiæ speciali ipsos trahenti: in sensu composito non possunt non velle, siue quod idem est, nec resistunt, nec possunt resistere. Priori igitur sensu verum est, Deum non aggredi homines irresistibili operatione gratiæ, hoc verò posteriori falsum est.

202. Ad eundem §. & 240. Repetit nugas de irresistibili efficientiâ.

Prouidentia Dei circa infallibilitatem Ecclesiæ, est irresistibilis consequenter, non antecedenter.

2. Ex quo consequens est, hanc Dei circa Ecclesiam prouidentiam,

Prædeterminatio Physica minimè necessaria. Dorscheus repugnat Conf. Aug.

dentiam, dum eam infallibilem facit, non adhibere quidem vllam prædeterminationem physicam, (quæ minimè necessaria est) sed *aliâ quâdam secretâ & speciali vocatione, vel assistentiâ illam moderari.* Qualem vocationem & assistentiam admittere respectu electorum deberet Dorscheus, nisi à Libro Concordię discordaret, vt ostendimus num. 34. resp. 4. Cui illud quoq; repugnat, quod hic negat infallibilitatem Ecclesiæ inuisibilis, siue electorum, oriri ex tali *diuinâ efficientiâ, quæ omnem conditionem ad non deficiendum, & non errandum in inuisibili SS. cœtu ponat.* Sic enim aiunt in declarat. Art. 11. mihi f. 818. *Accuratè Apostolus distinguit inter opus Dei, qui NB. SOLVS facit vasa honoris, & inter opus Diaboli & hominis, qui ex instinctu & impulsu Diaboli (nequaquam autem impellente Deo) seipsum vas contumeliæ facit. Deinde paulò post* f. 821. *Falsum,* inquiunt, *igitur est, quod non NB. SOLA Dei misericordia, & vnicum SS. Christi meritum, verùm etiam NB. ALIQVID IN NOBIS, causa sit electionis diuinæ: propter quod nos Deus ad vitam æternam prædestinauit.* Si autem diuina efficientia non ponit omnia ad electionẽ, & perseuerantiam necessaria: Ergo non Deus solus, sed Deus & homo simul faciunt vas honoris, sicut homo & Diabolus simul faciunt vas contumeliæ; & est aliquid in nobis, quod sit causa electionis. Denique saltem in electis innumeris, qui primùm in fine vitæ conuertuntur, absoluta & irresistibilis operatio diuina se exerit: *nam ad conuersionem aut regenerationem suam homo nihil operari, aut cooperari potest, nec plus quàm lapis, truncus, aut limus,* aiunt in art de lib. arb. mihi f. 662. Manifestè ergo Form. Concord. aduersatur Dorscheo, & hic illi.

Secundùm quam solus Deus facit vasa honoris.

Quod magis apparet in ijs, qui conuertuntur in fine vitæ.

Promissiones diuinæ non consistũt in obligatione, aut præscientiâ.

Falsum vlterius est *Promissiones de perseuerantiâ inuisibilis Ecclesiæ, consistere partim in obligatione diuinâ ad sufficientia & efficacia auxilia gratiæ, partim in præscientiâ absuturæ ab electis malitiosæ resistentiæ, & quod intra ordinem gratiæ à Deo constitutum vsque ad finem sint substituri.* Nam 1. Deus non solùm promittit, & vi promissionis se obligat ad auxilia gratiæ, sed multò magis, imò

principa-

principaliter ad dandam vitam æternam. 2. Iuxta Form. Cōcord. non pendet prædestinatio (adeóque nec promissio, quæ fit electis) à præscientiâ alicuius conditionis, quam liberè ipse homo ponat; quia *solus Deus facit vasa honoris, nec est aliquid in nobis, quod sit causa electionis*, vt dictum. 3. Sed neq; Dorscheū, etsi à suâ Concordiâ discordē, præscientia diuina iuuat; quia negat *subsistentiam siue perseuerantiam in gratiâ, esse in potestate hominis, sed ait esse ex merâ gratiâ.* Est ergo in potestate solius Dei, adeóque pendet ab absoluto Dei decreto.

Neque euadit Dorscheus, dum dicit, *omnem hominem posse resistere gratiæ; vtrùm verò restiturus sit, nécne præscire Deum, & in hâc præscientiâ fundari promissiones Ecclesiæ inuisibilis.* Rursus enim impingit in Form. Concord. sentiendo, non solum Deum, sed ipsum etiam hominem per ea, quæ præscit Deus ipsum facturum, se facere vas honoris, & esse in illo aliquam electionis causam. Imò sequitur, *vt promissa sua Deus possit implere, non esse in Dei, sed in hominis potestate, quod veritas & pietas nos credere vetat*, ex sententiâ S. Aug. lib. de prædest. SS. cap. 10.

Rursus impingit in Formul. Concord.

Ex quibus denique confectum manet, per absolutam & irresistibilem (eo quo explicauimus modo) Dei prouidentiam & efficientiam, electos saltem finaliter immunes manere ab errore. Quin iuxta Form. Concord. æquè, vel magis absolutā & irresistibilem esse prouidentiam diuinam circa electorum (in quibus Ecclesiam inuisibilem sibi fingunt,) finalem in Fide perseuerantiam, quàm nos Catholici illam adstruamus circa veram & visibilem Christi Ecclesiam, ab erroribus immunē præstandam. Neq; enim nos excludimus Conciliorum & Pontificum, in rebus Fidei definiendis & declarandis scientiam, laborem, solicitudinem, quibus Spiritus S. veluti dispositionibus vtitur ad eos in infallibilem Veritatem inducendos; etsi etiam absque his aliqui Catholici id quandóque fieri existiment, ex tali videlicet instinctu, quali Caiphas actus, Io. 11. v. 50. & Balaam Numer. 23. & 24. contra mentem suam à Deo inspiratus

Magis Dei prouidentia est irresistibilis circa electos, quàm circa Ecclesiam.

tus fuit. Certè simile quid etiam in verâ Ecclesiâ fieri, nihil repugnat. Dorscheum cum suis à Regno Caluini non longè in aliis abesse, diximus supra num. 34. Nos neque in hâc re, neq; in aliis cum illo conuenimus. Differentiam claré & solidè demonstrauit Becanus Parte 1. Theol. Schol. cap. 16.

Disparitas Dorschei elisa.

Elisâ igitur fictitiâ disparitate, (quam Dorscheus contra Form. Concord infidus Euangelii sui Minister, propugnat,) inuictum manet Kircheri argumentum, quo Iniquitatem conditionis siue hypothesis, *de Ecclesia, si vocem Sponsi sui semper audiat, nunquam erraturâ,* (vt ridiculam nugationem maximè condonaremus) demonstrat ex eo: Quod, *cum hæc conditio inuoluatur vel supponatur etiam in promißione factâ inuisibili Ecclesiæ, siue electis: neque tamen contingere poßit propter singularem Dei Aßistentiam, vt electorum aliquis, vocem Christi finaliter non audiat; Idem, nisi iniqui esse velint Lutherani, pro Ecclesiæ in rebus fidei infallibilitate responsum habere debere,* nihil obstante Dorschei à Cõcordiâ Lutherana deficientis, quæsito effugio.

Lutherani, quod concedere nolunt Ecclesiæ, concedunt electis.

203. Ad §. 243. Dorschei.

Ad Replicam IV. RESP. I. Kircherum non dicere, promissionem perseuerantiæ factam esse Ecclesiæ Mahometanæ, aut Paganæ, quæ vtique sunt Ecclesiæ malignantium; sed illud indignum existimamus: Ecclesiam Christianam, stante nugatoriâ hâc conditione, quâ promissiones ipsi factas Euangelici eneruant, non plus inde infallibilitatis sibi vendicare posse: quàm sine vlla promissione habeant, Turcæ, & Pagani, ipséq; mendacii Pater Diabolus, si Scripturam sequantur: quod in quibusdam facere illos ac fecisse, & facere posse, extra controuersiam est.

Turcæ & Pagani, secundùm Dorsch. non minùs infallibiles, quàm Christiani.

RESP. II. Promissionem perseuerantiæ Fidelibus indistinctè (sine discrimine inter electos, & non electos) factam, vtique esse conditionatam, *si videlicet Fidem & gratiam Dei non excusserint, sed vsq; ad mortem retinuerint.* Neq; tamen ad Turcas & Paganos pertinere, cum careant rectâ Fide; quam si amplectantur, eadem erit ratio illorum, quæ aliorum Fidelium. Interim

Promissio perseuerantiæ generatim conditionata.

terim verum est, seclusâ promissione, quæ Ecclesijs malignantium facta non est, vigore imaginariæ hypothesis, quam Ecclesiæ Dei affingunt Euangelici: (*si videlicet vocem Sponsi sui audierit, siue Scripturā sequatur,*) non plus infallibilitatis competere seu singulis fidelibus, seu Ecclesiæ Christi vniuersæ, quàm habeant Mahometani, Pagani, & ipsi Dæmones, si aliquid secundùm Scripturas sentiunt, dicunt, aut docent Quod absurdū esse, vtiq; inficiandum non est, sed hanc absurditatem suæ suorúmq; falsæ doctrinæ, non Catholicis & Kirchero imputare debet Dorscheus: absurdum enim non nisi ex absurdo sequi compertum est.

Iuxta Lutheranos nō plus competit Ecclesiæ Christi, quàm Paganis, ipsíque Diabolo.

Ad 3. Kircheri argumentum, quo Conditionem quam Euangelici affingunt promissionibus Ecclesiæ factis, esse alienam probat inde, *quia Vocem Christi sequi pendet ex speciali auxilio, quod non est in potestate hominis.* Deinde, quia *nisi vi promissionum Ecclesia immunis sit ab errore, nequaquam per illam consultum est imbecillitati humanæ &c,* non respondet per distinctum §. Dorscheus, sed §. 241. hæc obiter inserit: *Deum electis præstare conditionem perseuerantiæ,* sub quâ illis vita æterna videlicet, promissa est. Cæterùm de Ecclesiâ addit: *semper visibilem aliquam Ecclesiam fore, per Dei gratiam, quæ non resistat* (siue à gratiâ Fidei, & Veritatis nunquam deficiat,) *nullibi promissum esse.*

De conditione alienā, quid respondeat Dorsch.

Atqui verò Nobis non est controuersia de electis, qui ad causam hanc non pertinent, vt ostendimus Aphor. 4. n. 168. de Ecclesiâ visibili, & pro illâ disputamus. Perpendat bonâ mente coram Deo, Dorscheus testimonia de Ecclesiæ infallibilitate, & vel maximè hæc: *Supra hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt, aduersùs eam Matth. 16. v. 18. Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis 1. Timoth. 3. v. 15. Dedit &c. alios autem Pastores & Doctores &c. donec occurramus omnes in vnitatem fidei, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ &c ad circumuentionem erroris &c. Ephes. 4. v. 11. & seqq.* Testimonia hæc secun-

Non est controuersia de electis.

Testimonia Scripturæ clarissima pro Ecclesiæ infallibilitate.

dùm ſe ſine gloſſis Acatholicorum conſiderata, tam abſoluta ſunt, & nihil conditionis præſeferunt, quàm vlla alia, quæ abſoluta eſſe concedunt. Quâ ergo fronte, qui purum verbum Dei aſſiduè crepant, conditionem affingunt, quæ in Verbis nulla apparet? Et cur hæc tam clara, de perpetuâ Eccleſiæ viſibilis infallibilitate, potiùs obſcurant, quàm vt alia loca obſcuriora, ex his interpretentur ?

Sine hâc infallibilitate nobis non conſultum.

Falſum verò nimis eſt, abſque hâc infallibilitate, *benè nobis conſultum, aut ſolidam conſolationem in Eccleſiâ repoſitam eſſe.* Cum enim ad Fidem, quæ ad ſalutem neceſſaria eſt, requiratur infallibilis certitudo, eámque Eccleſia fallibilis: & erroribus obnoxia, vt ab Euangelicis deſcribitur, præſtare non poſſit: non ſine periculo ſalutis, ad illam tanquam Magiſtram, columnam & firmamentum veritatis remittimur. Euidens quippe eſt, non eſſe idoneam infallibilis veritatis, & omnis circumuentionis vitandæ Magiſtram: de quâ ex ipſius naturâ & erroribus varijs præcedentibus, quos ipſi imponunt Acatholici, dubitare cogimur, vtrum in præſenti quoq; nos non fallat, aut in futurum ſit circumuentura? Neque licet confugere ad Scripturam, quò digitum intendit Dorſcheus, cum in ipsâ ſine Eccleſiæ infallibili propoſitione, aut explicatione quoad nos, nihil ſit infallibile; vt parte 1. luculenter demonſtratum eſt.

Eccleſia fallibilis non eſt idonea veritatis Magiſtra.

Niſi ergo Chriſtus conditionem, *Vocis ſuæ ſemper audiendæ*, cui promiſſiones Eccleſiæ factas Dorſcheus cum ſuis alligat, ipſe perpetuò præſtiterit & exhibuerit, vtpote quæ non eſt in noſtrâ poteſtate: conſequens eſt dictas promiſſiones reſpectu noſtri, eſſe fruſtratorias & illuſorias, cum tali Eccleſiæ non magis fidere poſſimus, quàm ſi nullas omnino promiſſiones accepiſſet. Euicit ergo, quod propoſitum habuit Kircherus, conditionem eiuſmodi & nugatoriam eſſe, & iniquam, & alienam.

§. III.

§. III.

Similitudines Domus, & Ciuitatis, supra petram & montem ædificatæ, item electæ Sponsæ: quibus Ecclesia visibilis comparatur, eiusdem infallibilitatem adstruunt.

KIRCHERVS.

PRiorem comparationem maximè, *vt ait Kircherus num. 21. f. 68.* insinuant, quæ leguntur ps. 47. v. 9. & seqq. Matth. 16. v. 18. 1. Tim. 3. v. 15 vbi tria sunt obseruanda. 204.

I. Hæc loca esse de eâdem re, siue parallela. Ps. 47. nominatur ciuitas Dei, quam ipse fundârit in æternùm. Matth. 16. Ecclesia, quæ ità describitur. vt facilè animaduertas idem esse cum ciuitate Dei, de quâ Psalmus, & eandem Arctitectonicam; sicut enim Deus ciuitatem illam fundauit in æternum, ita Christus Ecclesiam fundauit supra Petram, vt nec Inferorum portæ aduersùs eam sint præualituræ. Eandem Apostolus 1. Timoth. 3. v. 15. nomenclatione non absimili, vocat domum, & firmamentum, ac columnam Veritatis, quod itidem perpetuitatem indicat. *Ciuitas Dei & Ecclesia idem in Scripturis item Domus Dei, &c.*

II. Agunt singula de Ecclesiâ N. T. ex Gentibus & Iudæis collectâ, ac visibili: Apostolus enim de conuersatione Ministrorum loquitur, eorúmq; dispositione & gubernatione, quæ nonnisi in visibili Ecclesiâ locum habent: neque minùs conueniunt ciuitati, de quâ Psalmus & Christus. Iam enim diximus esse æquipollentia. *Agunt de Ecclesia N. T.*

III. Si consideretur analogiæ ratio, illúdque medium, in quo instituitur comparatio, rectè concludi: quod Ecclesia visibilis non possit errare in fide; alioqui enim succumberet inferorum portis, neque esset columna veritatis, ab illâ deflectens. *Vis comparationis ex infallibilitate.*

Altera comparatio cum Sponsâ, & connubio spirituali, habetur pluribus locis: sed sufficiant duo, vnum ex V. T. alterum ex N. T. Oseæ 2. v. 19. & 20. Sponsabo te mihi, ait Dominus, in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitiâ, & iudicio, & in misericordiâ &c. quæ intelligenda de Ecclesia N. T. quam Deus conuocauit ex gentibus & Iudæis, testatur Apostolus Rom 9. v. 25. Neq; restringi possunt ad Ecclesiam inuisibilem, cum talis vtique Sponsa intelligatur, quæ Sponso suo multos quotidie filios gignat. Hoc autem non potest tribui nisi Ecclesiæ visibili, quæ per prædicationem & Sacramenta spiritualem generationem perficit: insolubili vinculo coniuncta Christo, ex parte ipsius. *Comparatio spiritualis Connubij ex Oseâ.*

Esse

Paulus Ecclesiam statuit exemplar Fidei coniugalis.

Esse autem itidem tale ex parte Sponsæ, clarè docet Paulus Ephes. 5. v. 14 & seqq. dicens: sicut Ecclesia subiecta est Christo, ità & mulieres viris suis in omnibus &c. Statuit ergo Paulus Ecclesiam esse normam & exemplar subiectionis, ac fidelitatis mulierum erga maritos. Elegans norma scilicet, si Ecclesia deficeret à Christo, & adulterium in se admitteret.

Non potest restingi ad Prædestinatos.

Neque possunt hæc restringi ad Prædestinatos, tum quia hæc iam explosum, tum quia Apostolus de illâ Ecclesiâ loquitur, cuius Caput Christus. At caput est ille maximè visibilis Ecclesiæ: Quod ipsi Lutherani vrgent, quando contra Catholicos pugnant, Ecclesiæ non conuenire aliquod caput præter Christum, quia biceps alioqui foret; quis ergo non intelligit de inuisibili Ecclesiâ quæstionem esse? Et huius tamen Caput, ipsi Christum ità constituunt, vt ab vnius positione, argumententur ad remotionem alterius:

DORSCHEVS.

Replicat §. 243. Dorscheus I. Et testimonia de Ciuitate fundatâ in æternum, de Ecclesiâ ædificatâ supra Petram; de columnâ & firmamento veritatis, detorquet ad Ecclesiam inuisibilem. 1. *Negat his ostendi Ecclesiam, quà visendam se & perlustrandam publicâ claritate præbet, ab errore & casu immunem esse. Quæ enim videtur Ecclesia, partem esse Ecclesiæ Catholicæ, quæ siue hanc siue illam Orbis terrarum plagam respicias, cadere & abesse ab Ecclesiâ Catholicâ potest, quæ non est vnius loci, sed vniuersalis.*

Ecclesiam visibilis pars Ecclesiæ Catholicæ. Aduersùs illam portas inferi, non præualere collectiuè.

2. Ait § 244. *Aduersùs Ecclesiam fundatam supra Petram, portas inferi non præualituras collectiuè, respectu Catholici Regiminis, quo nunquam fiet, vt omnes fideles deijciantur.* 3. *Hanc pollicitationem non intelligendam esse absolutè, sed quatenus & quamdiu quilibet ædificatus super Petram manebit. Posse autem aliquem fidelem, & Ecclesias particulares sese sponte deijcere ex hâc structurâ, non negant Papistæ. Caluinistæ non aiunt, qui pleráq; hæc loca, quæ pro Ecclesiæ infallibilitate afferuntur à Papistis, pro impossibilitate Apostasiæ Sanctorum adducunt.*

De loco Pauli se egisse alibi.

4. §. 245. Dicit de *loco* 1. *Tim.* 3. *se egisse alibi, & supra* §. 159 *Sicut particularis Ecclesia, potest desinere esse candelabrum lucis, Apoc.* 2. *v.* 5. *ità potest desinere esse columna, & firmamentum veritatis. Argumentum à Conuersatione non arguere vel visibilem Ecclesiam, vel inuisibilem. Non illam, quia conuersatio est etiam in inuisibili Ecclesiâ, vbi arctissimâ, suauissimâque Communione inter se Sancti sociati* 2. *Petri.* 3. *v.* 11. *Non hanc, quia visibilis conuersatio Ministrorum non est necessariò perpetuò visibilis; potest deficere, vt de facto defecit in Ecclesiâ Ephesinâ, in quâ modum Conuersationis*

Visibilis cõuersatio Ministrorum, non semper necessaria.

Timotheo

Timotheo præscripsit Apostolus. Imò visibilis Conuersatio ministerialis Ecclesiam quidem designat, sed non visibilem, verùm inuisibilem; tendit enim ad Ierosolymam, quæ sursum est.

5. Supra §. 243. allegat Bellarm. in illud ps. 47. v. 5. 6. Quoniam ecce Reges terræ congregati sunt, conuenerunt in vnum &c. *Quod eodem teste, Latini exponunt de conuersione gentium ad fidem & Ecclesiam Christi: Græci verò de oppugnatione Ecclesiæ per populos & Reges infideles, quæ inter se non pugnare ostendit Bellarm.* Dorscheus verò, longè aliter licet sentiente Bellarmino, prætendit neutro modo necessariam esse Catholicam visibilitatem. *Satis esse si aliquo medio & documento sui, se manifestet, & ità in consortium suum pertrahat gentes & Principes.* Negat ex ps. 47. probari Ecclesiam visibilem, allegando Bellarm.

Neque etiam propter persecutiones gentilium, necessariam esse Catholicam Ecclesiæ visibilitatem. *Non enim semper est in publicâ aduersùs persecutores victoriâ; satis esse, si intùs vincat: posse à persecutionibus premi, vt quoad publicum splendorem victa videatur. Describeretur ergo hoc pacto à psalte, quoad incrementa initialis promotionis per orbem terrarum, quâ ratione suum visibilem splendorem circumtulit longè, latéq;*

Replicat II. Dorsch. §. 246. Aduersùs locum Oseæ de desponsatione: *hanc esse spiritualem, & actum per se inuisibilem. Hanc esse posse, etiamsi publicè inualescant errores & defectiones Ecclesiæ visibilis. Neque sequitur: Paulus ad Rom. 9. v. 25. Oseana verba accomodat ad Ecclesiam fidelium, non ad prædestinationem; Ergo non intelligit Ecclesiam inuisibilem. Dicimus enim, Ecclesiam fidelium esse inuisibilem.* Oseam loqui de Spōsatione spirituali, & inuisibili.

Neq; Ecclesia visibilis, ut sic est Sponsa Christi, quia constat hypocritis, hæreticis, peccatoribus. Neq; illa propriè & adæquatè est mater fidelium, sed Catholica inuisibilis, licet mediantibus visibilibus Sacramentis, & verbo sensibili. Ecclesia visibilis, vt sic, non est Spōsa Christi

De exemplari fidei coniugalis dicimus, Apostolum argumentari non tam à facto, quàm ab obligatione coniugij spiritualis, ad debitum coniugij corporalis. Et si de facto loqueretur, ad præsens laudabile, non ad possibile vituperabile respectus esset habendus. Sic enim comparatio stringeret: sicut Ecclesia, quatenus, & quamdiu est Capiti suo Christo subiecta: ab eo viuendi regulam sumit, sicut idem facit vnaquæq; anima fidelis, vt Christo sine mixtura cum Satanâ cohæreat: ita mulieres debent viris suis sincerè obedire, nisi velint adulteræ audire. Apostolus non tam argumentatur à facto, quàm ab obligatione.

Quanquam, si à visibili Ecclesiâ ad inuisibilem transierimus, fortiùs argumentum erit in hunc sensum: Vos creditis electorum vniuersitatem ceu sponsam, perpetuâ Communione adhærere Sponso suo Christo, idque in exemplar

coniugij corporalis constitutum; Nolite ergo adulterijs corrumpere matrimonia vestra. &c

Christum à Kirchero impiè dici caput Ecclesiæ visibilis.

Replicat denique III. §. 247. *Impiè dici à Kirchero: Christum maximè caput esse visibilis Ecclesiæ, itaq; de eo maximè Oseam, Paulúmq; intelligendos. Nonne maximè, illa coagmentatio Ecclesiæ est inuisibile & spirituale opus? Nonne maximè Christus est Caput illius Ecclesiæ, quæ vnum aggregatiuum corpus est, ab ipso mundi exordio vsq; ad eius finem consummandum, quæ est plenitudo Christi? Ephes. 1. v. 23.*

RESPONDETVR.

205. Ad §. 243. Dorsch.

Ad Replicam I. Resp. I. Ecclesiæ inuisibilis figmentum cap. 6. præsertim § 1. in Aphorismis nostris, abundè refutatũ esse. Quod verò hic dicit. *Quæ videtur Ecclesia, partem esse Ecclesiæ Catholicæ, & posse ab illâ abesse &c*, per Amphibologiam ludit. Neque enim visibilis Ecclesia ad solum visum refertur, sed vniuersim ad sensum, vt visibilis Ecclesia idem sit, quod sensibilis. *Ad oculos enim propriè videre pertinet, vtimur autem hoc verbo etiam in cæteris sensibus, cum eos ad cognoscendum intendimus*, ait S. Aug. l. 10. Confess. c. 35. Imò ad intellectum quoque, & animum transferri, apertum est ex illo vulgatissimo versu: *Video meliora, probóque: deteriora sequor*, vt idem sit, quod intelligere, cognoscere, internoscere, discernere.

Visibilis Ecclesia idem, quod sensibilis. siue perceptibilis.

Hoc sensu Ecclesia Catholica est visibilis, per notas clarissimas.

Iuxta hanc acceptionem dicimus Veram & Catholicam Christi Ecclesiam, toto orbe diffusam, clarissimísque Notis insignitam, esse visibilem. Sic, vt per partes quidem in quibusuis locis, quò protenditur, incurrat in oculos eorum, qui ibi sunt: tota autem ex auditu, narratione Maiorum, Pastorum, aliorúmque fidelium, lectione item librorum, commercio & communione, quam experimur habere Ecclesias particulares inter se, & cum sede Apostolicâ, veluti suo Capite: intellectu siue animo percipi, cognosci & à falsis Ecclesijs discerni possit. Hoc sensu falsum est Ecclesiam, quæ videtur, id est, intelligitur, siue cognoscitur etiam à cæcis (neque enim clausus illis est aditus ad veram & visibilem Christi Ecclesiam) esse partem Ecclesiæ Catholicæ, sed est ipsa tota Catholica, siue vniuersalis

Neq; pars, sed ipsa tota Ecclesia Catholica.

Ecclesia.

Ecclesia. Priori sensu singulas Ecclesias particulares, quas vnus præ alio vidit pauciores, vel plures, & multi patriæ aut Episcopatui suo per totam vitam affixi, non vident nisi vnam: verum est, non esse nisi partes Ecclesiæ Catholicæ, & singulas (exceptâ Romanâ, etiam vt Ecclesiam particularem significat, de quo Bellarm. l. 4. de Pont. c. 4.) posse deficere, ac multas defecisse. Sed hoc neque nobis obest, neque Kirchero, qui Capitis initio, statuit esse quæstionem de totâ Ecclesiâ, non de parte.

RESP. II. Quod dicit 2, *Portas inferi non prævalituras collectiuè respectu Catholici Regiminis:* si per Catholicum Regimen intelligeret Pontificem, & alios Ecclesiæ Pastores ac Doctores, quos simul omnes à fide nũquam deijciendos verissimum est, rectè sentiret: sed quia inuisibile Regimen & electos duntaxat designat, solitas agit nugas: neque demonstrare potest repugnare, quin aliquando omnes electi simul in fide errent, modò finaliter tandem resipiscant. Quæ 3. subnectit de pollicitatione hâc non absolutè intelligendâ, in §. 2. reiecta sunt. Caluinianos locis iisdem pugnare pro errore suo, quibus nos Veritatem Catholicam de Ecclesiæ infallibilitate propugnamus, nihil obstat. Araneæ ex ijsdem floribus venenum sugunt, vnde Apes mel colligunt. Meminerit Dorscheus, veteres hæreticos ijsdem Scripturis pro Fide solâ aduersùs bona opera pugnâsse, quibus vtuntur Lutherani, vt constat ex lib. S. Aug. de Fide & bonis operibus. Ad §. 224. Dorsch. Per Regimẽ Catholicum Dorsch. malè intelligit inuisibile.

Loci Paulini, 1. Tim. 3. v. 15. pro Ecclesiæ infallibilitate defensio.

RESP. III. Dorsch. §. 195. quem huc distulimus, pro Ecclesiæ suæ arundineæ infallibilitate, solidi attulisse nihil, & locum Apostoli 1. Tim. 3. v. 15. non minùs quàm paulò ante, infeliciter tractâsse. Dicit I. *Ecclesiam esse medium Scripturarum cognoscendarum ordinarium atque efficax, quia hic asseritur à* 106. Ad §. 195. Dorsch. ex Cap. 7. huc dilatũ.

S. Scripturæ validissimâ & potentissimâ veritate, instar columnæ, atque edræomatis cuiusdam esse erecta. Sed amabò te mi Dorschee, quâ ratione Ecclesia fallibilis, & in interpretando Dei verbo toties lapsa, poterit esse diuinæ Sapientiæ instrumentum conueniens, ordinarium, & efficax? Efficax certè non est, de cuius effectu in tradendâ fidei doctrinâ, dubitare cogeris, nisi cum Scripturis conferas? Quâ verò fronte dicis hoc ipso loco asseri, quod Ecclesia à Scripturæ veritate instar columnæ sit erecta? nec verbulo quidem toto capite Scripturæ meminit Paulus. Erubesce.

Ecclesia fallibilis non est sapientiæ diuinæ instrumentum conueniens.

Negas illum loqui de autoritate Ecclesiæ circa Scripturam, quoad nos; affers causas, imò nugas. 1. *Quia immediatè loquitur de Ecclesiâ Ephesinâ; in quâ conuersandum fuit Timotheo*, quasi verò qui est in Ecclesiâ particulari, non sit simul in vniuersali, cuius illa est pars! Est in domo, qui est in aliquo eius conclaui, & qui aliquem instruit de conuersatione rectâ, instruit illum pariter de conuersatione in hypocausto, cubiculo, domo, & multò magis in totâ ciuitate & Republica! 2. *Quia de omni multitudine fidelium loquitur*: quod textus Bibliorum non cantat, neque tu cantare debes. 3. *Quia loquitur de Ecclesiâ obnoxiâ erroribus*; Nec syllaba de erroribus in his verbis. 4. *Quia Ecclesia non potest ità immediatè ordinariè connecti cum Deo (cessantibus scilicet inspirationibus immediatis,) vt post Deum sit fons Veritatis.* Nihil probas, quia sine Scripturæ suffragio loqueris, quod Solibiblicis nefas est. Falsum est Ecclesiam non sic cum Deo coniungi posse; falsum est cessare inspirationes immediatas; etsi disparis enim, quæ fiunt Ecclesiæ, sunt rationis cum propheticis, sunt tamen eiusdem certitudinis. Est ergo non post Deum, sed cum Deo, & sub illo, Ecclesia fons veritatis: non instituendæ, sed proponendæ & interpretandæ, vbi obscura est.

Qui docet conuersari in Ecclesiâ particulari, idem docet de Ecclesiâ vniuersali.

Multa Dorsch. de quibus nec verbum Paulus.

Ecclesia cũ Deo, & sub illo, fons veritatis.

Causaris 5. *Quia Ecclesia velut columna, habet basin in Sacris literis.* Ridiculè. Scripturam Ecclesiâ posteriorem ipse fateris

§. 180.

§. 180. quod nos ponderauimus n. 107. Mirus architectus es, qui basin siue fundamentum, ædificio reliquo autumas posse esse posterius. 6. *Quia Ecclesia ita est columna Veritatis, vt candelabrum lucis, scilicet ministerialiter, non principaliter*; quasi nos aliud dicamus! Apostoli & Prophetæ ipsi quoque fuerunt ministri, & instrumenta primæ veritatis se & sua mysteria reuelantis, & tamen infallibiles. Addis hìc: *Sicut particularis Ecclesia potest desinere esse candelabrum lucis*, Apoc. 2. v. 5. *ita potest desinere esse columna & firmamentum Veritatis*. Nihil ad rem, Ecclesiam vniuersalem dicimus esse talem, nō particularem. Candelabra de loco moueri nihil insolitum est; sed columnas & firmamenta, siue fundamenta ædificij, quod summus aliquis & peritissimus Architectus construxit, qualis est Deus, vacillare aut ruere, paradoxum est.

Scriptura non est Basis Ecclesiæ, quia illa posterior.

Candelabra de loco mouentur, non columnæ & fundamenta.

Pergis 8. *Quia si Ecclesia hoc loco infallibilitas tribuitur, & secundùm resolutionem Papalem, Ecclesia est tantùm Papa, sequeretur Papam in seipso posse ambulare*. Iocari nempe etiam lubet & quidem malignè: scis resolutionem (quantum quidem de Fide est, & non solùm in opinione, licet probabilissimâ) fieri apud nos non in solum Pontificem, sed in Pontificem & Concilia; neque vt in rationem formalem, sed solùm directiuè, vt in Ecclesiam proponentem; quæ in seipsâ ambulat, siue seipsam dirigit, instar Magistri & Legislatoris, vt explicauimus Cap. II. §. 3. præsertim num. 54.

Dorscheus malignè iocatur. Resolutio fit apud nos in Papam & Concilia directiuè.

Deniq; obtendit 9. Quia antiquitus etiam Doctores *bene meriti styli columnæ, ἑδραιώματα dicuntur*. Si Deus ipse aliquem instar Ecclesiæ, vt columnam & firmamentum veritatis prædicârit, sicut Ierem. 1. v. 18. *illum Prophetam dedit in ciuitatem munitam, & in murum æreum*, fatebimur illum quoque esse immobilem & infallibilem. Si ab alijs sine peculiari reuelatione, aliqui Doctores, hoc elogio ornentur, iuxta subiectam materiam accipimus pro laude constantiæ: quæ tamen non sit simplici-

Doctores, quo modo dicantur columnæ.

ter immobilis & immutabilis, qualis est infallibilitas Ecclesiæ, vt subſtat diuinæ prouidentiæ & promiſſionibus.

Aſſumentũ ſupernaceneum.

Aſſuit deinde Dorſcheus cit. §. plura alia; & dicit II. *Eccleſiam non eſſe medium SS. literarum cognoſcendarum abſolutè neceſſarium: quòd priuata propoſitio, quæ non neceſſariò ſemper in Eccleſiâ, & ab Eccleſiæ miniſtris fit, ſit ſufficiens.* Damus hoc, ſed addimus, cum ſine propoſitione Eccleſiæ, per aliqua motiua priuatim propoſita peruenitur ad Fidem, ea tamen motiua virtute reſpicere Eccleſiam, vt diximus num. 52. Dicit III. *Eccleſiam eſſe medium ordinarium cognoſcendi S. literas, inprimis reſpectu eius ætatis, quæ proxima fuit Apoſtolis.* Eſt Apoſtolorum ſenſus maximè indagandus, ſed eum omnibus temporibus æqualiter, & indeclinabiliter vera Chriſti Eccleſia obſeruauit & obſeruat. Quæ de Iudæorum praxi attexit, ſunt illorum fabulis affinia, neque alicuius momenti. Praxin Eccleſiæ Chriſtianæ reſpicientis ad tempora Apoſtolorum, agnoſcimus & ſequimur.

Apoſtolorũ ſenſum & praxin ſemper obſeruat Eccleſia.

Dicit IV. *Eccleſiam itidem eſſe medium ordinarium cognoſcendi Verbum Dei,* ſcilicet *ſcriptum* (nos ampliamus ſiue ad ſcriptum, ſiue non ſcriptum) *reſpectu hodiernæ ſuæ conditionis: ità tamen, vt ſine antiquæ Eccleſiæ teſtimonio, hodierna circa Scripturam nihil teſtificari poſſit.* Non repugnamus; Nobiles & ingenui, nobilitatem nec arrogant ſibi, nec prætendunt, ſine teſtimonio auorum, maiorúmque ſuorum. Nobiliſſima & ingenua Sponſa Chriſti, eiuſdem videlicet vera & viſibilis Eccleſia, nihil in Verbi diuini ſeu ſcripti, ſeu non ſcripti interpretatione, vel alijs, ſibi arrogat, nihil prætendit: niſi quod ab auis, atauis, tritauiſque ſuis, Doctoribus inquam, Orthodoxis, ad tempora vſq; Apoſtolorum, & ab ipſiſmet Apoſtolis, primis progenitoribus ſuis accepit. Quod denique ait, *non eſſe neceſſe, vt omnis Eccleſia bene & veriſſimè Sacras literas proponens, etiam proponat infallibiliter omnia alia dogmata,* admittimus de Eccleſiâ particulari, ſaltem quoad verſionem & Canonẽ, non item de vniuerſali. Si autem Eccleſia licet particularis, non ſolùm veram verſionem & legitimum

Eccleſia Chriſti Sponſa nihil docet ſine autoritate Maiorum.

Canonem,

Canonem, verùm etiam genuinum ſenſum Scripturæ, (in quâ clariſſimè commendatur infallibilis Eccleſiæ autoritas) tradat, credimus illam in nullo dogmate falli.

Atque hæc ſufficiant ad §. Dorſch. 159. quem cum deſumpſerit ex Theologiâ ſuâ Zacharianâ, præterire non debuimus, ne videremur aliquid diſſimulâſſe, aut Dorſcheum pro Prophetâ Zachariâ habuiſſe. Expendat verò æquus Lector, quàm iniquè hic homo Scripturas iactet, qui clariſſimum Apoſtoli pro Eccleſiæ infallibilitate locum, ſine argumentis ex Scripturâ productis, tam licenter peruertere non veretur. — Theologia Zachariana Dorſchei, non eſt Zachariæ Prophetæ.

RESP. IV. Ad ea, quæ hic §. 245. contra Kircheri argumentum, *de modo conuerſandi in domo Dei, quem Apoſtolus Timotheo præſcribit*, deſumptum fabulatur. Negat enim *illud pertinere ad Eccleſiam vel viſibilem, vel inuiſibilem. Non ad illã, quia conuerſatio eſt etiam in inuiſibili Eccleſiâ.* Atqui falſum eſt, in inuiſibili, quam vocant, electorum Eccleſiâ, poſſe eſſe Conuerſationem vel Societatem ſuauiſſimam in hâc vitâ inter electos; ſupponunt enim hæc mutuam notitiam, electorum autem nemo alteri ſine ſpeciali reuelatione eſt cognitus; non poſſunt ergo frui dum viuunt, conuerſatione electis propriâ. Neque fauet Dorſcheo Petrus 2. ep. 3. v. 11. impertinenter allegatus, ſcribit enim indifferenter ad Chriſtianos ſiue ex gentibus, ſiue ex Iudæis; quos licet bonâ ſpe de omnibus conceptâ, vocet electos, ſingulos tamen verè electos aut prædeſtinatos dicere nec voluit, nec potuit. Ac proinde neque aliter metu vltimæ diei incuſſo *ad ſanctas conuerſationes & pietates* adhortatur, quàm vt vitam ſanctam & piam, Chriſtianis dignam, tam intus, quàm exteriùs agant. Certè niſi etiam Conuerſatio exterior & viſibilis coràm hominibus Deo probetur, fruſtra interior prætenditur. — 107. Ad §. 245. Dorſch. — Inter electos vt tales non eſt mutua conuerſatio in hâc vitâ. — Petrus impertinenter allegatus.

Lepidus verò eſt, quod ex eo quia *Conuerſationem Miniſtrorũ* ſtatuit *non eſſe neceſſariò perpetuò viſibilem*, concludit *modum Conuerſationis in domo Dei, non pertinere ad Eccleſiam viſibilem.* Per- — Inepta Dorſchei concluſio.

inde

inde ineptè, ac si vniuersim concluderet præcepta Christianæ vitæ, de Conuersatione cum proximo, non pertinere ad Ecclesiam visibilem: quia Christiani non sunt perpetuò visibiles, sed post mortem illorum vita est inuisibilis. Præterquam post falsum est, Ministros ad Hierarchiam Ecclesiasticam Ecclesiæ vniuersalis conseruandam necessarios, posse deficere; vide dicta Cap. 9. Aphorismo 8. & 9. Visibilis Ecclesiæ Hierarchia cum totâ Ecclesiâ militante, ordinatur quidem ad Ierusalem cælestem, siue Ecclesiam triumphantem, vt diximus num. 185. sed nequaquam sequitur, conuersationem vitæ Christianæ siue Pastorum, siue aliorum fidelium non pertinere ad Ecclesiam visibilem. Possunt & solent visibilia ordinari ad inuisibilia.

Ministri Ecclesiæ necessarij, non possunt deficere.

RESP. V. Ad ea, quæ §. 243. adducit ex Bellarmino in ps. 47. v. 5. & 6. *de Regibus terræ congregatis, & conuenientibus in vnum &c.* Siue intelligantur secundùm Latinos, de Conuersione Regum & populorum ad Fidem Christi, siue secundùm Græcos de oppugnatione Ecclesiæ per Principes & nationes infideles: vtroque modo inde necessariò concluditur, semper fuisse aliquam veram & visibilem Christi Ecclesiam. Qui enim conuertebantur ad fidem, audierunt visibiles prædicatores, susceperunt visibilia Sacramenta, subiecerunt se publicè & priuatim Ecclesiæ visibilis Episcopis, Pastoribus, &c. Fuit ergo semper vera & visibilis Christi Ecclesia, conspicua & patens omnibus. Neque Tyranni, Infideles & hæretici, aliam Ecclesiã persecuti sunt quàm visibilem; hanc innumerabilium Martyrum sanguine purpurârunt; hanc exilijs, spoliationibus, proscriptionibus, pressuris persecuti sunt. Quod facere non potuissent, nisi visibilis fuisset Ecclesia; quæ licet humani splendoris, & terrenæ prosperitatis iacturam passa, & in angustias redacta, nunquam tamen Hierarchiæ Ecclesiasticæ visibile, siue (ne rursus in vocibus ludat Dorscheus) perceptibile & cognoscibile regimen, neq; Religionis & doctrinæ integritatẽ ac sinceritatẽ amisit, neq; amissura est, quidquid obnitatur Dorscheus, v. dicta, Cap. 6. Aphor. 9. n. 171. Illud

Ex vtroque sensu ps. 47. quem affert Bellarm. ostenditur Ecclesia visibilis.

Illud verò, quod dicit *secundùm Latinos, non opus esse statuere Catholicam visibilitatem, si aliquo medio & documento sui Ecclesia (scilicet inuisibilis) sese manifestet, & in consortium sui pertrahat:* offutiæ sunt meræ. Quod est illud medium siue documentum Dorschee? An aliquis electus, tanquam Ecclesię inuisibilis membrum? Atqui electi in hac vitâ non cognoscuntur, neque discernuntur à non electis. An vsus legitimus Sacramentorum? Atqui hæc sunt electis,& non electis communia. An recta Verbi diuini prædicatio? Atqui incertum est, an vlli Ministri, quos audiuisti, vel audis,vel audies,sint ex electis? Deinde etsi daremus tibi quemuis electum aut fidelem proprio studio, diligenti consideratione, adiunctâ feruenti oratione, posse infallibiliter assequi verum Scripturarum sensum: non potest tamen secundùm Lutheranorum principia, illum infallibiliter communicare alijs, vt certi sint de infallibili sensu, nisi illum cum Scripturis contulerint: quia nullum hominem in doctrinâ fidei creditis esse infallibilem. An porrò medium seu documentum pertrahendi in Consortium inuisibilis Ecclesiæ, est ipsa Scriptura? Atqui hæc sola,sine alia infallibili autoritate, neque diuinam quam in se habet autoritatem,neq; versionem, neque Canonem, neq; sensum suum, infallibiliter ostendere, aut præstare potest, vt demonstrauimus parte 1.

Nullum est mediũ, quo Ecclesia inuisibilis in sui consortium pertrahat.

Quâ denique ratione, siue electi, siue non electi per vllum medium, aut documentum, *quenquam pertrahere possunt in consortium inuisibilis electorum Ecclesiæ,* cum recipere in numerum electorum, sit opus solius Dei, & ipse solus faciat Vasa honoris iuxta Form. Conc. in declar. art. de prædest.? Tam clarè inuisibilis Ecclesiæ figmentum repugnat Scripturis & rationi, vt mirum sit illos, qui inter Doctos & Sapientes nomen profiteri audent suum illi diutiùs inhęreant. Claudimus luculentissimo testimonio ex Is. 61. v. 8. & 9. *Dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis. Et scient in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum. Omnes, qui viderint eos, cognoscent*

Recipere in numerum electorum, est solius Dei opus.

Clarissimũ ex Isaiâ pro Ecclesiâ visibili testimonium.

 scent

ſcent illos, quia illi ſunt ſemen, cui benedixit Dominus. Quæ intelligi de Paſtoribus & Doctoribus N. T. colligitur ex Luc. 4. v. 18. vbi Chriſtus ipſe de aduentu ſuo initium huius capitis expoſuit. Ludibrio habent Acatholici Scripturas, quod tam clarè pro Eccleſiæ viſibilitate & perpetuâ erroris immunitate loquentes in alienum detorquent ſenſum.

Defenditur Comparatio Apoſtolica Eccleſiæ cum Sponsâ.

208. Ad §. 245. Dorſchei. Multa cumulat abſurda.

Ad Replicam II. aduersùs Comparationẽ Sponſæ, RESP. I. Multa initio ſtatim à Dorſcheo cumulari abſurda. Ait, *hanc & illam viſibilem Eccleſiam, hanc & illam animam adulterã fieri*, quod verum, ſed ad rem non eſt. Negat *Catholicam Eccleſiam vnquam fieri adulteram,* quod verum eſt, & ad rem, de Eccleſiâ Catholicâ vniuersâ; ſed ille Eccleſiam Catholicam malè explicat de Eccleſiâ inuiſibili. Dicit *Eccleſiam fidelium eſſe Eccleſiam inuiſibilem*, quod falſum eſt ſecundùm principia Lutheranorum, imò ipſius Dorſchei, qui paulò ante §. 244. veluti *ſententiam Caluinianorum* ſuggillârat ἀνεκπτωσίαν, *ſiue non poſſe excidere à Fide.* Sũt ergo ſecundùm Lutheranos verè fideles, etiam illi, qui finaliter non perſeuerant in Fide: non ſunt autem membra Eccleſiæ inuiſibilis, quia non ſunt electi, hi enim infallibiliter finaliter perſeuerant in fide.

Eccleſia fidelium iuxta ipſumet, non eſt Eccleſia inuiſibilis.

Negat *eſſe Sponſam Chriſti, quia conſtat hæreticis, hypocritis, peccatoribus; hos enim ad deſponſationem non pertingere.* Sed non intelligit Dorſcheus vim Comparationis. Eccleſia dicitur *Sponſa Chriſti, tanquam Societas veram ipſius Religionem, & doctrinam profitentium*, quæ Societas non violatur per alia crimina, veritati Religionis & doctrinæ non aduerſantia, ſed per ſolam Apoſtaſiam à Fide, ad Religionem & doctrinam falſam; ſicuti Fides coniugalis non violatur, per ſuperbiam, iram, gulam, aliáque vitia, ſed per ſolam commixtionem carnalem cum alienâ perſonâ. Et poteſt Sponſa ſiue coniunx alijs grauiſſimis vitijs eſſe irretita, ideóque viro exoſa, quæ tamen minimè ſit adultera.

Societas Eccleſiæ non violatur, niſi per Apoſtaſiam.

Sic

Sic Ecclesia, etsi hypocritæ & peccatores in illâ sint permixti bonis ac iustis, non ideo est adultera; neque fideles impij excluduntur ab hâc desponsatione, quamdiu retinent fidem. Alia peculiaris desponsatio est iustorum cum Deo in caritate, quam *caritatem desponsationis* appellat Ierem. c. 2. v. 2. hæc violatur quouis mortali peccato, & non raro quidem ab ipsis electis; sed non pertinet ad præsentem quæstionem. Deniq; addit, Ecclesiam visibilem non esse proprie & adæquate Matrem fidelium, quod refutauimus supra num. 185.

Sicut nec fides coniugalis per alia vitia.

Desponsatio Caritatis non pertinet huc.

RESP. II. Intolerabilem esse Dorschei audaciam, quâ sensum Verborum Apostoli ad Ephes. 5. v. 24. exemplum Ecclesiæ subiectæ Christo, proponentis fidelibus coniugatis, deprauat: ***veluti non tam à facto, quàm ab obligatione spiritualis coniugij, argumentaretur ad debitum coniugij corporalis.*** Exempla non solius obligationis, sed facti dedit nobis Christus, vt quemadmodum ipse fecit, ita & nos faciamus. Si verò matrimonium spirituale inter Christum & Ecclesiam proponitur in exemplũ ratione obligationis, quam ipsa Ecclesia habet ad seruandam Fidem, etsi frequenter illam violet: Cur non Dauidem, vel quemuis adulterum liceat proponere in exemplum Castitatis coniugalis, quia obligatus fuit, aut est ad seruandã fidẽ thori?

Dorscheus sensum Apostoli temere deprauat.

Ratione obligationis etiam adulteri possunt proponi in Exemplum.

Æquè petulans est, quod subiungit, *si Apostolus de facto loqueretur: ad præsens laudabile, non ad futurum vituperandum respectum fore habendum.* Veluti si quis Ebriosum in exemplum sobrietatis proponeret, pro eo tempore, quo est sobrius: etsi ante identidem se inebriârit, & paulò post rursus sit iturus in antiquam siluam. Sic scilicet Ecclesia visibilis, obligata ad veritatem Religionis & doctrinæ, etsi identidem à verâ fide aberret, exemplum fidei coniugalis statuitur à Dorscheo. Neque verum est, efficacius esse argumentum ab Ecclesiâ inuisibili electorum, quia illa æquè ac visibilis permixta est hæreticis, hypocritis, peccatoribus, etsi finaliter omnes tandem resipiscant. Ergo falsum est, esse illam decantatissimã Christi Sponsam; ne-

Et ratione facti, ebriosi in exemplũ sobrietatis, quando sunt sobrij.

Ecclesia inuisibilis & ipsa permixta peccatoribus.

que rectè in Exemplum Fidei coniugalis, quæ toties etiam in illâ violatur, affertur. Sed manet inuictum Kircheri argumentum, quod ab Apostolo intelligatur, & ex verbis illius concludatur Ecclesia visibilis, ab omni Religionis & doctrinæ errore perpetuò immunis.

Ad §. 147. Dorsch. Immeritò accusat Kirch. arg. non soluit.

Ad Replicam III. RESP. Si tam impiè Kircherus dicit, *Christum maximè caput esse visibilis Ecclesiæ*, cur non respondet Dorscheus ad ipsius argumentum, quod *Lutherani contra Catholicos pugnent, Ecclesiæ non conuenire aliquod caput præter Christum?* Iniuriâ accusatur impij dicti, cuius argumentum non soluitur. Annè etiam impiè dixit Paulus Cor. 15. v. 24. *Deinde finis, cum tradiderit Regnum Deo Patri &c?* cuius loci inter alias expositiones valde congrua est Oecumenij: *tradet*, ait, *regnum Ecclesiæ in fine mundi Patri suo, quia ipsi nihil amplius eius causâ laborandum erit, nihilque eorum perficiendum restabit, quæ nunc ad hominum salutem referuntur.* In eundem sensum loquitur Greg. Nazianzenus Orat. 36. quæ est 4. de Theol. *desituram hominum prouidentiam ac patrocinium, quo perducuntur ad salutem.* Neque aliud spectauit Kircherus, quàm Christum in visibili Ecclesiâ maximè exercere officium Capitis, circa fideles gubernandos, ac dirigendos in viam salutis; quod officium in æternâ vitâ cessabit. Nihil ergo alienum à Scripturis aut ratione, in duplici hâc comparatione attulit Kircherus, sed Dorscheus è contrà, in peruertendo Scripturarum sensu, falsæ doctrinæ rarum specimen, rursus edidit.

Paulus & PP. Kirchero suffragantur.

Christus officium capitis exercet in Ecclesiâ visibili.

---

§. IV.

Ecclesiæ Visibilis perpetua ab omni errore immunitas, Autoritate Patrum & Ratione demonstratur.

KIRCHERVS.

209. EOdem modo ait Kircherus §. 22. *Encomia Ecclesiæ, & Scripturæ promissiones intellexerunt SS. PP.* ex quibus allegat Cyprianum, Irenæum,

næum, Augustinum, quos & alios plures, vide apud Bellarm. lib. 3. de Eccles. c. 13. & 14. Becanum l. 1. Manual. cap. 3. Conclus. 4. Canisium in opere Catechistico tit. de Præceptis Ecclesiæ quæst. 10. & 16.

Neq; valet Exceptio: Patres illis temporibus prouocâsse ad Ecclesiam, quibus extra controuersiam erat, nihil à principio vsque ad illam ætatem mutatum fuisse in doctrinâ Fidei. 1. Quia prouocant ad Ecclesiam, in Scripturis & Symbolo commendatam, quæ non loquuntur de Ecclesiâ visibili certi alicuius temporis, sed perpetuò futurâ. 2. Neque profectò etiam illis temporibus prouocâssent ad Ecclesiam, si vnquam eandem in Fide errare posse statuissent: quia non minùs dicere poterant vetustiores hæretici, iam deflexisse Ecclesiam à pristinâ puritate, quàm causantur idem illud, hæretici moderni.

PP. non solum loquuntur de Ecclesiâ primitiuâ.

DORSCHEVS.

Respondet breuiter & leuiter §. 249. *Autoritatem Patrum sibi non obstare. Vel enim loquuntur de autoritate Ecclesiæ inuisibilis. Vel de Ecclesiâ sui temporis, quæ ad amussim Scripturarum examinata, nullo iure reprehendi, aut inquinamenti admissi accusari poterat. Vel agunt contra Donatistas, qui tam inuisibilem, quàm visibilem Ecclesiam ex reliquis Orbis partibus in Africam commigrâsse prætendebant. Vel de Ecclesiâ non ratione membrorum, sed ratione mediorum salutis, quæ Apostoli in eam, quasi depositorium Diues contulerunt.*

Effugia leuicula.

RESPONDETVR.

Nimirum tam facilè, Dorscheus Autoritatem Patrum absorbet, quam vulpes pyrum comest. I. Non loqui illos de Ecclesiâ inuisibili, patet ex illis, quæ diximus Aphor. 4. Vbi ostendimus PP. primorum seculorum, imò ipsos etiam Donatistas, duplicem Ecclesiam detestatos, ideóque occultos saltem peccatores in Ecclesiam recepisse: ne cogerentur ad inuisibile aliquod & frustratorium asylum confugere. Accedunt clarissima illorum verba, quæ vide apud citatos. Irefragibilia sũt illa Aug. lib. de vtilitate cred. c. 7. *dubitabimus nos illius Ecclesiæ condere gremio, quæ ab Apostolicâ Sede per successiones Episcoporum &c, culmen autoritatis obtinuit?* & ep. 118. *Si quid tota per Orbem frequentat Ecclesia &c. quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est.* Quæ Ecclesiæ inuisibili nullatenus possunt aptari.

Ad §. 248. Dorsch.

Veteres duplicem Ecclesiam detestati.

Irrefragabile Aug. testimonium.

 II. Ne-

Dorsch. impudens Stellio.

II. Neque locutos solùm de Ecclesiâ sui temporis probant duo Kircheri argumenta, quæ dissimulans absque responso Dorscheus impudens est Stellio, dum solutione in faciem contortâ, tamen repetit, quod solutum est. Addimus PP. primorum seculorum idem docuisse, quod nos Romano-Catholici hodie docemus: testes sunt Lutherani Centuriatores Magdeburgenses, vt iam sæpius diximus, quos refert ad finem cuiusque seculi Gilb. Genebr. in suâ Chronographiâ. Vel igitur Ecclesia Catholica hodie nihil inquinamenti habuit, vel etiam primis seculis inquinata fuit.

PP. argumento infallibilitatis Ecclesiæ, vsi aduersùs Donatistas.

III. Neque releuat, quod agunt contra Donatistas. Nam & illi, qui ante Donatistas exortos floruerunt, idem Ecclesiæ tribuunt, quod posteriores, vt videre est apud citatos. Deinde illi hoc ipso inuicto argumento refutârunt Donatistas, quod vera Christi Ecclesia sit diffusa per omnes gentes, & duratura vsque ad consummationem seculi, vide S. Aug. Concio. 2. in ps. 101. & lib. de Vnitate Eccles. cap. 16. Omittimus, quod Donatistæ nullam Ecclesiam inuisibilem agnouere, vt diximus paulò antè.

Dorsch. media salutis promissa infallibilia, eóq; ipso victum se fatetur.

IV. Denique, cum fatetur encomia Ecclesiæ & promissiones ipsi factas iuxta mentem PP. intelligenda ratione mediorũ salutis, quæ generatim vtique consistunt in rectâ prædicatione Verbi, & administratione Sacramentorum, eo ipso herbam porrigit. Hoc enim est, quod dicimus, in his Ecclesiam visibilem errare non posse. Quod porrò distinguit, *non ratione membrorum, sed solùm ratione eiusmodi mediorum PP. accipiendos*, eatenus concedimus, quod singuli Pastores, DD., aliique fideles errare & deficere possint, non item omnes collectim. Nisi enim hâc ratione, Ecclesia visibilis foret infallibilis in tradendâ doctrinâ mediorum salutis, nihil omnino certitudinis haberet. Nam quod Scripturam sibi Dorscheus reseruat, pro medio discernendi infallibiliter doctrinam, licet ab Ecclesiâ fallibili traditam, totâ parte 1. elisum est, & mox

elidetur

elidetur iterum. Manet igitur illibata PP. autoritas in proposito, pro Kircheri & omnium Catholicorum de Ecclesiæ visibilis infallibilitate, sententiâ.

KIRCHERVS.

Si tota Ecclesia visibilis, *pergit Kircherus eodem n. 22. f. 77.* quæ nos instruit, & ex diuinâ obligatione nobis audienda proponitur, errare posset: nemo certò statuere posset, id verum esse, quod Ecclesia proponit etiam in fundamentalibus, nisi priùs ipse ex Scripturâ idem sibi persuaserit. Hoc autem quàm sit difficile & laboriosum, ex ijs quæ de incertitudine Acatholicorum dicta sunt, constat. 210.

Si Ecclesia errare potest, nemo certus.

I. Desperata est illorum idiotarum conditio, qui ne apicem quidem cognoscere in Scripturâ possunt. Ministerium enim visibile & ordinarium, erroribus est obnoxium; veritatem ipsi non possunt per se inuestigare in Scripturâ; quomodo ergo de vllo Fidei articulo certi esse possunt?

Desperata Idiotarum conditio.

II. Proferunt in contrarium lapsus nonnullorum Pontificum, sed vel confictos, vel merè personales. Petrus Christum negauit; sed necdum Pontifex, neque abnegandum esse Christum vnquam publicè professus. Liberius exilij impatientiâ victus confessioni cuidam Arrianorum subscripsit; sed alijs credendam publicè non proposuit; cætera vir Sanctus, prout illum prædicat Ambros. lib. 3. de Virgin. Dixit Patrum quidam: Miratus est orbis, cum se subitò Arrianum factum esse animaduerteret; Ergo vniuersa Ecclesia visibilis in Fide errauit. Sed etiam Ioannes dicit: totus mundus in Maligno positus; Ergóne nullus erit prædestinatorum cœtus? Negabit Consequentiam Lutheranus. quid ni nos istam? Est certus loquendi modus, vt ille: Nusquam tuta fides: Nulla fides pietásque viris, qui castra sequuntur. &c

Lapsus Pontificum vel ficti, vel personales.

III. Constat alioqui etiam, quo tempore maximè furerent Arriani (similiter & alij hæretici) semper viguisse publicam & ordinariam administrationem in Ecclesiâ Catholicâ; habita Concilia, damnatas hæreses, aliáque huiusmodi citra interruptionem gesta fuisse.

Furentibus licet hæreticis viguit Regimen Ecclesiæ.

At dicunt Ecclesiam Romanam non esse vniuersalem, sed particularem! quasi eam Vrbis Romanæ mænibus concluderemus! Etiam Imperium dicimus Romanum: & tamen illo nomine, quæcunque illi subiacent, comprehendimus.

Ecclesia Romana nō est particularis.

Sed nomine Ecclesiæ solum designamus Pontificem! Nihil noui est. An non vniuersa aliqua ciuitas autoritatiuè residet in Magistratu: illudque facere aut decernere dicitur, quod ex publicâ autoritate decernit, aut

Vt tota ciuitas autoritatiuè residet in Magistra-

tu, sic Eccle-sia in Ponti-fice. aut facit Magistratus? En tibi Christum! Matth. 18. Dic Ecclesiæ &c. Si Ecclesiam non audierit &c. Vbi certi Pastores (quos Consistoriales fortè dicant Lutherani) veniunt intelligendi. Et hoc modo nomen Ecclesiæ accipere oportet, quoties de autoritate, iudicio, & directione in fide agitur. Quis enim ad omnia promiscuè membra, Sartores, Sutores &c, hæc deferenda esse existimet?

DORSCHEVS.

Replicæ fri-gidæ. Replicat §. 249. turmatim, & frigidè. I. *Illa duo ex ordinatione diuinâ coniuncta esse, Auditionem Ecclesiæ, & Scrutinium Scripturarum.* II. *Non esse acquiescendum in Ecclesiâ in resolutione fidei, sed ad autoritatem Dei reuelantis tendendum, vt dictum §. 117. & seqq.* III. *Non opus esse antegrediente persuasione; in ipsâ enim Ecclesiæ legitimâ propositione, animam fidelem Sponsi sui vocem agnoscere, & conuinci. Sic Christum & Apostolos contra Iudæos egisse, à quibus sub ratione infallibilis autoritatis non conspiciebantur; conuicisse videlicet illos in ipsâ peroratione causæ fidei, virtute S. literarum; neque opus fuisse præuiâ informatione. Quantis difficultatibus inuoluatur Methodus ad Ecclesiæ autoritatem deducens, ostensum esse cap. 1. & 5.* IV. *Idiotæ & legere nescientis desperatam hoc in puncto causam non esse, se docuisse cap. 1.* V. *Deniq., quæ argumentorum Lutheranorum loco Kirchlerus ponit, se non attingere; nosse illum, vbi integra eorum acies sit exposita; si illam aggrediatur, se propugnaturam.*

RESPONDETVR.

Ad §. 249. Dorschei. Hæc iam in superioribus dissoluta. Paucis hæc expediri possunt. I. Falsum est ex Ordinatione diuinâ coniuncta esse hæc duo: *auditionem Ecclesiæ, & Scrutinii Scripturarum.* Neque per terminos expressos aut æquiualentes, neque per vllam legitimam consequentiam, id probauit, aut probare potest Dorscheus. Reclamant itidem cæci, & idiotæ. II. Quâ ratione acquiescendum sit Ecclesiæ, cum agitur de resolutione Fidei, explicauimus cap. 2. num. 51. 52. 53. III. Necessariam esse infallibilem propositionem, quæ fidei mysteria faciat euidenter credibilia, ostensum cap. 1. §. 8. & 9. num. 30. vti & illud, quod sine ambagibus Via Regia Catholicos ducat ad Pontificem & Concilia. n. 31. Quod inspergit, de Christo & Apostolis agentibus contra Iudæos dissoluimus n. 148. Miracula, aliâque diuinitatis Christi argumenta, erant

motiua

motiua infallibilia, quæ Christi & Apostolorum prædicationem faciebant euidenter credibilem. 4. Causam idiotarum esse desperatam euicimus toto cap. 1.

Quod denique Kircherum Dorscheus, tam summatim *ad integram argumentorum Lutheranorum aciem, vtpote ipsi notam* ablegat, pro malæ causæ argumento accipimus. Poterat hâc quidem ratione Dorscheus totum Hodegeticum paucis lineis absoluere, remittendo Kircherum ad argumenta Lutheranorum ipsi pariter nota. Quæ cum hactenus ostenderimus esse leuia, falsa, fallacia, nec quidquam præiudicare Veritati, quam sapienter amplexus est Kircherus: efficaciter concludimus ea, ad quæ ipsum remittit, esse eiusdem farinæ; præterquam quod Dorschei erat, saltem ad paucula, quæ protulit Kircherus, respondere. Manent igitur inuicta ex Scripturis, Patribus, & Ratione pro infallibilitate perpetuâ veræ ac visibilis Christi Ecclesiæ, à Kirchero prolata argumenta.

Remittendo ad argumenta Lutheranorum, poterat liber hic paucis absolui.

Dorschei erat Kirchero respondere.

Capitis Anacephalæosis.

Tenet institutum Generale & solenne à veritate deuiandi Dorscheus, cuius rei specimina in hoc capite possunt præcipuè assignari ista. 211.

Verbis & promissis diuinis, barbaræ vocis *irresistibiliter* ambiguitate illudit. Num. 195. & 202.

Fallaciter & malignè allegat *Casparum Sanctium, & Cornelium de Lapide.* Num. 166.

Impertinenter & perstellionatum inculcat *Irenæum.* Num. 197.

Non soluit argumentum Kircheri *de Nugatione promissionum conditionatarum.* Num. 201.

Discordat *à Libro Concordiæ.* Num. 202.

Locum Apostoli *de Ecclesiâ 1. Tim. 3. v. 15.* perperam, & falsò explicat. Num. 204. & 206.

Intolerabili audaciâ deprauat *sensum verborum Apostoli, E-*

phes 5. v. 24. proponentis Ecclesiam, veluti Sponsam Christi, in Exemplum Coniugibus Fidelibus. Num. 208.

Kircherum malè accusat *impiæ interpretationis*, neque argumentum ipsius soluit. ibid.

In tuto igitur sita est Fides & spes Catholicorum, quia certi sunt, eius Ecclesiæ se filios esse, quæ errare non potest. E contrà misera est Ecclesia Acatholicorum: quæ collectiuè licet sumpta, non tantum Fidei & Fiduciæ meretur, quantam sibi tribuunt singuli Sutores ac Sartores, & singulæ vetulæ seorsim, quando studio Orationis adhibito scrutantur Scripturas: cùm si non plus, saltem æquè multum tribuere deberent Doctoribus & Pastoribus suis simul sumptis, & vel maximè Ecclesiæ in Concilijs congregatæ: vbi tot Patres, feruentibus & coniunctis precibus ad Deum, rectè intelligendo & interpretando Verbo Deo incumbunt. Ad quos vel maximè illa Christi promissio spectare debet: *si duo ex vobis*, (quanto magis centum, ducenti, trecenti, quadringenti?) *consentiunt super terram de omni re* (quanto magis de salutari doctrinâ omnibus fidelibus necessariâ?) *quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est.* Matth. 18. v. 19.



CAP. VIII.

CAPVT VIII.

In quo docetur, Romanam Ecclesiam esse illam veram & visibilem Ecclesiam: summámq; proinde in ipsâ certitudinem, & animi tranquillitatem reperiri.

§. I.

Romano-Catholicam, esse veram & visibilem Christi Ecclesiam, ex perpetuitate eiusdem & infallibilitate, in praecedentibus demonstratâ, concluditur.

KIRCHERVS.

ERat hæc III. Propositio, quam initio cap. 6. sibi probandam sumpsit Kircherus §. 14. f. 39. & nunc demum isto cap. demonstrat duplici argumento ex præcedentibus: quorum à perpetuitate vnum, alterum ab infallibilitate Ecclesiæ visibilis, vtrâque hactenus demonstratâ eiusdem proprietate, desumitur. 111.

Ex perpetuitate ita argumentatur: Si Apostoli Ecclesiam visibilē fundârunt, ab illis inde temporibus vsque ad consumationem seculi duraturam, non est hæc alia, quàm Romana Catholica. Sed Apostoli talem Ecclesiam fundârunt; Ergo non est alia, quàm Catholica. Subsumptio demonstrata est cap. 7. Sequela Maioris probatur, si Ecclesia visibilis ab Apostolis in perpetuum fundata, non esset ipsa Romano-Catholica, tum posset alia nominari, quæ ante Lutheri, Caluiníque tempora, vspiā locorum in vniuerso extiterit Christiano Orbe, idémque omnino, quod alteruter, senserit & publicè docuerit: posset dici, quas mundi partes occupauerit, quos Pastores, vel Episcopos habuerit, quos hæreticos confutârit, aut damnârit, quæ in illâ fundatæ fuerint Academiæ, quæ templa & Monasteria extructa?

Si Ecclesia est perpetua, non est alia, quàm Romana.

Non potest alia nominari.

Ad infantes inprimis confugiunt, contra Conf. Aug. Neque enim hi possunt vel prædicare, vel Sacramenta administrare, quæ duo pro notis Ecclesiæ assignant. Eâdem absurditate ad vnum alterúmq; confugiunt, qui Papæ contradixerit. Quasi I. sufficiat ad perpetuitatem veræ Ecclesiæ, diuersis temporibus diuersos & paucos extitisse aliquos, qui sic, vel itá senserint: etsi præcedentibus non dicam annis, sed seculis, nec nomen audiretur, nec in rerum naturâ essent parentes eiusmodi contradictorum. Quasi II. Deterior esset Ecclesiæ Catholicæ conditio,

Infantes nō possunt prædicare, nec Sacramenta administrare.

Contradictores Papæ nimis pauci.

tio, quàm Iudaicæ Synagogæ, quæ nunquam redacta ad istam fuit tenuitatem, ut in duobus aut tribus post aliquot deniq; secula resideret. Bellè scilicet ista conueniunt, cum Vaticinijs Prophetarum de Amplitudine & fœcunditate Ecclesiæ Christianæ.

Si aliqua est vera Ecclesia, errare non potest.

Ex infallibilitate Ecclesiæ hoc argumentum desumitur. Aut nunquam fuit vera Ecclesia plantata ab Apostolis, aut si quæ fuit plantata, tota deficere nunquam potuit, nec poterit. Prius nemo Lutheranorum asserere audebit, neque posterius inficiari, propter argumenta præcedente Capite allata pro secundâ assertione. Cur ergo isti puram illam & veram Ecclesiam, primis duntaxat quadringentis aut quingentis annis stetisse, paulatim defecisse postea clamitant? Aut in quâ Regione, & quibus hominibus tandem seruata fuit, illa pura & genuina Ecclesia? Sed neque antecedens negare, quod binis illis assertionibus cap. 6. & 7. demonstratis nititur; neque negare Consequentiam sine absurdo possunt. Vnde rursus, cum Ecclesiæ ab Apostolis fundatæ, infallibilitatem nec negare, nec aliam talem præter Romano-Catholicam assignare possint: pro eâdem hâc, iuxta mentem Kircheri & rei veritatem concluditur.

Vbi vera illa pauculorum Ecclesia?

DORSCHEVS.

Christianas Ecclesias præter Romanam ante Lutherum fuisse multas Catholicam non fuisse Romanam.

Replicat I. Ad prius argumentum §. 250. *Falsum esse, præter Romanam Ecclesiam ante Lutheri tempora nullam fuisse, quæ Christianam Fidem ab Apostolis prædicatam confessa fuerit. Fuerunt per omnes Orbis partes innumerabiles aliæ. Sumamus vel illas solas, quas Scriptura commendat. Illæ, si id senserunt, quod Scriptura, idem senserunt, quod Lutherus.* II. *Catholica Ecclesia, quæ nunc magis, nunc minùs quoad publicum actum Sacrorum & Ecclesiasticorum exercitium emicuit, (quæ non fuit Romanensis Congregatio externa,) fuit Christiana Ecclesia, & quoad fundamentalia idem cum Lutheranâ statuit.* vide §. 222. III. *Nullum seculum fuit, in quo non in ipsis DD. Ecclesiæ monumentis ea veritas proposita fuit, quam postea Lutherus collectâ SS. præconum manu docuit.* IV. *Credibile est diutiùs & diffusiùs puram mansisse Ecclesiam, quàm ex publicis Doctorum monumentis errores nonnullos subinde immiscentium constare queat.* V. *Vt omittamus perpetuas integrarum Ecclesiarum secessiones à Romanâ Ecclesiâ: necdum vnum Doctorem ex 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. &c. seculo nominârunt, qui per omnia doctrinam hodiernam Romanensis Scholæ defenderit.*

Defecisse Ecclesiam Catholicam.

Replicat II. ad posterius argumentum §. 251. & agglomerat grandibus verbis multa de modo, quo defecerit Ecclesia Catholica, (inuisibilis scilicet,) in paucis electis hinc inde per orbẽ dispersâ. Claudit his verbis:

verbis: *Ita porrexit vbera, etiam inter tenebras & errores, solitudinis habitatrix, & à mundi facie abscondita Catholica Ecclesia, quæ licet indignissimè tractata, lac tamen, diuinúmq; semen præbuerunt.*

RESPONDETVR.

Ad Replicam I. Multiplici fraude & repetitione eorum, quæ à nobis iam dissoluta sunt, laborantem, RESP. I. Fuisse & esse innumerabiles Ecclesias particulares præter Romanam, nunquam negauimus, neque ad rem pertinet. De Ecclesiâ vniuersali nobis res est, quæ vt vnâ quidem Vrbe, aut diœcesi definitur, & ipsa particularis est: sed vt Caput aliarum Ecclesiarum, cuius Episcopo, velut supremo omnium Christianorum Pastori, reliquæ Ecclesiæ à primâ sui institutione subsint, aut subesse debeant, vniuersalis & Catholica rectè dicitur. Hanc aliam præter Romanam vnquam fuisse aut assignari posse, falsum est. Neque tales fuisse Ecclesias à Scriptura commendatas, vel Scriptura, vel quisquam alius hactenus asseruit. Quod verò addit Dorscheus eas, *si id senserunt, quod Scriptura, idem sensisse, quod Lutherus sentit,* falsa est hypothesis. Neq; vnum quidem Lutheri dogma, à Fide Romano-Catholicâ dissentiens, ex Scripturis demonstrari potest, vt de præcipuis ostendimus Cap. V. §. III. à num. 142.

213. Ad §. 250. Dorsch. Innumeræ Ecclesiæ particulares præter Romanam, Vniuersalis, nulla præter ipsam.

Falsa Dorschei hypothesis.

RESP. II. Quæ nugatur de Ecclesiâ Catholicâ, *& inuisibili electorum, eiúsq; siue incrementis, siue decrementis quoad publicum Exercitium &c.* in malè feriatos Aphorismos supra cap. 6. diffusiùs quidem ab illo congesta sunt, sed quia hos contrarijs Aphorismis ibidem elisimus §. 1. eodèm Lectorem remittimus. Ecclesia Catholica visibilis est ipsa Romana, prout significat omnes alias Ecclesias, quæ Pontificem Romanum pro Christi Vicario, agnoscunt; ideóq; à sede Apostolicâ, quæ Romæ ordinariè remanet, Romano-Catholicam appellamus, vt in simili de Imperio Romano diximus suprà.

Ecclesia Catholica visibilis est ipsa Romana, prout significat omnes alias PP. obedientes.

RESP. III. Nullum esse quidem seculum, in quo SS. PP. non aliquos errores Lutheranis & Caluinianis similes annotârint.

PP. nullum dogma Lutheranũ vnquam probârunt.

rint: vllum autem dogma Romano-Catholicæ doctrinæ aduersum, illos vnquam pro verâ doctrinâ habuisse, aut annotâsse, nunquam probauit Dorscheus. *Quod* ait, *nec vnum quidem Doctorem ex seculis ab ipso nominatis*, *hactenus productum esse*, *qui cum Romanâ Ecclesiâ hodiernâ per omnia consentiat*, tam falsum est, vt indignum sit in refellendo immorari. Legat suos Centuriatores toties ipsi à nobis opprobratos: & concludat Io. Gerardi vnicum promocondum suum, longè à Luthero remotiorem, quàm illos Magdeburgenses, (Ecclesiæ veteris & SS. PP. à Doctrinâ Lutheranâ, per singula secula dissensum, ingenuè confitentes:) non nisi malis artibus, PP. & DD. sensum inuertere ac deprauare. Quod denique putat credibile, diutiùs puram (Lutheranam scil.) mansisse Ecclesiam, quàm in DD. Ecclesiæ monumentis extet: tam incredibile est, quàm certum est Ecclesiam Lutheranam esse impuram, neque SS. PP. & Doctores ignorâsse, aut siluisse, quid purum esset.

Testes sint Centuriatores Magdeburgenses.

RESP. IV. Dorscheum apertè succumbere. Nihil enim respondet de Episcopis, Pastoribus, damnatis hæresibus, Academiis, Monasterijs, &c. Nihil 2. de infantibus, in quibus Kircherus ostendit non posse constitui Ecclesiam Christi. Nihil 3. de paucis Papæ Contradictoribus. Quod verò dicit de *perpetuis integrarum* Ecclesiarum *secessionibus à Romanâ*, constat eas habitas pro schismaticis aut hæreticis, non minùs, quàm ipsos etiam pauculos illos Papæ contradictores. Deinde neq; hi, neq; illæ Ecclesiæ satisfaciunt Kircheri argumento, quia non constituunt Ecclesiam aliquam visibilem vniuersalem, â quâ reliquæ per orbem dependeant. Talem sub nomine Christiano, præter Romanam, quæ ante Lutherum & Caluinum extiterit, nominari non posse rectè contendit Kircherus; non autem nisi per ignorantionem Elenchi, obtrudendo Ecclesias particulares, frustra declinat Dorscheus.

Dorscheus succumbens, ad multa respondet nihil.

Per ignorātiam Elenchi pro vniuersali, obtrudit Ecclesias particulares.

Nihil denique respondet. 4. ad argumentum palmarium, quod stante figmento Ecclesiæ redactæ ad pauculos, deterior sit con-


sit conditio Ecclesiæ Christianæ, quàm Iudaicæ Synagogæ: quæ ante Christum visibilem Hierarchiam nunquam amisit, neque in ignotos angulos compulsa fuit: & post verum Messiam suum sacrilegè crucifixum, per totum orbem maledicta, & sine templo, sacrificio, sacerdotio, & Principe dispersa: retinuit tamen, retinetque hodie suos Rabbinos, Synagogas, non solùm suis, sed & Christianis aliisque gentibus nota & conspicua: cum tamen Isaias cap 54. v. 1. 2. 3. clarissimè prædicat Ecclesiam ex gentibus futuram numerosiorem, quàm erat Synagoga. Horrent piæ aures & bonæ mentes talem vim inferri Scripturis & veritati, ab illis, qui tam arroganter vtrumque iactant.

Ecclesia Christi iuxta Dorsch. deterior Synagogâ.

Is. prædicit Ecclesiam fore numerosiorem, quàm Synagogam.

Ad Replicam II. Aduersùs argumentum, ex infallibilitate Ecclesiæ visibilis cap. 7 demonstratâ desumptum, Resp. manere illud inuictum, quæ enim Dorschcus de Ecclesiâ inuisibili hic repetit, soluta sunt cap. 6. vbi eiusmodi inuisibili chymerâ reiectâ, veram & perpetuò visibilem Christi Ecclesiam stabiliuimus. Aduerte autem hic quoque Dorscheum nihil respondere Kirchero sciscitanti: *cur veram Christi Ecclesiam primis duntaxat quadringentis aut quingentis annis stetisse, & postea defecisse clamitent?* Quæ quæstio tum de inuisibili electorū, vt vocant Ecclesiâ, tum de visibili veriq; nominis Christi Ecclesiâ institui potest, & vtrinque Dorscheo grauis apparet: cum nihil ad illam respondeat, vaticiniis præsertim de amplitudine Ecclesiæ Christianæ, ipsi validè aduersantibus, vt mox videbimus.

Cur Ecclesia post 400. annos defecerit, Dorscheus respondet nihil.



§. II.

§. II.

Ecclesiæ Amplitudo, quæ nonnisi Romano-Catholicæ conuenit, ex Scripturis à Kirchero demonstrata: aduersùs Dorschei fallacias explicatur, & defenditur.

KIRCHERVS.

214. POssent hæc duo *ait Kircherus* §. 24. sufficere, sed ex abundanti vnum consideremus & alterum: inprimis Ecclesiæ N. T. amplitudinem multis & illustribus Scripturæ locis contestatam. *Ps. 2. v. 8. Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ &c. Ps. 71. v. 3. dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Malach. 1. v. 11. Ab ortu solis magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda &c. Matth. 24. v. 14. Prædicabitur Euangelium Regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tum veniet consummatio.*

Loca Scripturæ non restringenda ad Ecclesiam primitiuam.

Hæc loca præter alia quàm plurima, certum est loqui de amplitudine Ecclesiæ N. T quæ per oppositionem ad Synagogã appellatur Catholica, & immeritò restringitur ad tempora Ecclesiæ primitiuæ. I. Enim id contradicit Christo, qui vel maximè sub consummationem seculi, ista futura dicit. II. Aduersatur fini prædicationis vniuersalis, quã fieri debere in testimonium omnibus gentibus affirmat Christus: adeóque vsque ad mundi vltimam senectam, ne vlli genti relinquatur *excusatio.* III. *Idem colligitur* ex Parabolâ de Zizanijs, Matth. 13. v. 30. quę Paterfamilias vnà cum tritico vult crescere vsque ad tempus messis; Ergo vsque ad finem mundi crescere debet Ecclesia, quo argumento ólim in eâdem materiâ vsus est S. Aug. IV. Hoc etiam modo omnes promissiones de amplitudine Ecclesiæ N. T. interpretantur PP. Origenes, Cyprianus, Cyrillus, Augustinus maximè contra Donatistas, asserens hæreses quibusdam locis non inueniri, vbi inuenitur Ecclesia Catholica; hanc autem ex aduerso vbique inueniri, etiam vbi inueniuntur hæreses. V. Denique huius restrictionis primi inuentores sunt Donatistæ, hominum genus Deo & Ecclesiæ inuisum olim.

Ea de amplitudine Ecclesiæ interpretantur PP.

Regna & prouincias, non oppida aut pagos attendimus.

Porrò cum de amplitudine loquimur Ecclesiæ, prouincias duntaxat, partésque Orbis præcipuas, non singula oppida, aut pagos, attendimus: ità vt nulla prouincia, nullum sit reliquum regnum in toto terrarum orbe, in quo nõ vel iam vigeat, vel viguerit olim, aut certè ante nouissimum diem vigere debeat vera Religio. *Quibus suppositis sic ex verbis & sensu*

sensu Kircheri argumentatur : Quæ Ecclesia sub nomine Christiano, habet amplitudinem per totum terrarum orbem, modo explicato: est vera & visibilis Ecclesia. Ecclesia Romano. Catholica habet hanc Amplitudinem. Ergo est vera & visibilis Christi Ecclesia. *Maior ex Scripturâ, tum ex Orthodoxo Patrum consensu constat hactenus. Minor inde probatur, quia nulla altera Christiani nominis Ecclesia potest assignari, cui hac Amplitudo conueniat.*

Hanc amplitudinem habet E. R. adeóque est vera.

Caluiniana occupauit quidem Germaniam, Galliam, Angliam, Hollandiam, Hungariam, Poloniam; ex dictis tamen prouincijs nullam tenet sola, viget per aliquas etiam Lutherana, per omnes & singulas Catholica. Lutherana maximam domicilij partem tenuit in Germaniâ, & partibus quibusdam septentrionalibus. Extra Europam in Africam, Asiam, Indiam, Iaponiam, cæterásque noui Orbis partes, se nequaquam effudit. Hispania & Italia adhuc Europæ partes, illam ignorant, vel damnant. At nostra Catholica si non simul & semper, successiuè tamen obtinuit toto ferme terrarum Orbe, Europam pleramque etiamnum tenet, in Asiam quoque Africam, & Americam penetrauit. Quid quantúmque ibi præstiterint viri Sanctissimi, est notior mundo res, quàm vt narratione opus sit.

Ecclesia Catholica successiuè in toto orbe.

DORSCHEVS.

Replicat Dorscheus I. §. 252. *Quatenus amplitudo Ecclesiæ competat, iam supra cap. 6. dictum esse, non semper eam competere Ecclesiæ, DD. Lutheranos demonstratum dedisse. Ecclesiam ad Scripturam & cœlum, non ad orbis terrarū spatia, se metiri didicisse à Christo. Luc. 16 v. 29. Io. 5. v. 39.* 215.

Refert se ad superiora.

Replicat II. ibid. ad singula Scripturarum loca à Kirchero producta. *Regius psaltes ps. 2. non dicit vel simul omnes, vel semper plurimos, vel nunquam non plures sub hæreditate Christi futuros: quàm sint extra eam, vel in gentilismo, vel in paganismo, vel in hæresi. Inuitat omnes ad amplexum Regis noui, tam Reges, quàm populos: an omnes, aut plures semper subituri sint regnum Christi, an oblatam gratiam repudiaturi? hic non definit. Quanta partis hominum respectu, ista inuitatio frustranea sit futura, patet Matth. 24. v. 11. Luc. 18. v. 7. Vide in posteriorem locum Catenam P. Balth. Corderij ex Cyrillo, Monotessaron Guid. Perpiniani, qui dicunt Christum interrogando insinuare, se fidem vix reperturum, cum in nubibus apparebit, tantámq; fore fidelium raritatem, vt totius fidei accelerandá sit ruina. Did. Stella in comm. h. l. ad sua tempora accommodat. Iansenius cap. 124. ad homines cuiuslibet temporis. Barrad. to. 3. l. 4. c. 12. contra Cælium Pannonium disputat existimantem, post AntiChristi necem fidem toto orbe propagandam,*

Respondet ad ps. 2.

Christum in fine seculi non reperturum fidē.

 quem

quemadmodum Kircherus, qui illud reseruat ad extremam mundi senectam. In eandem sententiam PP. colligit Adam. Conzen in Lucam h. l.

Resp. ad ps. 72. *Idem ps. 72. insinuat Dauid v. 8. de modo, quo se populi orbis terrarum omni tempore & loco exhibere debeant. Versu 11. quomodo sese Ecclesia in plenitudine ambitus sui habitura sit, haud obscurè indicatur. An verò perpetuò in illâ amplitudine perstitura sit, non explicatur hoc psalmo. Alibi, & in fatis Apocalypticis satis exprimitur.*

Ad Malachiam. *Eodèm collimat vaticinium Malachiæ cap. 1. v. 11. neq; enim de quæstione, Quamdiu? quicquam definit.*

ad Matth. 24. v. 14. *Verba Christi Matth 24. v. 14. literaliter de consummatione excidij Ierosolymitani intelligenda, probauit Gerard. in Harmon. continuatâ. c. 160. pag. 421. & confirmauit testimonijs Iustini, Irenæi, Tertulliani, Chrysostomi, Ambrosij, Hieronymi, Cyrilli, Eusebij, Theophilacti. Item testimonijs Pontificiorum, Pererij, Salmeronis, Maldonati, Franc. Lucæ, Iansenij, Feri, Lorini, Barradij. Posse autem etiam accommodari ad consummationem totius mundi, idem nonnullis fundamentis docet.*

Ad Matth. 13. v. 30. *Quod ex Matth. 13. v. 30. assumitur: nobis fauet. Ideo enim, quia triticum non ità conspicuum est, adeóque non facile Zizania sine detrimento aut periculo illius euelli possunt: sequitur veram puramq; Ecclesiam, non ità esse visibili amplitudine perpetuò inclarescentem, sicut id prædicant Pontificij.*

Experientia amplitudinẽ Ecclesiæ Lutheranæ demonstrat. Replicat III. §. 253. *Kircherum nimis rigidum esse Geographum, aut potius Ecclesiographum. Aliud omnino de Ecclesiâ Lutheranâ loqui experientiam. 1. Quanta ex superiori & inferiori Germaniâ, Galliâ, Daniâ, Sueuiâ, &c. sit eorum copia, qui inter Afros, Asianos, Indos, Iaponios &c versantes, Papatus improbam mercem, quam Franciscani, Dominicani, & Iesuitæ simplicibus incautis obtulerunt, detegunt: ex relationibus publicis notum est. 2 Præclaram Ecclesiam mox post Lutheri tempora, in Hispaniâ seminatam, pressit persecutio Inquisitorum, quâ illustres personæ perierunt. 3. In Italiâ, quot Deus excitârit ad perspiciendam veritatis lucem, in propatulo est. Confer prælim. §. 13. 14. &c. & Bellarm. Orat. Præfix. to. 4. Controu. §. Pectus loricâ, & to. 1. Orat. itid. præfixam. §. Atque vtinam &c.*

Allegat Franc. Sonium. Denique ait, *fortassis Kircherum ijs oculis Lutheranam introspexisse Ecclesiam, quibus Franc. Sonnius Demonstrat. Christ. Relig. tract. 8. cap. 3. pag. 431. vbi dicit:* diuidere Cosmographos orbem habitabilem à seculis cognitum, in tres plagas, Asiam, Africam, & Europam. Quarum pars longè minima est Europa. Et ea sola nunc paret Euangelio Christi, nec tamen tota &c. Quod autem reliquum mansit Christo, sic turbant sicque diuidunt inter se hæreticorum pestes, vt etiam illi metuenda sit ex-

ſit extrema deſolatio. Concludit igitur Dorſcheus pro Lutheranis ex Bellarm. lib. 4. de Eccleſ. c. 7. §. 3. & 4. vbi eodem modo amplitudinem Eccleſiæ explicat, quo Kircherus, & denique colligit: *hinc ſequi, quod ſi vna ſola prouincia retineret veram fidem, adhuc verè & propriè diceretur Eccleſia Catholica: dummodo clarè oſtenderetur, eam eſſe vnam, & eandem cum illâ, quæ fuit aliquo tempore, vel diuerſis, in toto mundo.*

RESPONDETVR.

Ad Replicam I. RESP. I. Cap. 6. Actum eſſe de Eccleſiæ viſibilitate, quam etſi Amplitudo ſupponit, addit tamen, diffuſionem per plures, imò omnes orbis partes, aut ſimultaneam aut ſucceſſiuam; qualem non habuit Eccleſia V. T. viſibilis quidem, & ipſa, ſed Iſraëlis & Iudæ regno affixa. Viſibilitas autem id ſolùm requirit, vt Eccleſia habeat, ac ſemper retineat etiam inter perſecutiones, Hierarchiam Eccleſiaſticam viſibilem, Paſtores, Doctores, Religionis cultum externum, aut ſi is impediatur, veram illius explicationem & profeſſionem. Quæ verò ſiue de viſibilitate, ſiue de amplitudine Dorſcheus confuſè ac perperam eo cap. 6. attulit, ibid. in Aphoriſmis refutata ſunt, præſertim Aphor 4. vbi oſtendimus, quatenus viſibilitas ſemper competat Eccleſiæ; contra quam Catholicam doctrinam ab Acatholicis demonſtratum eſt nihil, neque demonſtrari poteſt. 216.

Ad §. 252. Dorſchei. Amplitudo Eccleſiæ viſibili addit diffuſionem per orbis partes.

RESP. II. Etiam nos Eccleſiam ad Scripturam & cælum metiri. Sed ipſa Scriptura ad terrarum ſpatia illam metitur, teſtimonijs clariſſimis à Kirchero allatis, aliiſque. Ad cælum vtique, veluti finem ſuum, & Eccleſia, & quiuis fidelis, Fidem & Religionem ſuam referre debet; tam autem non hinc ſequitur, Eccleſiam in mundo non eſſe per terrarum ſpatia viſibiliter diffuſam, quàm hominem non eſſe corporeum & ſenſibilē.

Eccleſia cælum veluti finem ſpectat in terris, ſed per terras diffuſa.

Verba Abrahami, quibus Luc. 16 v. 29. *fratres epulonis remittit ad Moyſen & prophetas audiendos*, impertinenter allegantur: tum quia Scriptura Amplitudini Eccleſię ſuffragatur: tum quia ex caſu hoc ſpeciali, neutiquam ſequitur, vt vellent Acatholici, vniuerſim ad ſolas Scripturas nos remitti. Vitioſa eſt con-

Allegatio Lucæ impertinens.

sequentia à particulari ad vniuersale. Idem responsum sæpius datum sibi habeat stellio, ad illud Io. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas.* Remisit enim Christus Iudæos ad illas, quia per clarissimas prophetias & figuras, testimonium perhibent de ipso.

Dorsch. verba ps. 2. fallaciter eludit.

Ad Replicam II. aduersùs loca Scripturæ à Kirchero producta, Respondemus de singulis. 1. Autoritatem ps. 2. v. 8. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ &c.* fallaciter à Dorscheo eludi. Non dicere Dauidem, quod vel simul omnes, vel semper plures, vel nunquam non plures sub hæreditate Christi sint futuri, quàm extra eam, verè asserit: sed hoc nihil facit ad rem. Illud ex verbis psalmi manifestum est, vi promissionis paternæ, Christum per Ecclesiam & Religionem suam, hæreditaturum gentes, & fidei Christianæ imperium vsq; ad fines terræ propagaturum. Falsum autem est, ipsísque verbis ac sano sensui contrarium, ab illo *gentes regi* (vt dicitur v. 9.) *terminos terræ possideri*, qui in vnâ gente, aut prouinciâ, non habet nisi duos, trésue, aut certè paucissimos subditos: de cætero per integras gentes ad terminos terræ, eiusdem hoste, dominatum publicè & priuatim obtinente ac exercente. Veluti si Equites Melitenses, aut Teutonicos, aut quemuis alium, quis dicat hæreditare, aut regere Sueuiam, Bauariam, Tirolim, Austriam &c, & terminos Imperij possidere, quia in singulis vel aliquibus Prouincijs, habent domos & subditos quosdam proprios, vel censuales.

Non regit fines terræ, qui habet duos, tresue subditos, &c.

Simile.

Luth. Ecclesiam in paucis constituit.

Petulanter igitur verbis Scripturæ illudit Dorscheus, dum promissam Christo gentium hæreditatem, & possessionem terminorum terræ, restringit ad paucos fideles Deo notos, Lutherum secutus: qui in libro de seruo arbitrio, negat *esse Ecclesiam Christi illam, quæ vulgò dicitur Ecclesia, i. e. Papam, Episcopos, Clericos, Monachos, & cæteram Catholicorum multitudinem: sed Ecclesiam esse quosdam paucos pios, quos quasi reliquias Deus conseruat. Et semper hoc fuisse in mundo, quod Ecclesia non esset illa, quæ dicebatur Ecclesia, sed pij quidam pauci.* Idem succinit Apolog. Conf. Aug.

Art.

Art. 7. asserens, *Catholicam Ecclesiam dici, ne intelligamus Ecclesiã esse Politiam externam certarum gentium, sed magis homines sparsos per totum orbem, qui de Euangelio consentiunt.* Quæ nisi falsa sunt, illusoria & frustratoria sunt verba æterni Patris, cui non minùs quàm filio conuenit illud: *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Matth. 24. v. 35. Item C. A.

Subdolè verò Dorscheus, sensum psalmi 2. v. 8. redigit ad inuitationem, quæ postea v. 10. 11. 12. sequitur: *Et nunc Reges intelligite &c. Seruite Domino &c. Apprehendite disciplinam, &c.* Non hinc, sed ex v. 8. & 9. diuinam promissionem & prædicationem allegauit Kircherus, quæ cum per liberas hominum voluntates sit implenda, rectè subiungitur adhortatio ad seruiendum Dei filio: etsi infallibiliter sint facturi homines, quod promisit Deus, vide quæ diximus num. 195. Nec quidquam Matth. c. 24. v. 11. dicitur in contrarium. Esto, *surgant multi pseudoprophetæ, & seducant multos &c*, nihilominus vera Christi Ecclesia manebit inuicta aduersùs portas inferi, & conuenit illi amplitudo, prout à Kirchero explicatur: quæ plus non requirit, quàm vt Ecclesia successiuè saltem, omnes orbis partes occupet, etsi fieri possit, vt aliquando angustius spatium, præsertim sub mundi finem occupet. Sensum ps. 2. peruertit Dorsch. Non fauet illi Matth.

Neque illud, Luc. 18. v. 7. *Veruntamen filius hominis veniens, putas inueniet Fidem in terrâ?* nobis aduersatur, *vel enim,* (quod stellio non ignorat dudum responsum à Bellarm. lib. 3. de Eccles. cap. 16.,) *Dominus non loquitur de Fide simpliciter, sed eximiâ quâdam fide, quæ in paucis reperitur, & in paucissimis reperietur in vltimis diebus, vt exponũt Hieron. in Dial. contra Lucifer. & Aug. l. de vnit. Eccl. c. 13. Vel dicamus cum Theophilacto, loqui Dominum de Fide absolutè, & velle dicere: paucos futuros fideles tempore Anti-Christi, non tamen nullos, nec tam paucos, vt non faciant Ecclesiam.* Neutrum horum impugnant illi, quos ad vanam pompam allegat Dorscheus, vt consideranti patebit: certè non præiudicant alijs, qui in ambiguo sensu, forsan aliter sentiunt. Iniquus Ad Luc. 18. v. 7. resp. Bellarm. Allegati Bellarmino non repugnãt, vel nõ præiudicãt.

verò est in Kircherum, quasi faueat Pannonio, cum extremam mundi senectam non aliter accipiat, quàm communiter accipi solet, pro temporibus vid. AntiChristi.

Ad illud ps. 71. v. 8. *Et dominabitur à mari, vsque ad mare: & à flumine vsq; ad terminos Orbis terrarum*, ait *de modo agi, quo se populi Orbis terrarum, omni tempore & loco, exhibere debeant.* Sed fingit modum, verbi Dei deprauator, vbi absolutissima est prædictio. Nulla sunt vaticinia in Scripturis absoluta, vel ista sunt. Denique v. 11. *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei*, fatetur indicari, quomodo Ecclesia *in plenitudine ambitus sui consistens se sit habitura:* sed quando hanc plenitudinem habuit? Non primis trecentis annis, sub persecutionibus, cum liberum & publicum vsum prædicationis & Sacramentorum, non haberent Christiani, sed ad occultos cœtus & cryptas redigerentur; tum enim absconsam fuisse visibilem Ecclesiam autumat Dorscheus Aphor. 11. à nobis Aphor. 9. refutatus. An proximis centum, vel ducentis annis? Sed Centuriatores Patribus etiam illorum temporum imponunt næuos & errores. Denique secundùm Lutheranos, *semper ita fuit, vt Ecclesia essent pauci quidam pij*, nunquam ergo secundùm Lutheranos, & Dorscheum, nisi à suis deficiat, Ecclesia habuit plenitudinē in hoc ps. descriptam, nec habere potest. Non est ergo Ecclesia Acatholica, Ecclesia vera: sed hanc gloriam cedere cogitur Ecclesiæ Romano Catholicæ, in quâ hæc, aliáque vaticinia clarissimè impleta sunt, ac implentur.

Dorsch. ps 71. fingit modum, vbi est absoluta prædictio.

Eccl. sub persecutionibus non habuit plenitudinem.

Nec vnquā postea secundùm Lutheranos.

Quod verò ait, *neque in hoc ps. neque Malach. 1. v. 11. explicari, an Ecclesia perpetuò in illâ amplitudine substitura sit?* nihil deploratam Dorschei causam iuuat, quia Regni Christi, Ecclesiæque visibilis perpetuitas, clarissimè in alijs Scripturæ locis adstruitur, vt Cap. 2. demonstratum est. Nunquam ergo deficiet eius Amplitudo, vel simultanea, vel successiua, eo quo explicauimus modo: cui non repugnat in quibusdam partibus illam minui, vel etiam extingui, vt diximus Aphor. 10.

Ecclesię perpetuitas alibi à Script. asseritur.

Neque

Neque magìs illud Ecclesiæ Lutheranæ latibulis & angulis patrocinatur, quod ex Gerardi sui infelici cornucopiæ, & quidem non fidelissimè (certè Hieronymus & Maldonatus in hũc locum non habent, quod ipsis imponitur) multos exscribit, qui sentiunt verba Matth. 24. v. 14. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet Consummatio*, non esse accipienda de consummatione seculi, sed excidij Hierosolymitani. Nam inprimis non desunt, qui contrarium sentiunt, & ipse Gerardus fatente Dorscheo, idem *nonnullis fundamentis* docet. Nobis deinde textus ipse firmius fundamentum, quàm opposita sententia afferat, præbere videtur, assignando causam prædicationis huius: *vt sit in testimonium omnibus gentibus.* Etsi igitur per synecdochen ante excidium Hierosolymorum dici queat, prædicatum Euãgelium in vniuerso orbe: propriè tamen ad omnes gentes tum necdum peruenit, quos ante finem mundi testimonij huius quoque compotes fieri, diuinæ bonitati vel maximè est consentaneum. Porrò, cum non obstet eiusdem loci esse plures sensus literales, vt suprà diximus, vtrumque hunc sensum, & de excidio Ierosolymorum, & consummatione seculi, proprietati verborum conuenire, & à spiritu sancto intentum esse iudicamus. Denique etsi prior solùm intentus foret, nihil inde ad Ecclesiam Lutheranam lucri redit, quia non habet doctrinam Euangelij, quam Christus in vniuerso mundo prædicandam prædixit.

Verba Matth. 24. v. 14. alij de excidio Hierosol. intelligunt.

Alij de fine seculi, fauente magis textu & Ratione.

Vterque sensus literali.

Nullatenus denique Ecclesiæ inuisibili fauet parabola de Zizanijs, cuius sensum contra aperta verba peruertit Dorscheus. *Cum autem creuisset herba*, ait Matth. c. 13. v. 26. *& fructum fecisset, tunc NB. apparuerunt & Zizania.* Falsum ergo est iuxta hanc parabolam, triticum non ità esse conspicuum, vt sub Zizanijs carduísque crescens, dignosci non possit. Dignouerunt certè illud serui Patrisfamilias, alioqui, nisi in medio tritici apparuissent, visáque ab ipsis fuissent, non poterant id Patrifamilias

Serui dignoscebant triticum à Zizanijs.

xerint vel detegant, quam simplicibus illis & incautis obtrudunt Caluiniani. Denique si aliquid gentium in illis partibus ad Christum adduxere, id comparatione eius Messis, quam faciunt Catholici, est modicum. Neque tam conuertunt illos simplices, quàm miserè decipiunt, Arrianorum exemplo, qui tempore Valentis Imp. Arriani, eiusdem auspicijs gentem Gothorum in eandem hæresin præcipitârunt, teste Freculpho in Chronico, to. 2. l. 4. c. 20. Vide Bellarm. de Script. Eccles.

Acatholici non conuertunt gentes, sed decipiunt.

RESP. III. De Hispaniâ esse meras offucias. Inquisitionis censura, iure optimo maximo exercetur in veteris Religionis desertores ac Nouatores. Qui si veri essent Apostoli, & *de semine virorum illorum, per quos salus fit in Ecclesiâ Dei*, nullis Inquisitionum sepimentis, aut persecutionum obstaculis arceri possent, quo minus quouis penetrarent: *& sanguis quoq; ipsorum fieret semen Lutheranorum atq; Caluinianorum.*

Offuciæ de Hispaniâ.

Neque melioris notæ sunt, quæ affert de Italiâ. Iubet conferri ex præliminar. §. 13. & 14. In priori inducit controuersiam de potestate Pontificis in temporalibus, *quam cum indirectam solùm ipsi competere docuisset Bellarm. grauem* ait *offensam incurrisse*. Subiungit Marsilium Venetum Bellarmino obijcere, *sublata esse ex Concilijs, Canonibus &c, quæ temporalibus Principibus faueant.* Postea §. 14. exscribit ex Nicolai Crassi Philosophi & Iurisconsulti Veneti, AntiParænesi ad Cæs. Baronium ea, *quibus sugillat Romanam Curiam de auaritiâ & ambitione.* Egregij scil. in causâ patriæ, & Reip. suæ testes! alter præsertim absque Theologi titulo, merè profanus. Et quid si isti excitati fuissent *potiùs ad Caluini, quàm Lutherani faces? idque ab atro spiritu non albo?* sed Serenissimæ Reip. in obedientiâ Sedis Apostolicæ perennatura constantia, facilè Dorscheana commenta refutat.

Eiusdem notæ, quæ affert ex Italiâ, & præliim.

Atqui Bellarm. Orat. præfixa to. 1. §. Atque vtinam &c, ait, *Pestem Lutheranam ad Orientem & Occidentem, & Aquilonem & Meridiem regna & prouincias populatam, ad extremum Alpes transcendisse, & in Italiam penetrâsse.* Nos verò Dorschee de

Bellarm. Sectam Lutheranam pesti comparat.

veræ Ecclesiæ amplitudine, non de pestis diffusione disputamus, infelix Ecclesia, quæ pestis meretur nomen. Sed neque, si Ecclesia Lutherana visibilis enumerata à Bellarmino regna occupâsset integra, quidquam obtineret Dorscheus, quia Ecclesia visibilis non est secundùm Lutheranos vera Ecclesia, vt ostendimus Aphor. 3. Inuisibilis autem in pauculis quibusdam pijs, qui determinatè demonstrari nequeunt, consistit. Neque hi tot aut tales sunt, vt propter illos Christus dici queat *hæreditâsse gentes, & possidêre terminos terræ*. Sed neque visibilis Lutheranorum Synagoga, extra Germaniam & vicinū Septentrionem radices fixit; mox enim Lutherum in alijs regnis & prouincijs Caluinus solio deiecit. In Italiâ vtriq; euenit, quod pesti debebat, vt strenuis remedijs ac pharmacis profligaretur. Neque plus præsidij habet Dorscheus, ex alterâ Bellarm. Orat. quam itidem allegat.

Synagoga Lutheranorum extra Germaniam radices non fixit.

RESP. IV. Non potuisse Kircherum ijs oculis introspicere Ecclesiam Lutheranam, quibus Sonnius aspexit Ecclesiam Pontificiam, i. e. Romano-Catholicam, etsi illam in orbe duntaxat contra Cosmographos habitabili, omissâ Americâ considerauit. In Lutheranâ enim verâ Ecclesiâ, (de falsâ vtique non est contendendum) cum sit inuisibilis, nihil aspicere, vel introspicere quisquam potest. Deinde neque in qualicunque visibili Ecclesiâ Lutheranâ, tantam spectare potuit Kircherus diffusionem & amplitudinem, etiam in partium Orbis minimâ Europâ, quantam ibidem habet Ecclesia Romano-Catholica.

Nihil in eâ, cum sit inuisibilis, inspici potest. Sonnius frustra allegatus.

Concludimus igitur, quia ita Dorscheo placet, cum Bellarmino, eodem sensu, quem secutus est Kircherus, explicante Ecclesiæ Catholicæ amplitudinem: *si vna sola prouincia retineret veram fidem, adhuc verè & propriè diceretur Ecclesia Catholica: dummodo clarè ostenderetur, eam esse vnam & eandem cum illâ, quæ fuit alio tempore, vel diuersis in toto mundo.* Sed neque clarè, siue euidenter, neque vllâ ratione verisimili ostendi potest Ecclesiam Lutheranam, esse vnam & eandem cum illâ, quæ fuit ali-

Concluditur ex Bellarm. Lutheranam, non esse Ecclesiā Catholicā.

quo

quo tempore, vel diuersis in toto mundo. Non est ergo Ecclesia Lutherana, neq; verè & propriè dicitur Ecclesia Catholica.

Quod ipsum confirmat Replicarum Dorscheanarum futilitas, quæ vt aranearum telæ leui flatu rumpuntur. Cum præsertim *ad quinq; à Kirchero allatas causas, cur amplitudo Ecclesiæ in Scripturis expressa ad tempora Ecclesiæ primitiuæ restringi non debeat*, (si vnam ex parabolâ Zizaniorum petitam excipias,) respondeat quod victi solent, id est, NIHIL. Dorsch. ad 5. argumenta Kirch. resp. Nihil.

§. III.

Ex Conuersione Gentium ad Christum, per Pontifices & Pontificios olim factâ, hodieq; fieri solitâ: Romano-Catholicam, veram esse Christi Ecclesiam, probatur.

KIRCHERVS.

SEd dimisso *ait* §. 25 hoc argumento, ad aliud procedo. Quæro quid sentiant Lutherani de statu & conuersione illorum, qui vel olim ex Gentilismo ad Christianismum conuersi, vel hodie post Lutherum & Caluinum, magno numero per ministerium Ecclesiæ Catholicæ conuertuntur? Aut concedunt beneficium aliquod conuersis obtigisse; aut negant? Istud non audent. Si igitur concedant, quæro an ad veram Ecclesiam, an ad falsam vocatos existiment? 218. Maiores, per Pontificios non conuersi ad Ecclesiā falsam.

Hoc posterius repugnat bonitati, veritati & iustitiæ Dei, qui falsam Ecclesiam iubet cauere. Si vera fuit Ecclesia, quæro, qualis? Num Lutherana, aut Caluiniana? Sed quibus temporibus maiores nostri ad Christianismum conuersi fuere, ignota erant Lutheri, Caluinique nomina, sola vigebat Romana Ecclesia. Quod ipsum etiam fatetur D. Melchior Nicolai, meus olim Præceptor & Fautor honorandus, dum in Tractatu quodam aduersùs Forerum scribit: *illis temporibus ad Romanam Ecclesiam Deum gentiles vocasse.* Lutherus & Caluinus olim ignoti.

Atque eadem est ratio illorum etiam gentilium, qui nostrorum hominum memoriâ, per Indiam, Iaponiam, Brasiliam infinito numero, operâ Ecclesiæ Catholicæ conuersi sunt. An illi omnes cum maioribus nostris ad Regnum AntiChristi, ad meretricem Babylonicam, ad doctrinam dæmoniorum, ad hominem peccati, & perditionis filium, (quibus titulis Ecclesiam Catholicam & Sedem Apostolicam honestant Par ratio gentilium conuersorū in nouo orbe.

Lutherani,) diuinitus, & magni quidem beneficij loco vocati: & ab vno Diabolo liberati, alteri verò multo crudeliori traditi sunt?

Vt taceam nunc veræ Ecclesiæ fæcunditatem, in Vaticinijs Prophetarum ità commendari, vt non ex Conuersorum modò conditione, sed ex parte etiam Ecclesiæ Conuertentis, Veritas eiusdem iure, & legitimè inferatur.

DORSCHEVS.

Mixtura pretiosi & vilis apud Pontificios.

Replicat §. 254. I. *Se conuersos ad Christianismum per Pontificios non damnare. Esse in Pontificiorum Conuersione mixturam pretiosi ac vilis. Ierem. 14. v. 19. Pretiosum sunt capita Fidei, vile dogmata Papalia. Sicut vnâ manu quis serere potest semina frugum & Zizaniorum: ità vno eodémq; ministerio Iesuitarum, doctrina Christiana, & errores AntiChristiani proseminantur. Et vt semina frugum Dei benedictione fructum faciunt, ità quoq; verbum cœleste Spiritus S. operatur ad salutem, licet quisquiliæ errorum sint intermixta. Vide Gerard. to. 2. Harmon. cont. 152. p. 125.*

Similes Pharisæis facientibus proselytos.

Replicat II. *Fieri etiam, quod Matth. 23. v. 15. Christus dixit: Phariseos quoq; capita Israelitica doctrinæ proponendo proselytos fecisse, & hactenus conuersis beneficium impendisse diuinum. Quando verò Pharisaicas opiniones sub* schemate diuinæ reuelationis, etiam proselytis instillârunt, *(de quibus Serarius in c. 3. & 4. prauas inter illas fuisse hæreses, docens cap. 9.) beneficium in Maleficium, contra Dei voluntatem conuerterunt.*

Querela Pauli de Palatio.

Addit ex *Paulo de Palatio ad h. l. Matth. 23. querelam*, quod nouiter ad Fidem conuersi malè tractentur, & adeò exasperentur, vt se potiùs vellent iugo infidelium premi, quàm Christianorum societati participare &c. *Deniq; concludit Kircherum nihil præstitisse, in eo, quod debebat Rom. Ecclesiam, tanquam omnis salutaris certitudinis arcem ostendere &c.*

RESPONDETVR.

219. Ad §. 254. Dorsch. Nihil respondet ad dilemma Kircheri.

Ad Replicam I. RESP. I. Dorscheum tanto maiora in Hodegetico suo pati deliquia, quò propiùs ad finem accedit. Certè ad duplex Kircheri dilemma in formâ respondet Nihil; cùm tamen tot syllogismos in prioribus formârit, & officium sit Replicantis, etiam in bonâ causâ, neruum consequentiarum, quas aduersarius in formâ proponit, iuxta leges Logicæ incidere.

RESP. II. Nullam esse mixturam pretiosi & vilis in prædicatione eorum, qui à Deo & verâ Ecclesiâ ad conuersionem

Fidelium

Fidelium vocantur & mittuntur. 1 Quia non poſſe verbum erroneum coniungi cum diuino, contra Dorſch. probauimus cap. 6. Aphor. 7. 2. Exemplum de vnâ eâdémque manu ſeminante fruges & Zizania, eſt iniurioſum Euangelico Patrifamilias, de quo ſerui non dubitabant, quin ſiue per ſe, ſiue per ſuos ſeminârit bonum ſemen in agro ſuo, ideóque inquirebãt, *Vnde ergo habet Zizania?* Neque Paterfamilias accuſauit homines dormientes (per quos paſſim Epiſcopos & Paſtores intelligunt interpretes,) quaſi ipſi ſeminârint malum ſemen in agro ſuo, ſed *hominem inimicum*, quem Chriſtus ipſe interpretatur *Diabolum* v. 39. Nequam eſt ſibi & alijs, qui datâ operâ per ſe, vel alios eâdem manu, ſiue ſimul, ſeminat bonum ſemen & Zizania.

Mixtura pretioſi & vilis, non eſt à Deo.

Exemplum Dorſch. iniurioſum Euang. Patrifamilias.

3. Nemo Regum vel Principum tam fallax eſt erga ſubditos, vt legatos vel Commiſſarios non mittat alios, quàm qui falſa veris miſceant. Nemo Magiſter bonus, qui doctrinam veram erroribus, datâ præſertim operâ, permiſcet. Quis abſque ſacrilegio talia credat de immenſâ bonitate, fidelitate, iuſtitiâ diuinâ: illam per alios ſpargere venena mixta pharmacis, adeóque per ſe facere, quod facit per alios?

Repugnat bonitati & fidelitati diuinæ.

4. Nam & ſecundùm Lutheranorum principia, in prædicatione ipſorum vel eſt mixtura prętioſi & vilis, vel periculum talis mixturæ: quia omnes homines, omnia Concilia, totáque viſibilis Eccleſia in tradendâ fidei doctrinâ falli poſſunt, imò reipsâ ſæpe falluntur: cum *nemo habeat infallibilem aſsiſtentiam Regiminis diuini*, iuxta principium Dorſchei, quod ipſe ſibi obiecit §. 89. nec vnquam diſſoluit.

Etiam apud Lutheranos mixtura pretioſi & vilis.

5. Conſequens igitur eſt, Deum nullos vnquam Prædicatores poſt Apoſtolos, miſiſſe in mundum, quibus tutò ſalutis noſtræ Magiſterium credere poſſimus. Nam quod ex Iſa. 15. verſu 19. accerſit Dorſcheus de *ſeparando pretioſo à vili*, ad prophetam *vt prophetico Spiritu præditum*, dictum eſſe veriſimillimũ eſt, etſi interpretes variant. Certe medium infallibiliter verum

Nulli igitur prædicatori poſt Apoſtolos fidendũ.

à falſo, tanquam pretioſum à vili ſiue ſeparandi, ſiue diſcernendi, neceſſe foret habere fideles: ſi omnes Prædicatores & Paſtores, omnia Concilia & tota Eccleſia fidem infallibilem non mererentur. Hoc autem medium neque ſuppeditat Scriptura, vt 1. parte demonſtratum eſt, neque aliud ſupereſt. Ergo nullum eſt, contra indolem illius, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. Tim. 2. v. 4.

Scriptura non eſt medium ſufficiens ſeparādi pretioſum à vili.

Ad Replicam II. RESP. I. Non eſſe comparandos *Phariſæos circumeuntes aridam, & facientes vnum proſelytum* Matth. 23. v, 15. cum veræ Eccleſiæ Chriſti Orthodoxis propagatoribus, qui Apoſtolis ſuccedentes, idem ſibi mandatum ſciunt, quod illis, *Euntes ergo docete omnes gentes &c.* Nihil tale datum fuit Phariſæis & Leuitis, ac Sacerdotibus veteris Synagogæ. Quod autem ſignificat, Catholicos inſtar Phariſæorum addendo diuinis reuelationibus prauas opiniones, diuinum beneficium conuertiſſe in maleficium, contra Dei voluntatem, ex dictis refutatum manet. Sed neque Serarium in trihæreſio ſincerè allegat; is enim cap. 9. neque cenſet omnes Phariſæos, omnibus erroribus fuiſſe implicitos; neque credit ſaltem vniuerſim fuiſſe hæreticos: cum Chriſtus Matth. 23. v. 2. *Omnia, quæcunq; Scribæ & Phariſæi ſuper Cathedram Moyſi ſedentes, dixerint,* præcipiat *fieri, & ſeruari.* Quod vel ſolùm Serario, aliiſq; ſi contrà loquerentur, os oppilaret.

Phariſæi nō miſſi in vniuerſum mūdum.

Serarius nō ſincerè allegatus, neque præiudicat,

Quæ de iniquâ & crudeli Neophytorum tractatione Dorſcheus attexit, non probamus, ſi vera ſint. Nihil verò id Catholicis Euangelij prædicatoribus officit, qui inuitis & lacrymantibus oculis iſta tuentur ac queruntur, neq; Miniſtrorum & Officialium vitia emendare ſemper poſſunt. Sed ſi ſuam, Dorſcheus, vel Caluinianam, (quod ipſi perinde eſſe debet, cum vtraque magnam partem, ſit eiuſdem telæ) manticam inſpiciat, parem vel deteriorem ſub Acatholicis in illis partibus Neophytorum deprehendet conditionem. Præterquam, quod vniuerſam, quà Chriſtiana eſt Europam, Pontificij Myſtæ ad Chriſtia-

Criminatio de Neophytis noui orbis, malè tractatis refellitur.

Christianam fidem continuò seculorum decursu traduxerunt. Acatholicos autem præcones, vel ijs similes, ad conuersionem gentium Deus adhibuit nunquam. Cui rei, si operam ipsorū, (vt Valens Imp. Arrianorum,) infidelibus quandóque Principes Acatholici obtrusêre, aut obtrudant: est tamen id præter communem Christianæ propagationis ordinem, ipsorúmque Ministrorum Acatholicorum morem: quod vltrò (vti præstiterunt olim, hodiéque præstant, innumeri Catholici omnis ordinis Sacerdotes) conuertendis infidelibus se mancipent, & absque classium vel militum comitatu, illorum regna & prouincias accedant. Ministri E. uang. vltro ad gentes conuertendas non eūt.

Denique, cur nihil respondes Dorschee ad alterum Kircheri dilemma? *Ad verámne Ecclesiam vocati fuerint Maiores nostri à Deo, per Episcopos, Sacerdotes, Doctores Catholicos, qui illos ad fidem conuerterunt, vel ad falsam? Hoc posterius dicere non audes. Si ad veram? Quænam illa? Caluiniana & Lutherana nec nomen quidem extabat.* Ergo ad *Catholicam, quod fateri Melchiorem Nicolai asserit Kircherus.* Ad hæc tu Nihil. Sed non est argumentum soluere, respondere Nihil. Quin si vel maximè tum extitisset vestri nominis Ecclesia, hoc tamen inuicto vrgemini dilemmate. *Aut Maiores nostri per prædicatores Pontificios, vocati fuissent ad visibilem Ecclesiam vestram, vel ad inuisibilem.* Non priùs, *quia visibilis Ecclesia non est vera Christi Ecclesia secundùm vos, adeóque falsa,* vt ostendimus Aphor. 3. Dorscheus non soluit dilemma Kirch. de vocatis ad veram, vel falsā Ecclesiam.

Non posterius, *quia nemo vocari potest ad illam Ecclesiam, quæ nec doctrinam distinctam proponit à doctrinâ Ecclesiæ visibilis, neque proprios habet prædicatores, quos mittat: & qui discerni possint ab illis, qui etsi sint in Ecclesiâ visibili, non tamen pertinent ad inuisibilem iustorum & electorum Ecclesiam.* Ad Ecclesiā inuisibilem vocari potest nemo.

Ex quibus omnibus denique demonstratum manet, Ecclesiam Romanam, siue Romano-Catholicam esse veram & visibilem Christi Ecclesiam, in doctrinâ fidei infallibilem, omnísque erroris immunem, vsq; ad finem seculi duraturam. In hâc, 220. Ecclesia Ro. vera & visibilis ac Cathol Christi Ecclesia.

& per

& per hanc, Christũ veluti in *hæreditate suâ, regere gentes, possidere terminos terræ; dominari à mari vsque ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum; adorare eum omnes reges terræ, omnes gentes seruire illi; prædicari Euangelium regni in vniuerso orbe*: idque partim simultaneè, partim successiuè, vti rectè explicant Bellarm. & Kircherus. Quæ omnia ridicula sunt, si intelligãtur de illis paucis, (in quibus Ecclesiam inuisibilem constituunt prætensi Euangelici, vt supra ostensum) veluti *si pauca oliuæ, quæ remanserunt, excutiantur ex oleâ: & racemi, cum fuerit finita vindemia*, Isa. 24 v. 13.

Si Ecclesia inuisibilis, Diabolo, nõ Christo conuenit hæreditas orbis.

Quâ quidem ratione, Princeps tenebrarum retineret dominium & imperium totius orbis, illique, non Christo conuenirent, quæ ll. cc. non alteri, quàm æterni Patris filio, ex promissione æterni Patris vaticinatur Regius psaltes, si de inuisibili Ecclesiâ intelligi debeant. Visibilis ergo est vera Christi Ecclesia, eàque non alia, quàm Romana est: per quam dicto modo ipse dominatur toto orbe fidelibus omnibus, tum bonis, tum malis, iustis & impijs. Etsi enim isti pertinent ad Regnum Diaboli, quo pacto mali ciues in bonâ Republicâ pertinent ad Regnum, siue potestatem Carnificis & Lictorum, siue Custodum, qui sunt præfecti Carceribus: sicuti tamen isti quãtumuis scelerati, non cessant esse sub potestate legitimi Magistratus aut Principis: itâ neque mali Christiani desinunt esse subditi Ecclesiæ & Christi, etsi in leges Dei & Ecclesiæ delinquant. Regnum autem Diaboli in malos Christianos, cuius causa Ecclesiam inuisibilem fabricârunt Acatholici, non est nisi regnum secundùm quid: quod habet potiùs in expectatione, quàm in re: si videl. se mali non emendârint, & misericordiam diuinam sibi frustra offerri patiantur.

Mali pertinent ad Regnum Diaboli, vt mali ciues ad Remp.

Regnũ Diaboli in malos Christianos, non nisi secundùm quid tale.

Ex quo fundamento ruit palmarium Euangelicorum argumentum, cum dicunt, *oportere distinguere Regnum Christi à Regno Diaboli; sed omnes impij ad Regnum Diaboli pertinent; soli igitur pij pertinent ad Regnum Christi, quod est Ecclesia.* Negamus enim,

postquam

postquam impletum est illud Christi Io. 12. v. 31. *Princeps huius mundi eijcietur foras*, aliud regnum obtinere Diabolum, in impios fideles, quàm imitationis & præsentis futuræque carnificinæ: quale carnifices obtinent in malos ciues; quæ nihil imminuunt imperium cuiusuis legitimi Principis, adeóque nec Christi, quod in Ecclesiâ, & per illam exercet, *cui data est omnis potestas in cælo. & in terrâ.* Matth. 28. v. 18.

Neq; aliud, quàm imitationis & carnificinæ.

Capitis Anacephalæosis.

KIRCHERVS.

Sic igitur adstructæ *ait* §. 26. fuerunt assertiones nostræ: fixæque perstabunt & immotæ, donec aduersarij omnibus plenissimè satisfaciant argumentis. Cogita, quàm felices sint omnes illi? quantum solatij percipiant & securitatis, qui in fidei ac Religionis negotio sese regendos Ecclesiæ permiserunt Catholicæ: omnibúsque eiusdem publicis & generalibus Decretis simplicissimâ fide, & citra omnem animi hæsitationem innituntur? Nam cum fabulosis quibusdam narratiunculis, anilibus superstitionibus nonnullorum, & priuatis somnijs nullum hic nobis negotium.

Felicitas & Solatiū Catholicorum.

Quatuor in vniuersum in omni Fide ac Religione veniunt spectanda. I. Principium. II. Articuli ex illo principio deducendi. III. Ritus, qui tanquam visibile Verbum, inuisibili (reuelationis & gratiæ) adiunguntur. IV. Administratio ordinaria, & legitima gubernatio. Quæ si certa sint & liquida, iam nihil incertum in Religione aliquâ, nihil dubium esse potest.

Quatuor in Religione spectanda, præstat abūdè Ecclesia Catholica.

Atqui isthæc omnia abundè tibi præstat Ecclesia Catholica. Scripturam non potes voluere? habes informationem Ecclesiæ, quæ de Codice Bibliorum, Versione, Canone sensu facit certam. Eadem est ratio articulorum Fidei, eadem rituum. Quid opus est disputare aut ambigere de purgatorio, Inuocatione SS. Eucharistiæ Sacramento, & similibus? cum omnia hæc solenni & publicâ declaratione determinet Ecclesia Catholica, quæ cœpit in Apostolis, per Apostolos creuit, & continuatâ ab ipsis successione hucúsque durauit, durabítque vsque ad consummationem seculi; quæ nec fallere vult, nec ipsa falli aut deficere in fidei & salutis negotio, tota & vniuersa potest.

Quâ stabilitâ non opus disputare de purgatorio &c.

Confer cum hâc certitudine incertitudinem illam Acatholicorū, de

Incertitudo Acatholicorum ponderanda.

quâ in primâ parte satis *superque dictum*. Senties illabentem veritatem. Quod Administrationem attinet, in reliquis duobus capitibus de eâdem erit cognoscendi locus.

Verissimè ista Kircherus, quæ cum silentio transmittat Dorsch. nos pro Confessis ab ipso accipimus. Neque est, quod ad priora se referat: Nihil enim in prioribus dixit, quod non abundè dissolutum sit. Sed deuiationes à veritate, quæ in hoc capite apparent, obiter ad calculum reuocemus.

Fraudulenter *Ecclesias particulares* obiectat, cum de *Ecclesiâ vniuersali* res est. Num. 213.

Falsò asserit, *nullum Doctorem ex seculis ab ipso nominatis, hactenus productum esse, qui cùm Ecclesiâ Romanâ penitus consentiat*. ibid.

Verba Abrahami ex Luc. 16. v. 29. & Christi ex Io. 15. v. 39. impertinenter, nec sine stellionatu allegat. Num. 216.

Petulanter illudit promissionibus Christo factis. ps. 2. *De gentibus hæreditandis, & terminis terræ possidendis*, Num. 216.

Fallit in explicando ps. 2. in allegando Matthæo & Lucâ. in ps. 71. fingit modum, vbi absoluta est prædictio. Sensum parabolæ Zizaniorum deprauat.

Offutias meras ex Hispaniâ & Italiâ accersit. Num. 217.

Mixturam *pretiosi & vilis*, siue veri & falsi, tribuit illis qui côuerterunt gentes ad Christum, non sine graui iniuriâ Diuinæ bonitatis, & Euangelij. Num. 219.

Pleráque argumenta Kircheri, vt toto hoc capite suis locis annotamus, insoluta relinquit: non vano argumento, fuisse & esse ipsi insolubilia. Rectè igitur & infallibiliter contra Dorscheum, & quosuis Acatholicos conclusum est, & concluditur: *Ecclesiam Romano-Catholicam, esse veram & visibilem Christi Ecclesiam, perpetuò duraturam, omnisq; erroris immunem*. Quod erat demonstrandum.



CAPVT IX.

CAPVT IX.

De Confusione Ecclesiæ Lutheranæ.

§. I.

Confusionis Lutheranæ originem, ex defectu Vocationis Lutheri, scaturire & dependere.

KIRCHERVS.

ORdinem *ait* §. 27. *f.* 100. ergo perlustremus: si tamen Ordo dici mera meretur Confusio, quo primùm gaudere cepit, & constat hodiéque Ecclesia Lutheranorum. Inprimis erit expendenda Vocatio Lutheri: eóque magìs, quo magìs ab illà dependet, quidquid Iuris aut Potestatis sibi vendicant successores. 221.

DORSCHEVS.

Negat Ecclesiam Lutheranam dependere à Vocatione Lutheri.

Replicat I. §. 256. *Falsum esse, quod à Vocatione B. Lutheri dependeat in Ecclesiis Lutheranis, quicquid iuris & potestatis sibi* vendicant Lutherani Doctores. *Nam partim non omnes à Luthero vocati, ordinatiq; sunt, aut ab illis, qui à Luthero acceperunt ordinationem: vt in Daniâ & Sueciâ, aliisque prouinciis, & principatibus atque ciuitatibus Germaniæ. Partim non est necessarium, vt ab Ordine Ecclesiastico potestas aliqua in Lutherum, & ab hoc in omnes alios Lutheranos Doctores, deriuata sit.*

Sufficere autoritatem Ecclesiæ.

Sufficit enim autoritas Ecclesiæ. Neq; enim potestatem clauium à Christo immediatè, & pro se alicui visibili capiti concessam: & ab eo in Episcopos, perque hos in reliquam Hierarchiam Ecclesiasticam deriuatam, concedimus. Hinc inter Pontificios veteres inprimis, acris etiam de hoc negotio concertatio fuit. Nota sunt hâc de re Parisiensium Theologorum scripta, Gersonis, Almayni & aliorum. Ex hâc potestate singulæ Ecclesiæ potuerunt sibi instituere Ministerium ad Normam Verbi diuini compositum, remoto deprauato, aut in ordinem redacto; hácq; de re ex dictis Matth. 16. *v.* 19. *& c.* 18. *v.* 15. *&* 1. *Cor.* 5. *v.* 4. 5. disputatum esse.

Pontificiorũ certamen de potestate Papæ.

RESPONDETVR.

Ad §. 256. Dorsch. A doctrinâ Lutheri, saltem dependet Eccl. Luther.

RESP. I. Ius & potestatem, quam prætendunt Ministri Euangelici, etsi non dependeret ab Ordinatione Lutheri (credimus enim neutrum esse certum: vtrùm omnes ab initio hucvsque Lutherani Ministri, ab ipso fuerint ordinati, aut ab illis, qui ab ipso acceperunt Ordinationem? an verò in aliquibus

regnis, & prouinciis, aliter res habuerit, dependere tamen eam, necessariò à doctrinâ eiusdem. Hæc enim si falsa est, & erronea in fide: nullum quoq; oportet esse ius, & vim tam potestatē, quam prætensum Ministerium vsurpat. Neq; enim cuiquam Dominus dat *potestatem in destructionem, sed in ædificationem.* 2. Cor. 13. v. 10.

Dependere autem ratione doctrinæ Lutheranos Doctores à Luthero, testis est Christianus II. Elector Saxoniæ in præfat. præfixâ libro Concord. *Deus* ait, *lucem Euangelicæ Veritatis, in hâc inclinati mundi Vesperâ, per ministerium selecti sui Organi, D. Martini Lutheri, misericorditer accendit.* Huic autem præfationi præter dictum Electorem Christianum, subscripsêre, libriumq; Concordiæ receperunt, *Electores & Principes alij Viginti, Comites viginti octo, Ciuitates Imperiales triginta sex.* Ex communi igitur Lutheranorum sensu, & Confessione, doctrina ipsorum dependet à Luthero, tanquam à *selecto Dei Instrumento*; qui si contra instrumenti officiū, fefellit aut errauit in *Luce & substātiâ* (de hâc enim loquimur) *Euangelicæ Veritatis tradendâ*, falsam irritam & illusoriam esse tam potestatem, quàm Doctrinā Pastorum Lutheranorum esse necesse est. Cum à Luthero non aliter dependeant, quàm discipuli à Magistro, aut nouæ artis Euangelicæ repertore: quantumuis Deum ipsum esse primum auctorem & principalem Magistrum, Lutherum verò non nisi hypodidascalum, acriter contendant.

Confirm. ex præfat. lib. Concord.

Lutherus, nouæ artis Euangel. Magister & repertor.

RESP. II. Falsum est, non esse necessarium, vt ab Ordine Ecclesiastico potestas aliqua in Lutherum, & ab hoc in alios Lutheranos collata sit: sed sufficere autoritatem Ecclesiæ, per quam ex sensu noui Euangelii, Dorsch. vtique intelligit Magistratum ciuilem, & populum. Inprimis enim repugnat ipse Lutherus, to. 1. Lat. VVitteberg. in cap. 1. ad Galat. f. 376. & to. 4. Lat. Ienensi, f. 8. *Apostoli verò ait, immediatè vocati sunt à Christo, sicut Prophetæ in V. T. ab ipso Deo. Apostoli postea vocauerunt suos discipulos, vt Paulus Timotheum, Titum, &c. qui deinde*

Ipse censuit necessariam ordinationē Episcopalē ab Apostolis deriuatam.

Episcopos,

Episcopos, vo Tit. 1. Episcopi suos Successores vocauerunt. Ea Vocatio durauit vsque ad nostra tempora, & durabit vsq; ad finem mundi.

Deinde loca illa Matth. 16. v. 19. & Matth. 18. v. 15. dudũ Bellarm. l. 1. de Pont. c. 12. & 14. à deprauatione Acatholicorum vindicauit: cur non replicat stellio ad solutiones, aut si alibi respondit, cur non vel breuiter replicas illas indicat? Non tanti sunt libri ipsius, vt pro illis conquirendis veredarium cõstituamus. Quorum egregium scil. pretium inter alia innumera indicat, quod hic subiungit: *Inter Pontificios veteres inprimis, acrem etiam de hoc (an Christus immediatè, & pro se potestatem clauium alicui visibili Capiti concesserit: quæ ab eo in Episcopos, & per hos in reliquam Hierarchiam Ecclesiasticam deriuetur?) fuisse concertationem.* Etsi enim Gerson, Almaynus & alij, qui docent Concilium esse supra Papam, censeant *supremam potestatem Ecclesiasticam esse in Concilio principalius, immediatiùs, & immobiliùs, quàm in Papa,* addunt tamen: *quia Ecclesia non potest semper congregata manere, & exercere per se hanc potestatem, ideo Christus instituit Summum Pontificem, tanquam instrumentum Generale ad omnes actiones Ecclesiæ, & in eo posuit hanc potestatem summam, vt eam exerceat nomine Ecclesiæ.* Acatholici autem etiã hoc negant, & nolunt Papam vllo modo esse caput Ecclesiæ totius, vt ostendit Bellarm. lib. 4. de Pont. c. 14. imò nec hanc supremam potestatem concedunt Concilijs, vt isti Doctores Catholici. Docent enim Lutherani & Caluiniani Concilia posse errare, & de facto errasse, vt videre est apud eundem Bellarm. lib. 2. de Concil. c. 2. Malâ ergo fide Catholicos Doctores, pro suo errore allegauit Dorscheus.

Reproducit stellio loca Script. à Bellarm. iam soluta.

Imponit Catholicis sententiam, de quâ nullus somniauit.

Lutherani Papæ nullã concedunt potestatem.

Quod verò ingerit, *in emergenti casu obscurati Ministerij, & in errores prolapsi, posse Ecclesiam ex potestate clauium, illud ad normam Verbi diuini componere:* si de errore loquitur Ecclesiæ vniuersalis, falsum est; hanc enim non posse in fide totam errare, demonstratum est. cap. 7. Illud quoque fallax est, quod per Ecclesiam intelligit populum & communitatem, cui nullam cõ-

Fingit casũ impossibilẽ.

petere potestatem Ecclesiasticam, demonstrauit Bellarm. l. 1. de Pont. c. 6. Verissima igitur sunt, quæ Kircherus hic veluti fundamento loco adstruit, videlicet:

KIRCHERVS.

222. Vocatio per Ordinem Ecclesiasticũ necessaria, teste Luth.

I. *Ad* Ministerium *ait* §. 27. *f.* 101. in Ecclesia obeundum, diuinam omnino necessariam esse vocationem, & quidem quæ fiat ab Ordine Ecclesiastico, vt docet Lutherus l. c. furésque adeò esse & latrones, qui in Ecclesiam veniunt illâ Vocatione destituti, *eodem teste to.* 5. *Germ. Ienens. de subreptitys & falsis prædicatoribus. f.* 491. *& f.* 495. *& to.* 2. *Germ. Ienens. in admonit. ad Mülhusenses f.* 441. *aut* 356. *& to.* 2. *Germ.*

Omnis Vocatio, vel immediata, vel mediata.

II. Non minùs etiam certum receptúmq; & approbatum in omnibus Lutheranorum scholis esse, quod omnis diuina Vocatio vel immediata sit & extraordinaria, vel ordinaria, & mediata: quâ vtràq; si quis careat, non posse pro se eum vllam allegare vocationem diuinam.

Deus hodie non vocat, nisi mediatè.

Quod ipsum docet Lutherus, Resp. II. Initio allegatus, vbi ista Verba præmittit: *Diuina Vocatio est duplex, altera, mediata, altera immediata. Deus nos vocat hodie omnes ad Ministerium Verbi, Vocatione mediatâ: hoc est Vocatione, quæ fit per medium, id est, per hominem. Apostoli verò immediatè vocati sunt,* & reliqua quæ ibi attulimus, vbi sic demum claudit: *sumus igitur & nos diuinâ autoritate vocati, non quidem immediatè à Christo, vt Apostoli, sed per hominem,* videl. Episcopum; hanc enim per Episcopos Vocationem duraturam vsque ad finem mundi paulò ante asseuerat. Alterutram autem Vocationem, necessariam esse, clarè docet idem Lutherus in cit. Admonitione ad Mulhusianos. *Vbi Deus* ait, *ordinariam,* (quam fieri per Episcopos clarè docuit) *mutare vult, semper miracula operatur.* Subdit: *Se nunquã prædicasse, nec prædicare voluisse, nisi ab hominibus vocatũ, nec gloriari posse, se à Deo immediatè de cœlo missũ &c.*

Luth. negat se imediatè vocatum.

III. Immediatam Lutheri Vocationem, allegare ampliùs non audent Doctores Lutherani, (quam aliqui contra ipsiusmet attestationem, illi tribuebant) probari eam oportere, (per miracula scil. quæ ipse Lutherus requirit,) nec tamen probari posse, vtique animaduertentes. Ad mediatam proinde confugiunt: quamuis aliqui minùs accurati, mediatam partim, partim immediatam illam fuisse dicant, quos rident accuratiores alij. Nos igitur dimissâ hâc mixtâ, & priori immediatâ, siue extraordinariâ Vocatione: ad Mediatam, quam hodie communiter tuentur, rectâ viâ contendamus.

Mediatam illi hodie cōmuniter tribuunt, aliqui mixtam.

Oppugnat

Oppugnat postea hanc ipsam Mediatam Lutheri Vocationem Kircherus à n. 28. vsque ad 32. & Capitis finem, argumentis efficacibus, & solide concludentibus, quæ pro arbitrio Dorscheus diuidit, & omissis quibusdam magni momenti, trãsponit ac mutilat. Quare vim argumentorum Kircheri, obseruato eius ordine, propugnabimus.

§. II.

Ordinariam, siue mediatam Lutheri Vocationem nullis idoneis argumentis probari, sed multis validißimè refelli.

ARGVMENTVM I.

Non posse illam fundari, in potestate Ordinis, quam accepit ab Episcopo Catholico.

KIRCHERVS.

QVid hâc deductione absurdius fieri, aut cogitari possit, *rectè ait Kircherus* §. 28. se non videre. Neque enim ex intentione Ordinantis, neque ex intentione Ordinandi, vocatus fuit ad opus prætensæ Reformationis. Ordinans enim erat Episcopus Catholicus, qui contulit illi autoritatem spiritualem autoritate summi Pontificis ad Missas celebrandas, Euangelium prædicandum, Sacramenta administranda: more modóque, qui tum in Ecclesiâ Romanâ & Catholicâ (præter quam alia existebat nulla,) erat receptus: non vt bellum Pontifici & dictæ Ecclesiæ inferret, illiúsque faciem hic adiectis quibusdam, quibusdam alibi reiectis, aut diminutis, sic mutaret, vt agnosci amplius non posset. 223.

Intentio Ordinantis Episcopi alia fuit.

Intentio Ordinandi Lutheri erat itidem huic Metamorphosi contraria: Monachi quippe adhuc dum existentis, & per omnia fidei Catholicæ addicti. Ad opus igitur præsumptæ Reformationis suâ sponte venit, non vocatus cucurrit. Vnde quid de toto illo conatu, euentu, successu sit sentiendum, non tantùm ex praxi Vniuersæ Ecclesiæ, sed ipsâ quoque Lutheranorum & Lutheri sententiâ manifestum euadit.

Ipsiúsq; ordinati Lutheri, tum Monachi.

DORSCHEVS.

Replicat §. 257. *Lutherum nihilominus vi Vocationis suæ, siue Academica, siue Ecclesiastica (etsi neutra scil. sit necessaria) potuisse & debuisse abusus tum Ecclesiam prementes, taxare, confutare, tollere, idq; in Ecclesiâ*

cuius curam in se susceperat. Alias item Ecclesias, vt ad hoc opus excitaret, innumera argumenta eum pertrahere poterant.

Luth. nō ex intentione Episcopi, sed in Virtute Dei vocatus.

Ad I. verò hoc Kircheri argumentum mox replicat: *Vocationem Episcopi obligâsse Lutherum non in Virtute Ordinantis Episcopi, sed in Virtute Dei, illam potestatem Ecclesiæ ad reuelationum & mysteriorum debitam & decoram dispensationem, communicantis. Neq; vltra obligatum fuisse Lutherum, etsi obligatum se opinaretur ad Missam, Orationem pro defunctis, & alia Christianæ Religionis vitia atq; inquinamenta, qualia in Papatu fuisse docuerunt Præliminaria nostra.*

RESPONDETVR.

Ad §. 257. Dorsch.

RESP. I. In Vocatione Ecclesiasticâ nullam vim esse ostendunt argumenta Kircheri, quæ propugnamus. De Vocatione Academicâ idem ostēdit infra, nihil quoq; in illâ præsidij repositum esse. Quod Dorscheus *Vocationem per Ordinem Ecclesiasticum esse necessariam negat*, repugnat Luthero suo, vt vidimus. Quem sequitur Liber Concord. in Apolog. Conf. Aug. Artic. 14. & Articulis Smalcaldicis, tit. de potestate Episcoporum. Quibus inter alios subscripsit ipse Lutherus sibi contrarius: vt hæc ipsa de Ministrorum, ipsiúsque Lutheri Vocatione sententiarum varietas, non sit leue Confusionis Lutheranæ argumentum.

Dorscheus repugnat Luthero & lib Concord.

Si Luth. in Virtute Dei fuit vocatus, ergo immediatè.

RESP. II. Si Lutherus solùm in Virtute & intentione Dei, non autem ex Virtute & intentione Episcopi Ordinantis, & ipsius Ordinandi fuit obligatus ad opus reformationis: Ergo immediatè fuit à solo Deo vocatus, quia Episcopus hanc Virtutem & intentionem non habuit. Neque dicas illum fecisse contra officium, Deum autem intendisse, quod debebat facere ex Officio; si enim Episcopus ille non fecit, quod debuit, ergo ipse nihil fecit, sed solus Deus immediatè vocauit Lutherum; quod tamen cum hodiernis Lutheranis ipse quoque negat Dorscheus, vti apparet. Deinde, non est alia intentio Dei, & alia Pastorum Ecclesiæ, de quibus ipse dicit: *Qui vos audit, me audit* Luc. 10. v. 16. Cōtrarium est ex capitali Acatholicorū errore cap. 7. refutato, quod *Ecclesia etiam tota possit errare.* Denique

Intētio Dei & Pastorum Ecclesiæ eadem.

que Dorscheus, cum hoc ipsum: an alia sit intentio Dei, alia Episcoporum Catholicorum in Ordinatione, & an Religio Christiana laborârit vel laboret, vitijs ac inquinamentis, vt ipsi imposuit Lutherus? sit in Quæstione, committit fœdam Principij petitionem: a quo vitio, aliisque nugis & fallacijs constare ipsius præliminaria, ostendimus tum in operis vestibulo, tum multoties in eiusdem decursu. Dorscheus petit principium.

ARGVMENTVM II.

Neq; per distinctionem Intentionis in primariam & secundariam Ordinantis, Luthero succurri posse.

KIRCHERVS.

Sed aiunt teste Kirchero §. 29. Distingui debere intentionem Vocantis. Hanc fuisse duplicem; vnam primariam, quæ eò spectabat, vt Lutherus doceret Veritatem Euangelicam: eámque variè deprauatam, vel obscuratam nitori suo restitueret, idque ipsum egisse. Alteram secundariam, quæ collimabat ad doctrinam Pontificiam: non per se & immediatè, sed quatenus siue Pontifex, siue is, qui Lutherum ordinabat, suam & non aliam doctrinam pro verâ agnoscebat. Ità illi quidem, vt mediatam Lutheri Vocationem obtinere possint. Sed refelluntur. 114.

I. Petit principium illa distinctio, & supponit hoc ipsum, quod maximè negant Catholici: nempe Lutherum sepultam quasi veritatem, protulisse in apricum, quod satis iam confutatum est in tribus illis assertionibus nostris, quas cap. 6. 7. 8. explicauimus. Hæc distinctio petit principium.

II. Eneruat ista distinctio omnes contractus, pacta, iuráq; omnia. Hæc enim non dependent ex iudicio illius, qui obligatur, sed intentione ipsius obligantis, eâque determinatâ, non generali & vagâ. Ponamus Principem, qui semper intentionem suam dirigit explicitè aut implicitè ad Reip. salutem, Legatum amandare ad hostem pacis firmandæ causâ, & controuersias per transactionem componendi. Si Legatus, quod iudicet bellum magis fore è republicâ, contrarium agat: officio suo & instructioni nequaquam satisfaciet, neque princeps contentus erit. Adeò in omni obligatione magis spectatur formalis & determinata intentio obligantis, quàm implicita & generalis. Eneruat cōtracta, pacta, iura omnia.

III. Quin imò omnis Obedientia caderet illo modo: semper enim alter confugere posset ad primariam illam intentionem præcipientis. Omnem Obedientiam.

Illam in suâ causâ improbant.

IV. Si prædicans factus Catholicus, eodem titulo se tueri vellet, quod Vocationi suæ secundùm primariam ordinantis intentionem deprehensâ veritate, satisfecerit: Lutherani isto responso contenti non forent, cùm tamen sit par vtrobique ratio.

Ipsi suos ordinandos ad C. A. adstringunt.

V. Si sola implicita intentio in genere ad veritatem directa, demum ex iudicio & Conscientiâ *eius, qui obligatur*, accipit determinationem: Cur ergo Lutherani ordinandum expressâ formulâ adstringunt ad Aug. Confess. & Formulam Concord.? Certè hæc determinatio, aut nullam habet obligandi vim, aut aliquam. Si nullam habet, cur in re seriâ tantas nugas agunt? si habere dicunt, eo ipso fatentur non impleri, sed violari vocationem, si vocatus vel ad vnguem latum ab intentione vocantis, etiam particulari & determinatâ recedat. Si rei disparitatem afferant, principium petent. Illi suam Religionem veram esse credunt; idem de suâ credunt Catholici, & iure potiori antiquitatis ac possessionis.

Catholici adstringunt ad Relig. Cathol.

VI. Denique etiam Catholici expressè ordinandum adstringunt, ad Religionem Catholicam, & obedientiam Pontificis. Quomodo ergo vi illius vocationis Lutherus hæc potuit impugnare? Contrariæ executiones contrarias requirunt vocationes. Alioqui seipsam destruet vocatio; veræ erunt duæ contradictoriæ; & idem negabitur ipsum esse.

DORSCHEVS.

1. De petitione principij respôdet Nihil.

Primam huius argumenti probationem Kircherianam, de petitione principij, prorsus omittit Dorscheus.

Ad 2. itidem directè Nihil.

Ad secundam quoque, de generali eneruatione *contractuum, pactorum, iuriúmque omnium, per distinctionem intentionis primariæ & secundariæ illius, qui vocat vel ordinat*, idem directè respondet Nihil: etsi argumentum hoc in summatione textus Kircheri, loco secundo inserat.

Ad 3. Nec verbum.

Ad tertiam de *frustratione omnis Obedientiæ*, per recursum ad primariam præcipientis intentionem, similiter nec verbum respondet.

Ad 4. Resp non posse proponi ad decreta Papæ, Ecclesiâ nondum cõuictâ.

Ad quartam de *prædicante Lutherano transeunte ad Catholicos*, Respondet §. 259. *Si talis vellet vi obligationis, quâ Deo obligatus est per ordinationem, proponere explicationem Verbi diuini iuxta decreta Papæ: non posset id facere insciâ, inuitâ, nondum conuictâ, sed adhuc contradicente Ecclesiâ, & nolente, vt hoc modo dicat. Sicut nec Apostoli, nec Lutherus inuitos & constanter repugnantes, docere perrexerunt.*

Ad 5. vocatio Luth. ad Verb. Dei.

Ad quintam referri possunt, quæ replicat §. 260. *Vocatio Lutheri* ait, *ferebatur ad certam & determinatam Fidei Regulam, scil. ad verbum Dei immotum & inuariabile. Cum hâc autem regulâ, consuetudine & inter-*

pretatione

pretatione seculi, connexa fuisse aliqua, quæ cum ipsâ solidâ consequentiâ cohærere non potuerint. Itaq; Lutherum his, ad quæ opinione, non veritate obligatus erat, remotis; ea retinuisse, ad quæ reuera obligatus erat. Neq; hodie obligationes ad libros Symbolicos, (Conf. scil. Aug. Formulam Concord. &c,) frustraneas esse, quod obligatione primariâ immotâ permanente, secundaria mutari possit. Omnes obligationes eiusmodi esse propter Verbum diuinũ, vtiles tamen & necessarias ad dignationem & ordinem. Si quis verò, in eos scrupulos incidat, vt putet, Formulam eiusmodi Verbo Dei repugnare, propterea se non obtrudet Ecclesia. Manet illa in suo consensu formulâ Fidei exposito, quicquid priuatus dicat: nisi ità dicat, vt Ecclesia inuictis argumentis conuicta, cogatur priuato contra formulam assentiri.

Non obstat intentionē secundariā mutari. Ecclesiam non cogi priuato assentiri, nisi conuictam.

Ad sextam denique probationem, etsi sub diuerso numero, replicat §. 258. Lutherum nihil quidem contra Dominum ampliare, vel mutare, vel ex eius placitis quidquam impugnare potuisse: licuisse tamen hæc illi contra Ministrum parum fidum, quales plurimos tum habuit Ecclesia, contra quos queritur Benedict. Andegauus in cohort. ad Catholicos Scotos f 13. ex militiâ aut aulâ, & non ex literarijs exercitijs, & Ecclesiasticis seminarijs, ex Gynæceis, & gynæmanijs, (prôh pudor!) non ex scholis & Vniuersitatibus assumptos. Lutherum interpretationem suam partim fecisse in fauorem, & iuxta voluntatem principalis siue Domini Dei; (in quo casu licet contra negotiorum gestorem, aut mandatarium infidum, interpretationem obligationis facere) partim iuxta tenorem antiquissimarum obligationum, ex Verbo Dei deductarum; partim cum magno Ecclesiarum consensu atq; applausu.

Licere cõtra mandatariũ infidum, sentire ac facere.

Quæ responsio etiam indirectè potest applicari ad secundam probationem, & exemplum legati, facientis contra mandatum sui Principis, ex intentione boni publici.

RESPONDETVR.

RESP. I. Dorscheum vix toto Hodogetico tam clarè demonstrâsse malæ causæ conscientiam, quàm hisce postremis Capitibus: dum partim ad grauia argumenta respondet nihil, partim Formam Logicam negligit, & confusè replicas cassâ nuce inaniores, multiplicat.

RESP. II. Impudentem esse, quod grauissimum Kircheri de Principij petitione argumentum, penitus omittit. Quâ in re dupliciter reus est; tum quia Kircheri argumenta non repræ-

Dorsch. arg. de petitione principij omittit.

sentat fideliter; tum quia absque rubore se Sophistam confitetur eo ipso, quia tacet, cum contradicere posset, in re spectante honorem ipsius & existimationem. Et certè quæ respon-

Quæ respôsat & supponit, omnia esse in quæstione.

sat *de obligatione, quâ quisq; Deo est obligatus, de veritate Euangelicâ deprauatâ, de vocatione Lutheri ad determinatam Fidei Regulam, de connexis, quæ huic Regulæ cohærere non possint; de interpretatione Lutheri iuxta voluntatem Domini principalis, contra interpretationem infidorum Ministrorum, iuxta tenorem antiquissimarum obligationum ex Verbo Dei deductarum &c.* Meram principij petitionem continent, & fuerunt, suntque in quæstione affirmantibus audacter Luthero & Lutheranis, negantibus constanter Catholicis: & deplorantibus res tot seculis indubitabiles, & apud Maiores nostros ab ipsorum ad Christum Conuersione certissimas, vocari in controuersiam, imò de falsitate & superstitione condemnari.

Nihil horũ ex Script. probari potest.

Nihil enim eorum, quæ *sub veritatis Euangelicæ, Verbi diuini, Regulæ fidei, voluntatis Domini principalis &c.* speciosis *nominibus, Lutherus Orbi obtrusit, ex* Scripturâ, cuius limitibus totum Religionis ambitum circumscripsit, hactenus probatum est, aut deinceps probari poterit. Non ergo plus hâc in re argumẽtis Kircheri replicæ Dorschei præiudicant, aut detrahunt, quàm sophismata possunt ac solent, id est nihil.

RESP. III. Etsi Prædicans Lutheranus conuersus ad Catholicos, *non possit proponere explicationem* Verbi diuini *Catholicã, inuitâ & contradicente Ecclesiâ Lutheranâ,* vt dicit Dorscheus §. 259. nihilominus per ea, quæ subiungit. §. 260. vim suam retinet probatio Kircheri quinta, si videl. (quod non negat Dor-

In casu Dorsch. vrgere dilemma Kircheri.

scheus fieri posse,) *eiusmodi Prædicans conuersus, inuictis argumẽtis cogat Ecclesiam contra Formulam Concordiæ aut Confessionem August. sibi assentiri.* In quem casum vrget dilemma Kircheri. *Aut obligatio, quâ Lutherani eiusmodi Prædicantem adstrinxerunt ad Conf. Aug. & Form. Concord. nullam habuit obligandi vim, aut aliquam. Si nullam, cur nugas agunt? Si aliquam, Ergo fateri coguntur,*

tur, eo ipso violari vocationem: si in hoc vel alio casu, vocatus etiam ab intentione particulari & determinatâ vocantis v. g. ad Conf. Aug. recedat. Quod idem procedit contra Lutherum, violatam videl. ab illo fuisse vocationem, quâ ab Episcopo Catholico determinatus erat ad Fidem Catholicam docendam.

RESP. denique IV. Plura alia absurda suis replicis Dorscheum intexere. 1. Quod Lutheri vocatio relata fuerit ad determinatam Regulam Verbi diuini, hodierno scil Lutheranorum sensu intellectam. Certum enim est, hanc determinationem factam non fuisse ab Episcopo Catholico, qui Lutherũ ordinauit. Vel ergo à nemine facta est, vel à solo Deo, quod ipsum refugiunt hodie, vt vocationem immediatam Lutheri euitent. Luth. ad sensum Lutheranum non fuit determinatus ab Episcopo Catholico.

2. Supponit pro primariâ & secundariâ vocantis intentione, primariam obligationem, quâ vocatus primariò obligatur Deo & secundariam, quâ secundariò obligatur Ecclesiæ. Vtramque enim hanc obligationem contrahit vocatus siue ordinatus per intentionem Ordinantis, siue primariam siue secundariam; etsi rectius dicitur esse vnica intentio reipsâ, quia Veritas Euangelica non est, nisi vna, iuxta illud, Ephes. 4. v. 5. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Non potest ergo intendi Veritas Euangelica instar generis, quæ sub se habeat plures species; est enim ex parte obiecti Vnica & Indiuidua Veritas: videlicet illa, quam credit & tradit Vera & Catholica Christi Ecclesia. Et quàm implicat non esse vnam Veritatem Euangelicam adæquatè sumptam, tam implicat esse plures, veras Catholicas Christi Ecclesias. Ordinatus obligatur Deo & Ecclesiæ. Veritas Euangelica vnica, & indiuidua.

3. Quæ ex Benedicto Andegauo affert, probant illos Ministros, in quos inuehitur fuisse infidos quoad mores, non autem quoad fidem; quod non est ad rem. Bened. Andeg. non est ad rem.

4. Suam suæque Ecclesiæ turpitudinem ac miseriam vltro confitetur, dum §. 259. ostendit *illam à priuato existimante formulam Fidei*, (v. g. Conf. Aug. & libri Concordiæ:) *obligationi* Dorsch. cõfitetur Ecclesiæ mise-

riam, in quâ nulla Fidei form. certa.

ad Verbū Dei repugnare: posse inuictis argumentis ità conuinci, vt tali priuatò contra formulam Conf. Aug. & Lib. Concordiæ cogatur assentiri. Ergo necdum sunt certi de vllâ formulâ Fidei suæ, quod sit infallibilis; quid si enim eiusmodi priuatus repentè prodeat! Ergo non possunt vel ex solo hoc capite, infallibiliter assentiri, vlli Articulo vel doctrinæ Conf. Aug. & libro Concordiæ! Ergo infallibilitatem, quam singuli prætendunt, cum singillatim & priuatim scrutantur Scripturas: amittunt, cum primùm sententiam suam voce aut scripto, siue aliqui seorsim, siue plures simul efferunt in publicum.

Lutherani fallibiles, cū loquuntur, aut scribunt de Fide.

Quod paradoxum inde euidens est, quia nulli homini, nullis Concilijs, nulli Ecclesiæ, concedunt infallibilem assistentiā Spiritus S. siue Regiminis diuini in prædicando, docendo, scribendo. Ideóque etsi mille annis in Formulâ Fidei suæ concinnandâ laborarent, neque sic tamen de eius infallibili Veritate certi forent. Quæ talis Ecclesiæ portentosam, turpitudinem, ac miseriam nimis clarè ob oculos ponunt, & Vocationis Lutheri infelicem nullitatem demonstrant.

Infallibilem Fidei form. concinnare non possunt.

ARGVMENTVM III.

Lutherus neq; Vocationem suam secutus, neq; non secutus; neq; bene, aut male fecisse, dici potest.

KIRCHERVS.

125. Lutherus aut secutus est, *ait Kircherus*, §. 30. tenorem suæ Vocationis, aut contrà fecit. Si secutus est, ergo postea, cum contrario modo ageret, à normâ illâ recessit: & sic non potest amplius allegare Vocationem suam. Si non est secutus, ergo nulla fuit Vocatio, quia vtriusque intentionis, & vocantis Episcopi. & vocati Lutheri repugnabat. Deinde aut bene fecit Lutherus, aut fecit malè, quando Catholicus adhuc, Religionem Catholicam inculcauit. Si bene tum; ergo malè postea, cùm contrarium docuit. Si malè; ergo nulla fuit Vocatio, quia obligauit ad peccatum, & sine peccato impleri non potuit. Vt iuramētum enim, ità nec Vocatio debet aut potest esse vinculum iniquitatis. Quæ procedunt iuxta Vocationem determinatam ad doctrinam illorum

Dilemma duplex.

tum temporum; quem modum & Catholici seruant & Lutherani, vt supra fuit ostensum.

DORSCHEVS.

Confundit terminos, sensum, ordinem argumentorum Kircheri: fugitiuorum instar, qui ne deprehendantur, præcipiti impetu inordinatè rem gerunt.

Replicat I. §. 251. *Non sequi, Lutherum nullam habuisse Vocationem, quia illi in principio non detulit, sicut Vocationis Regulæ flagitârunt. Non illico planè, & plenè è Verbo Dei illuminatus fuit, propter multa obstacula, ex inueteratâ Monachismi, Papismique consuetudine ipsi opposita. Placuit Deo per gradus eundem deducere ad perfectionem. Nec dubitandum est, multo maximam obligationum suarum partem intelligere cœpisse penitus, antequam ad disputationis periculosissimæ prorumperet theatrum.* Luth. non illico planè & plenè illuminatus.

Replicat II. §. 262. *Vocationem Lutheri, si Ministrorum Vocationem, & intentionem tum in Ecclesiâ vsurpatam respicias, annexa habuisse quædam cum Veritate cœlesti pugnantia. Quæ ligatam quidem tenuerunt aliquamdiu Lutheri erroneam Conscientiam; sed postquam eum lumen Verbi diuini perstrinxit, vidit vincula ista opinionis esse, non Veritatis, adeóq; disrupit: retinuit autem Vocationem à Conscientia & Ecclesiæ Domino intentam.* Vidit quædam opinionis esse, non veritatis.

RESPONDETVR.

Ad Replicam I. RESP. I. Dorscheum non respondere directè ad argumenti formam, vt patet. Resp. 2. Quod inspergit de successiuâ Lutheri illuminatione, efficax quidem argumentum est, non fuisse immediatè à Deo vocatum: (neq; enim Deus talem immediatè mittit, qui prædicationi suæ initio tam graues immisceat errores, & toties dicat contraria, quàm Lutherus fecit,) sed neque mediata, & ordinaria Vocatio, talem errandi vertiginem, & errandi licentiam secum fert, vt in PP. & DD. Veteribus apparet: qui ordinariè vocati, etsi seorsim in quibusdam errârunt, tamen pauca fuerunt, neque cognitâ Ecclesiæ sententiâ in errore perstiterunt. Deus per gradus quidem ad perfectionem scientiæ & Virtutis solet perducere: non debent tamen illi gradus assignari grauibus erroribus, sed notitijs minus perfectis, per quas paulatim perducit ad perfectiores; cuius exemplum aliquod apparet *in Nicodemo.* Io. 3. & *Samaritanâ muliere,* apud eundem c. 4. Ad §. 261. Dorsch. Non respōdet directè. Nec mediata Vocatio stat cum erroribus Lutheri.

3. De-


3. Denique Lutherum, *antequam in periculosissimæ* (cum Diabolo præsertim de Missâ :.) *disputationis theatrum prodiret, obligationem suam ad docendum contraria Catholicæ Religioni, intelligere cæpisse*, repugnat Polycarpo Leysero in Conc. 2. de Iubilæo Lutherano. f. 68. *Postquam* ait, *Lutherus Erfurti* (Anno 1504.) *in Augustinianorum Monasterium se contulit, mox Anno 1507. Sacerdos ordinatus & consecratus est: & ex eo die per integros quindecim annos, NB. cum magnâ deuotione Missas fecit, quod sæpe questus est suum maximum peccatum fuisse &c.* Non ergo ante, sed primùm postquam cum Diabolo de Missâ disputauit, eámque Anno 1520. abrogauit, intelligere cæpit obligationẽ iniquitatis. Quæ licet inter se pugnent (vt pluribus allegatis ostendit Forerus in Characteribus Lutheri pronunciato VI.) conuincunt tamen ipsorum Lutheranorum testimonio, Lutherum, cum ordinaretur fuisse seriò & feruenter Catholicum: adeóque prætensam Vocationem ad opus non Reformationis, sed Deformationis, vtriusque intentioni & vocantis & vocati repugnâsse.

Luth. per 15. Annos deuotè Missam dixit.

Cum ordinaretur, seriò fuit Catholicus.

Ad Replicam II. RESP. Dorscheum nec quidem per Conscientiæ erroneæ posticum elabi posse: *Quasi Lutherus benefecerit ex Conscientiâ erroneâ, quâ se putabat teneri, ad doctrinam Catholicam tradendam. Non autem hinc sequi, quod postea malè fecerit, quando errore suo agnito, eandem doctrinam impugnauit.* Cum enim hæc sophisticam principij petitionem, supra demonstratam, contineant: manet inuictum Kircheri argumentum, ex determinatâ vocatione ad certam doctrinam desumptum.

Dorsch. petit principium.



ARGV-

ARGVMENTVM IV.

Luthero defuit potestas iurisdictionis, ad reformandam Vniuersam Ecclesiam.

KIRCHERVS.

Ponamus ex hypothesi, *porrò infit Kircherus* §. 31, Lutherum in hoc vocatum & ordinatum, vt eo modo prædicaret Euangelium, quo prædicauit postea, at non sufficiebat hoc ad generale reformationis opus. Siquidem hoc præter potestatem Ordinis, requirit etiam potestatem Iurisdictionis; quæ vel determinata est, ad certum locum, vel indeterminata & vniuersalis, quæ non ad certum locum, sed ad vniuersam sese extendat Ecclesiam. 226. Iurisdictio, vel determinata, vel indeterminata & vniuersalis.

Esse autem potestatem Iurisdictionis distinctam à potestate Ordinis, constat ex praxi & exemplo ipsorum etiam Lutheranorum. Neque enim Pastori ciuitatis huius, vel illius, licet (nisi ex indultu fortè singulari,) prædicare, aut Sacramenta ministrare, vel quidquam mutare, in ciuitate aliâ. Ipsi certè Aduersarij pro Turbone illum essent habituri, qui in alienâ ciuitate, tale quippiam aggrederetur.

Iam dicat Lutheranorum aliquis, vnde acceperit Lutherus vniuersalem eiusmodi iurisdictionem super vniuersam Ecclesiam? Certè generalis Reformatio requirit generalem potestatem. Quis autem illam cõtulit in Lutherum? Num Pontifex, qui solus illam tum possidebat? Nemo dixerit. Num Episcopus Catholicus, qui Lutherum ordinauit? At non potuit generalem iurisdictionem in illum transferre, quam ipsemet non habuit? Num Episcopus aliquis Lutheranus, seu infimus, seu supremus? At nullus fuit. Generalis reformatio, requirit generalem iurisdictioné. Quam Luth. nec ab homine habuit, nec à Deo.

Superest, vt Lutherum dicant illam potestatem à Deo accepisse. Immediatè igitur accepit. Iam enim quæcunque poterant esse, sunt remota media. Atqui 1. Immediatam vocationem, vt agnoscunt ipsi, probare non possunt. 2. Ipsi damnatâ illa spe, Lutheri vocationem mediatam fuisse dicunt. Ex quo quid aliud sequi potest, quàm Lutherum, tanquam publicum grassatorem, priuato ausu in Ecclesiam inuolâsse: omnia iura peruertisse, cœlúmque terræ, & inferiora superioribus, quod aiunt, miscuisse?

Idem iudicium est de ipsius Professoratu, Doctoratu, Iuramento, quæ aliàs allegari à Lutheranis solent. Idem inquam, quantùm ad finem, & intentionem vtriusque partis; idem, quantum ad Iurisdictionem vniuersalem. Fuit Professor constitutus, sed à Catholicis. Doctor renun- Par ratio Doctoratus &c.

ciatus, sed à Catholicis. Iuramento adstrictus, sed à Catholicis, Catholicus ipse, inque bonum ac incrementum Ecclesiæ Catholicæ.

Cæterùm ex nullo istorum accepit illam Iurisdictionem, de quâ hic agitur, vt omnibus illis constat, qui modicè saltem intelligunt, quid sit Professorem agere, Doctorem fieri, Iuramentum præstare Academicū. Quæ omnia apud ipsos quoque Lutheranos restringuntur ad tenorem Aug. Conf. & Form. Concord. Iudicent quæso cordati Lutherani de hoc negotio, & vel victos se agnoscant: vel doceant illam potestatem Iurisdictionis, quæ super Vniuersā Christi Ecclesiā Luthero fuerit concessa.

Lutherani victi, nisi dicant, vnde iurisdictio Lutheri.

DORSCHEVS.

Replicat §. 263. I. *Lutherum opus Reformationis exorsum in Ecclesiâ VVitebergensi, tanquam Ministrum Ecclesiæ: in Academiâ tanquam Doctorem. Ut vtrumque faceret, non opus fuisse extraordinariâ quâdam potestate, sicuti enim, si hæreses nouæ inualuissent in Ecclesiâ & Academiâ, is sine vllâ aliâ potestate commonefacere Ecclesiam atque Academiam de istis potuisset: ita, cum inolitos vetustatis errores, & crescentes abusus deprehendit, contrà ire voce, styloque debuit & potuit.*

Non fuit opus extraordinariâ potestate, ad monstrandos errores.

Quod isto suo opere totum Principatus Saxonici corpus ad libertatem sacrā & Ecclesiasticam inuitauit, exempli erat, non Imperij & Iurisdictionis, nisi quatenus ipsa concessit Ecclesia. Quod ad alias Europæ, imò Orbis partes, manārunt facta, scriptáque Lutheri, & Papatui ruinam parārunt, diuinæ benedictionis fuit. Itaq; nullam potestatem reformatricem, & iurisdictionis, sibi in vniuersam Ecclesiam arrogauit. In eius potestate non erat positum, quousque aut factum in euentu, aut votum in successu sit progressurum. Id enim totum pependit à diuinâ gratiâ, cuius est incrementa dare plantantibus, rigantibúsq;.

Exemplo egit Luth. nō potestate.

Benedictionis diuinæ fuit propagatio Euangelij.

Replicat §. 264. II *Sub Papatu fuisse Verbum diuinum, Sacramentum Baptismi in substantialibus inconcussum, Sacramentum Cœnæ Eucharisticæ, licet in vulgus non distributum, & plurimas dotes alias. Quatenus enim adhuc erat visibilis Ecclesia, quatenus non omnem eius habitum destruxit AntiChristianismus, eatenus adhuc ista etiam bona retinuit. Et quia Ecclesia in sinu suo habuit omnem potestatem spiritualem, ideo etiam habuit potestatem constituendi Pastores, Doctorésq; Ecclesiæ. Ergo Lutherus accepit potestatem Ecclesiasticam, diuinitúsque Ecclesiæ commissam sub Papismo, (siue AntiChristianismo:) non vi Papismi, admirabiliter prospiciente Christo Sponsæ suæ, ne omnia tyrannicus eiusdem inuasor abolere & pessundare posset.*

In Papatu remansit etiam potestas Ecclesiastica.

Hanc Luth. accepit sub Papismo, nō vi Papismi.

Quæro Kirchere, cum in Ecclesiâ VVirtenbergicâ in Baptismo acciperes potestatem fieri filium Dei, Io. 1. v. 12. quam, sub Lutheranismo, vt vocas, accepisti, an etiam vi Lutheranismi eam acceperis? hoc est, vi eius doctrinæ,

quam

quam hereticam iam iudicas? Negabis procul dubio. Ergo agnosces posse in aliquâ infectâ Ecclesiâ, superesse potestatem ad actus sacros.

Agnosces vtiq; quia id etiam Iesuitarum dogma est: illos qui in Ecclesiis hereticorum Baptismum ritè administrant, habere potestatem Ecclesiæ, agere autoritate Ecclesiæ, acquirere etiam illos Ecclesiæ, quotquot per Baptismum regenerant. Vnde illos, qui in infantiâ acquisiti, & per potestatem spiritualem subiecti sunt: si progressu ætatis in hæreses prolabantur, iure posse retrahi, potestate Ecclesiæ coactivâ ab hæresibus reduci, aut Vindicativâ puniri &c. Vides igitur, quam cornutis tuis arietationibus, nihil contra ordinem Ecclesiæ, nihil contra Vocationem Lutheri egeris!

Sicut Kirch Baptismum sub Lutheranismo.

Etiam hæretici, per Baptismum filios Ecclesiæ acquirunt.

RESPONDETVR.

Ad I. Replicam. RESP. I. Opus tam extraordinarium sustineri non posse sine extraordinariâ vocatione, quam ideo Luthero tribuerunt Meissnerus de Fide Lutheranâ capessendâ. f. 260. & 481. VVolf. Franzius de Iubilæo Lutherano, Apostata Reihingus dissertat. de verâ Eccles. f. 16. Cuius rei causas nos has reddimus. 227.

Ad §. 263. Dorsch. Opus extraordinarium opus habet extraordinariâ Vocatione.

1. Quia doctrina à Luthero introducta, à tempore Apostolorum nunquam fuit in publico exercitio & vsu, sed contraria Catholico Romana, vt vel Aduersarij nostri Magdeburgenses in singulis Centurijs fatentur, vt sæpe diximus. Cuius signum est, quod nullus Historicus talis doctrinę, qualis est Lutherana, veluti Catholicæ & Apostolicæ meminit, cum tamen innumera alia, multò leuioris momenti annotârint. 2. Quia SS. PP. quos reliquit nobis Christus ad *vitandam circumuentionem erroris*, Ephes. 4. v. 11. vtpote Monachi, Sacerdotes, Episcopi Papæ subiecti, Sanctorum cultores, pro animabus in purgatorio deprecatores, nullam aliam quam Romano-Catholicam doctrinam, verbo & exemplo nobis tradiderunt. 3. Quia dogmata Acatholicorum, à veteribus hæreticis seminata, inter hæreses retulerunt, vt sæpè dictum. 4. Quia tot fraudibus fallacijs, falsis allegationibus, quorum omnium specimina plurima dedit Dorscheus, rem gerunt, vt incredibile sit illos viam Veritatis tenere. 5. Denique quia Euangelici more omnium

Doctrina Luth. nunquam fuit in publico vsu Ecclesiæ.

SS. PP. illã non tradiderunt, sed hæretici.

Tot falsa non stant cũ viâ veritatis.

Script. omnium hæreticorum liber.

Hæreticorum solis Scripturis nituntur, quarum insufficientiam primâ parte demonstrauimus.

Quibus stantibus ad tam extraordinaria dogmatum Euangelicorum portenta, neque ordinaria Vocatio se extendit, neque extraordinaria à Deo veritatis decerni potest. Sed cum ipse Dorscheus non minùs quàm alij Lutherani, de illâ conclamatum iudicent, & ipsa quoque Ordinaria Lutheri Vocatio sustineri solidè non possit, consequens est Euangelicos super arenam ædificâsse, & ædificare.

Petitio principij de inolitis erroribus.

RESP. II. *Inolitos vetustatis errores & crescentes abusus à Luthero in Ecclesiâ Catholicâ deprehensos*, falsum est, & petitio principij turpiter repetita. Si Lutherus bonâ mente Patrum monumenta legisset, deprehendisset inolitos olim veterum hæreticorum errores, vel suos esse, vel suis affines. Scilicet ille solus vidit veteris Ecclesiæ næuos, quos tot sapientissimi, eruditissimi, Sanctissimíque Viri nunquam viderunt, neque næuos esse crediderunt. Si nouas hæreses in Ecclesiâ & Academiâ VVittebergicâ ingruere aduertisset, poterat admonere Episcopum, & alios penès, quos erat iurisdictio ordinaria; non erat autem ipsius, vt tanquam potestatem habens, sententiam suam toti orbi seruandam proponeret. Ad Pontificem Romanum, & Cōcilia, cum noui errores emergerent, vel veteres reuiuiscerent, recurrebant SS. PP. & antiqui DD.

De erroribus Luth. debuit admonere Ordinarios.

RESP. III. Quod Lutherus *doctrinam suam per vniuersam Saxoniam, per multas item alias prouincias & regna propagauit*, non solùm fuit exempli, sed iurisdictionis nullo iure vsurpatæ. Sed ignorat videl. iurium Ecclesiasticorum contemptor, Iurisdictionis naturam. Solet enim ea à Iurisconsultis diuidi in *simplicem, quæ posita est in causæ cognitione, cum potestate iuris dicendi de priuatis* (vt communiter restringunt, sed nihil vetat, quin generaliter ad publica quoque extendatur) *& in eam, ad quam exequendam iussio aliqua est necessaria, siue Imperium.* Est autem verè & propriè Imperium *Iurisdictio in coercitione posita*, iuxta

Iurisdictio alia simplex, alia cum Imperio.

Gaill,

Gaill, ad l. 3. ff. de Iurisdict. & breuiter explicat Coruinus in Enchrid. Instit. Imper. lib. 4. Tit. 10. Vnde colliges ad Iurisdictionem simplicem, non requiri Imperium propriè dictum. Eiusmodi *Iurisdictionem sine coercitione violentâ & coactiuâ*, (quæ communiter Imperij nomine intelligitur,) habuere Apostoli & Euangelistæ in vniuersum Orbem ad Fidem Christi prędicandam, tradendam, interpretandam, omnésque causas spirituales ad Ecclesiam pertinentes cognoscendas. Vt adeò, quēadmodum *Magistratus ciuilis*, teste Coruino l. c. *cognoscit eo ipso, quia Magistratus est*, ita Apostoli & Euangelistæ, quia tales, habuerint potestatem vniuersalem Iuris cœlestis dicendi & cognoscendi, absque coercitione violenta tamen, vtpote nullis ad eam præsidijs instructi: nisi coercitionem latiùs pro nudâ iussione vel excommunicatione accipias, quę coercitionem violentam secum non afferat. Hoc sensu dicit ps. 44. v. 17. *Constitues eos principes super omnem terram.* Eiusmodi sanè iurisdictionem insolentissimè in vniuersam Ecclesiam inuasit & vsurpauit Lutherus.

Iurisdictionem simplicem, i. e. sine coercitatione habuere Apostoli.

Hoc sensu Apostoli cōstituti principes super totū orbem.

1. Hoc demonstrant clarissima eius verba. In Epistolâ de suâ versione Bibliorum. to. 4. VVitteb. Germ. *si Papista* inquit, *vester de voculâ* solâ *multum velit altercari, protinus illi dices: Doctor Martinus Luther vult hoc habere, & ait: Papistam & asinum vnum & idem esse &c. Nam & nos semel contra asinina hæc capita, superbire & insolescere volumus &c. Nihil ergo illis aliud respondeas, quàm Luthero ità placuit, & dicit se esse Doctorem NB. supra omnes Doctores.*

Talem iurisdictionem usurpauit Luth. dicendo se Doctorem Doctorum.

In glossâ super Edictum Cæsareum, vnâ cum ingenti maledictorum cumulo, to. 6. VViteb. Germ. f. 165. hæc habet: ***Dico ego, Doctor Martinus Luther Domini nostri Iesu Christi NB. indignus Euangelista, quod hunc articulum:*** **sola fides sine omnibus operibus iustificat coram Deo, *ferre ac permittere debent, Romanus Imperator, Turcicus Imperator, Persicus Imperator, Papa, omnes Cardinales, Sacerdotes, Monachi, Moniales, Reges, Principes, Domini, totus***

Item Euangelistam, & toti mundo solam fidem præscribendo.

ni, totus mundus cum omnibus Diabolis. Simúlque voueo, vt pro eo gratiam nullam, sed ignem infernalem capiti suo insidentem habeant &c. Hæc profectò non sunt meri exempli; sed à nemine dici possunt, nisi furioso: aut qui non acceperit à Deo potestatem leges & sententiam ferendi pro vniuerso orbe.

Doctrinâ suâ Ecclesiā in alium statum transformare nō est res solius exempli. Sine violentâ coercitione Christus & Apostoli Ecclesiam N.T. instituerunt.

2. Ea scribere, prædicare, facere (quantumuis coercitio violenta, quam nec Apostoli habuerunt, nulla interueniat) veluti à Deo mandata, quibus vniuersus Ecclesiæ status tot seculorum vsu confirmatus, conuellitur & in alium transformatur, non est res solius exempli, sed iuris & iurisdictionis. Neq; enim Christus & Apostoli aliter, quàm prædicando mira operando, scribendo, & officium suum, (quoad persecutores sinebant,) implendo, Ecclesiam V. T. siue Synagogam, transformârunt in Ecclesiam N. T. siue Christianam, eámq; per orbem terrarum propagârunt. Quos solo exemplo, non autem vi iurisdictionis diuinitus acceptæ rem gessisse, nemo dicet. Neque igitur Lutheri dicta, scripta, facta inter limites exempli stetêre.

Arrogauit sibi nomen Euangelistę, ergo & iurisdictionem.

3. Audacter nomen & officium Euangelistæ sibi arrogat, non solùm l. c. sed in libro quoq; aduersùs falsò nominatum Ordinem Ecclesiasticum; non ergo præsumi potest, illum abstinuisse ab vsurpatione, quantumuis iniustâ, iurisdictionis Apostolis & Euangelistis cōpetentis. Verùm, sicut illi non alicui tantum prouinciæ, sed toti mundo Christianæ Religionis leges intulerunt, prædicârunt, scripserunt: sic Lutherus opus putatitiæ Reformationis non pro solâ Ecclesiâ & Academiâ VVittebergensi, aut Saxonicâ, sed vniuerso Orbe terrarum, vt verba illius ostendunt, aggressus est.

Iurisdictionem, quam saltem in Saxoniâ exercuit, à nemine habuit.

4. Negare non potest Dorscheus, quin Lutherus VVittebergæ saltem & in Saxoniâ, vi iurisdictionis, non solius exempli egerit. De quâ ipsâ Iurisdictione quærimus, à quo illam acceperit? Non ab Episcopo, non à Papâ, non ab Ecclesiâ illius loci, vel Academiâ: Vtraque enim, antequam ab ipso in Apo-

stasiam

stasiam præcipitaretur, fidem profitebatur Romano-Catholicam. Sed neque Ecclesia, quam pro populo Christiano, cuiusuis loci accipit Dorscheus, sic intellecta, potestatem habet vocandi constituendique Pastores & DD. Ecclesiæ: vti constat ex praxi primorum seculorum, quæ purissima existimant Euangelici. Neque enim ex his vel vnum Episcopum, aut Pastorem legitimum proferre possunt, qui autoritate populi constitutus fuerit. De temporibus Apostolorum vide Bellarm. lib. 1. de Pont. c. 6. §. Iam quod nihil.

Nullus Episcopus, vel Pastor vnquam à populo constitutus.

Denique aliæ extra Saxoniam prouinciæ & regna, si non habuerunt noui Euangelij Ministros à Luthero vocatos & missos: potestatem saltem Pastores ac Doctores vocandi constituendique, ex doctrinâ ipsius, quam autoritate Dei & Euangelij ipsis proposuit, sibi arrogârunt, quod ipsum non fuit solius exempli, vti ostensum est. Nec quidquam facit ad rem, quod magno consensu Saxonia aliæque prouinciæ & regna, doctrinâ Lutheri acceptârunt; legitima enim prædicationis, vel Religionis alicuius acceptatio, supponit in prædicante doctrinæ veritatem & missionem, cui annexa est Iurisdictio. Neque magis populorum consensus in libertatem Euangelij Lutherani, arguit vllam potestatem legitimè concessam: quàm consensus rebellium subditorum, arguat aliquam veri nominis potestatem, concessam esse aut concedi posse, legitimi Principis, aut regni inuasoribus.

Populi ex Luth. doctrinâ hanc potestatem sibi arrogârunt.

Acceptatio doctrinæ supponit eius veritatẽ, & prædicantibus potestatem.

Ad Replicam II. RESP. breuiter I. Quæ de *Verbo diuino, substantiâ Baptismi, & Eucharistia, aliisque plurimis dotibus in Papatu, sed inquinatis scil.* affert, continere familiarem Dorscheo, & omnibus Acatholicis principij petitionem. Hoc enim ipsum fuit & est in controuersiâ, *an quidquam corruptelæ, vel inquinamenti Ecclesia Catholica addiderit?* Quod cum nunquam probauerint Aduersarij, nos constanter negare perseueramus. Cadunt ergo omnia, quæ de potestate Ecclesiasticâ, sub Papismo non vi Papismi, Ecclesiæ integrâ permanente, nugatur.

Ad §. 264. Dorsch. Iterata petitio principij.

RESP.

Kirch. in Eccles. Luther. baptismum accepit localiter, non moraliter.

RESP. II. Ad quæstionem decretoriam, quam Kirchero Dorscheus proponit: ipsum Verum Baptismū in Ecclesiâ Lutheranâ accepisse localiter, non moraliter; id est, non ab ipsâ, neque vi doctrinæ Lutheranæ, sed ab Ecclesiâ Romano-Catholicâ, cuius Ministri sunt etiam Acatholici, nolentes volentes, cum ritè baptizant: eóque ipso baptizatum membris non falsæ, sed veræ Ecclesiæ (cuius solius Baptismus est Sacramentum) inserunt, iuxta ea quæ diximus Cap. 6. Aphor. 11. Atq; hoc ipsum confirmat potestas spiritualis in omnes ritè baptizatos, quam non soli Iesuitæ, sed omnes Catholici, Ecclesiæ Romano-Catholicæ tribuunt: veluti ab ipso Christo collatam per Ministrum qualemcunque siue fidelem, siue infidelem, siue orthodoxum, siue heterodoxum, modo institutionem Christi in Baptizando obseruet.

Potestas filiorum Dei impertinés.

Illam verò potestatem, quam *Christus dat omnibus, qui illum recipiunt, vt filij Dei fiant,* impertinenter Dorscheus allegat; tum quia non est potestas in alios, de quali agimus; tum quia in Baptismo, si propriè loquamur, Christus non dat *potestatem filios Dei fieri,* sed actu & reipsâ facit filios Dei.

Ex quibus denique omnibus præclusum est Dorschei effugium, asserentis *Lutherum solo exemplo Euangelium suum propagâsse, sine Iurisdictione aliquâ vniuersali in totam Ecclesiam.* Hanc Iurisdictionem, cum ab ipso vsurpatam euicerimus, Dorscheus verò neque ex Vocatione, siue Ordinatione, neque ex Professoratu, vel Doctoratu, aut Iuramento Academico illam probari posse, eo ipso, quia ad Exemplum recurrit, agnoscat:

Dorsch. siue vocatione & potestate Lutherum rem gessisse fateri cogitur.

concludimus Lutherum absq; vllâ legitimâ Vocatione & potestate opus non prætensæ Reformationis, sed fœdissimæ Deformationis aggressum & prosecutum fuisse, quod erat demonstrandum.



ARGV-

ARGVMENTVM V.

Lutherus Sacerdotium Papisticum pro larua & figmento habuit: ergo Vocatio illius neq; ex hoc, neq; ex alio capite, vt ostensum est, probari potest.

KIRCHERVS.

Vnum satis mirari non possum, *inquit* §. 32. & quoad vixero demirabor: Lutherus Sacerdotium Papisticum, laruam & figmentum appellat. Catholicos Sacerdotes & Episcopos, fictos Sacerdotes, laruatos Episcopos intitulat. *Verba, quæ Besoldus quoq; Cap. 5. suorum motiuorum ponderauit, ex to. 2. Lat. VVitteberg. f. 393. sunt ista.* 228. Luther. Sacerdotium Papisticum pro figmento habuit.

Si vlli negandi sunt, esse Sacerdotes, maximè negandi sunt illi, quos Papistici Ordines euexerunt. Neq; enim aliud agere possunt, quàm id, quod ex animo intendunt agere; (nullã ergo agnoscit Lutherus intentionẽ Dei, ab intentione Ministri diuersã) *h. e. non curant, vt docendi Officium, sed sacrificandi & peccata audiendi potestatem conferant. quare nec fieri potest, vt aliud obtineant. At cum certissimum sit Missam non esse Sacrificium, deinde Confessionem eam, quam præceptam volunt, nullam esse: Vtrumq; autem sit humanum, & sacrilegum inuentum; planè sequitur per Ordines illos Sacros, neminem fieri coram Deo, aut Sacerdotem, aut Ministrum; sed meram quandam laruam Mendacij & Vanitatis,* ità Lutherus. Quem Lutherani Magistrum sequentes, Papam esse AntiChristum, meretricem illam Babylonicam, hominem peccati, filium perditionis vociferantur. Tu quid ab illâ autoritate expectes? Eius verba. Magistrũ sequuntur discipuli.

Vocatio illa Pontificia, ex quâ Lutheri potestas dependet, aut est firma & valida, vel non est. Si non est; cur allegatur? Et quomodo valida potestas ex Vocatione inualidâ? Sin est; ergo vera Vocatio datur in Ecclesiâ Catholicâ. Vera consequenter est Ecclesia Catholica. Quod si minùs autem, falsa erit; nulla erit tum Vocatio Lutheranorum, tum eorundem Ecclesia. Quæ enim comminiscuntur de virtute & intentione Dei, veluti principali, iam supra reiecta sunt, & laborant merâ principij petitione. Si vera est Vocatio apud Catholicos, vera est & Ecclesia.

Quid autem Prædicantes sibi promittunt interea? Vocatio Lutheri, neque extraordinaria est & immediata: nec mediata & Ordinaria. Illud fatentur ipsi. Hoc demonstratum est ex omni capite, vnde vocatio prætendi potest, (ordinatione videlicet Episcopi Catholici, Professoratu, Doctoratu, Iuramento Academico, Institutione & consensu

Lutherani priuato conatu agunt, & decipiunt sequaces.

Ecclesiæ.) Quid reliquum? Lutherum priuato conatu egisse, & eodem adhuc agere omnes, qui successerunt illi: omnes decipi, qui sequuntur istos. Quæso in seipsum descendat, qui vel modicum intelligit.

Lutherus spontè cucurrit.

Lutherus, & Lutherani damnant ipsi omnes, qui sponte suà currunt; ipse Deus cauendos eos esse iubet; est suæ adhuc præsens Ecclesiæ. Ille ergo, vt Commissarium suum, in tanto negotio non instruxisset aliter? Non vel miraculorum dono ornâsset? vel si Ordinaria esse debuit Vocatio: ordinem non seruâsset, à quo tanto tempore dependere suam est passus, (*imò voluit*) Ecclesiam? ABSVRDVM.

DORSCHEVS.

Dorsch. ad arg. Kirch. respondet nihil.

Ne nimis apertè fateatur se à suo, suorúmque Euangelistâ & Magistro Luthero dissentire, Argumentum Kircheri, ex verbis recitatis desumptum in Compendio initio Capitis præfixo, penitus omittit: & vlteriùs nihil aliud replicat, quam NIHIL.

RESPONDETVR.

Velut somnium surgentium Domine in ciuitate tuâ, imaginem ipsorum ad NIHILVM rediges. Ps. 72. v. 20.

Capitis Anacephalæosis.

Multis hoc quoq; caput laborat deuiationibus à veritate.

Falsò negat, à Vocatione Lutheri dependere Ecclesiam Lutheranam. Num. 256.

Imponit Catholicis sententiam, quam nemo ex illis somniauit. Ibid.

Repugnat Luthero & Lib. Concordiæ, cum *negat Ministris esse necessariam Vocationem per Ordinem Ecclesiasticum.* Num. 223.

Petit principium ibid. & Num. 224. Num. 225. Num. 227.

Confitetur *nullam in Ecclesiâ Lutheranâ, esse Formulam Fidei infallibilem.* Ibid.

Falsò contendit prætensam Reformationem Lutheri fuisse *solius exempli, non vsurpatæ Iurisdictionis.* Num. 227.

Sine Vocatione & potestate Lutherum, quem sequitur, rem gessisse fateri cogitur. Num. 228.

Frustra igitur & malignè reuocat Kircherum ad viam veritatis, quàm tum demum inuenit, cum à Confusione Ecclesiæ Lutheranæ, *in quâ nullus ordo, sed sempiternus horror,* (vt ostensũ est) *inhabitat,* sapienter & feliciter recessit.

CAPVT

CAPVT X.

De Ordine & Constitutione Ecclesiæ Catholicæ.

KIRCHERVS.

COnfusionem Lutheranorum *ait* §. 33. excipiat Catholicorum Ordo, & legitima Constitutio; in quâ inprimis ista quatuor veniunt Consideranda. 1. Continuata Successio. 2. Ordinaria Vocatio. 3. Congrua Iurisdictio. 4. Harmonica in Fide & Doctrinâ Consensio. 229.

ARGVMENTVM I.

Ecclesia Romana, Successionem tum personalem, tum doctrinalem, habet non interruptam: in Scripturis, Patribus & ratione fundatam.

KIRCHERVS.

Necessariam esse huiusmodi successionem in Ecclesiâ N. T. patet ex perpetuitate Ecclesiæ veræ ac visibilis supra cap. 6. firmissimis argumẽtis demonstratâ. Quæ requirit, vt semper fuerint, & futuri sint quidam publici Doctores & Pastores Ecclesiæ: qui gregem pascant, lupos & impostores arceant, aliáque faciant, quæ ratio & autoritas requirit Ministerij. Vnde necessarium est, (quemadmodum in naturalibus videmus) alia indiuidua, continuatâ quâdam serie alijs succedere, propter conseruationem vniuersæ Ecclesiæ.

Successio doctrinalis & personalis, sequitur ex Ecclesiæ perpetuitate.

Quò etiam spectat illud Isaiæ c. 59. v. 21. de spiritu Christi, *qui non recedere debeat ab ore eius, neq; ab ore seminis eius*, quem locum ponderauimus cap. 7. §. 19. Eundem in modum loquitur de Ecclesiâ N. T. cap. 62. v. 6. vbi Ierosolymæ nomine eandem designat, *& super muros ipsius* dicit *Custodes constitutos, qui totâ die, & totâ nocte*, (non 400. duntaxat, aut 500. annis, sed) *in perpetuum non tacebunt*. Cum quo consentit etiam Paulus, quando Ephes. 4. v. 11. dicit: *& ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores &c.*

Isaiæ testimonium.

Pauli Ephes. 4.

Vbi obserua I. Non de solis Apostolis, Prophetis, & Euangelistis Paulum loqui: sed etiam de Pastoribus & Doctoribus, quibus Ecclesia nunquã carere potest. II. Ab eodem exprimi finem, cuius gratiâ Christus Pastores & Doctores dederit; nempe, vt *consummentur Sancti in opus ministerij &c*, vt *non sint paruuli fluctuantes, & circumferantur omni*

Exprimit DD. & Pastorũ, finem ac terminũ.

vento doctrinæ &c. ad circumuentionem erroris &c. III. Indicari etiam terminum huius gubernationis, videlicet, *donec occurramus omnes in unitatem Fidei &c. in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi &c.* quod certè non futurum est priùs, quàm venerit consummatio huius seculi.

Consentiunt PP.

Hoc ipsum agnouêre Beatissimi Patres. Irenæus, *per solam istam successionem, omnes hæreticos confundi posse* asseuerat, lib. 3. cap. 3. Idem faciunt Tertullianus, Cyprianus, Epiphanius; qui cum seriem Romanorum Pontificum recensuisset, tandem subiungit: *non esse, vt miretur quispiam, quod tam exactè singula recenseat, per hæc enim semper ostendi veræ Ecclesiæ claritatem.* Augustinus verò hoc ipsum semper vrget contra Donatistas. Numquid autem in Romanâ Ecclesiâ isthæc inuenitur successio?

Fatentur ipsi Lutherani.

I. Fatentur hoc ipsi Lutherani, quoties distinguunt inter localem & doctrinalem successionem, quam tamen distinctionem subsistere non posse, ex antedictis quiuis prudens intelligit. II. Catholici longam Pontificum & Episcoporum seriem, citra omnem interruptionem Ordinis ostendunt. III. Nulla planè foret successio, in verâ & visibili Ecclesiâ Christi, (quod absurdum esse iam euicimus,) si in Romanâ Ecclesiâ eadem non fuisset conseruata. Aliæ enim sedes Apostolicæ, vt Antiochena, Alexandrina, Hierosolymitana: aut nullam omnino, aut nimis quàm obscuram. hâc nostrâ ætate, possunt docere successionem.

Sola Romana sedes habet continuam successionem.

Sola Romana sedes, quamuis tot mutationes passa, tot vicissitudines statuum, & variationes Reipublicæ, continuum tamen semper, & satis hucusque liquidum retinuit Ordinem successionis. Quod singularem prorsus arguit prouidentiam Dei, planéque congruit illi Petræ, de quâ pronuntiauit Christus Matth. 16. *Portas inferi aduersùs illam non prævalituras.* Quantò plus autem æquum est, tribuere nos tot seculorum continuationi, cum in tam exiguo (sui temporis) successionis Ordine, tantum momenti reposuerint olim Patres antiquissimi?

DORSCHEVS.

Successionē non esse argumentum Ordinis legitimi in Ecclesiâ.

Replicat I. §. 266. *Successionem localem aut personalem, non esse argumentum ordinis Ecclesiastici Deo placentis. Neq; enim soli competit Ecclesiæ; neq; semper; neq; sine doctrinali successione aliquid valet. Id demonstrauit D. Gerhardus to. 5. de Eccles. c. 11. sect. 5. &c. Quod Kircherus putat ad perpetuitatem Ecclesiæ pertinere successionem continuatam, in eo fallitur. Nulla de eâ re est reuelatio, aut ratio euidens. Si probaret Kircherus, ad vnum locum esse allegatam Ecclesiam, ità vt ibi in perpetuò visibili flore consisteret, efficeret*

efficeret aliquid. Id verò nec ex reuelatione liquet; nec inter Pontificios certum est. Itaq; potuit fieri, vt sine certâ successione, nunc in hâc Orbis parte Ecclesia visibilis labefactaretur, aut concideret, alibi surgeret & efflorescceret. Quid locus Isa. c. 59. v. 21. intendat, dicit se supra ostendisse. Kircherum argumentari à promissione Ecclesiæ Catholicæ factâ, ad certam eius partem, seu Ecclesiam Topicam: hoc autem argumentum nullum esse, in eiusmodi entibus per mutabilem aggregationem constantibus. Ecclesia non alligata ad vnum locũ. Kirch. argumentatur ab Eccl. Cath. ad eius partem.

Replicat II. §. 267. Aduersùs locum Isa. 62. v. 6. & variorum expositiones affert. Feuardentij Theomach. Calu. to. 1. l. 10. c. 14. n. 20. *illum applicantis vel ad Angelos, vel ad Patriarchas & Apostolos in cælis orantes pro Ecclesiâ.* Bellarm. l. 1. de bonis oper. in partic. c. 19. *ad Cantatores perdios & pernoctes horarum Canonicarum. Barradij to. 4. l. 5. c. 14. n. 29. indiscriminatim ad Doctores, nullâ ad successionem localem determinatione adiectâ.* Caspari Sanchez *ad hierarchas Politicos, & Ecclesiasticos, imò & Angelos* cum Hieronymo, cui ait, *consentire alios.* Affert expositiones varias Catholicorum.

Perpendat quæso Kircherus, an sequatur: Deus promittit Ierosolymæ N. T. excubias & custodiam in muris perpetuam: Ergo præstabit id per Topicam successionem certorum custodum &c. Nonne hoc est à re ad rei modum argumentari? Anne muri Ierosolymæ sunt visibiles? Anne ciuitatis ipsius structura visibilis &c? Deniq; nec Angeli habent visibilem Custodiam, vel Hierarchæ Politici & Ecclesiastici, perpetuam in Ecclesiâ Christiana successionem. Adde & illud, posse videri illam promissionem non esse absolutam, sed ratione hominum fieri posse, vt interuertatur. Innuit Lorinus ad cap. 6. Numer. v. 25. p. m. 229. cum allegato h. l. subijcit: sed meminisse oportet, quod si custodierimus iudicia, præceptáque Dei: custodiet nobis & ipse pactum & misericordiam, quam iurauit. Nihil inde concludi. Promissionẽ non esse absolutam.

Locum ad Ephes. 4. v. 11. vt penius *alienum* refutat, *Quomodo enim* ait, *sequitur: Christus dedit Pastores & Doctores, ergo absolutâ obligatione vsq; ad finem mundi dabit? ergo dabit in visibili aliquâ Ecclesiâ, cum apparatu concatenatæ successionis. Ergo dabit semper & vbiq; in vniformi sinceritate, atq; infallibili Orthodoxiâ. Ergo semper erunt visibiles omnibus & nunquam publicè ignoti. Ergo nisi visibiles sint Doctores, Consummatio SS. præstari non poterit. Quantis quæso machinis extorquebis consequentias has?* Allegat *dissertat. suam ad Cap. 4. Exodi.* Locum ad Ephes. 4. esse prorsus alienum.

Quod Patres Kircherus nominet, nec verba adducat, ait, *se non exequi pluribus. Nullum ex illis successionem pro argumento Ecclesiæ puræ perpetuo, infallibili & apodictico habuisse, neque tam successionem topicam, quàm didacticam respexisse: asserentes eam doctrinam, quæ tum ab hæreticis oppugnabatur,* PP. loqui de successione didacticâ.

tur, & Verbo Dei consentaneam esse, & sedibus Apostoleis sine ullâ falsitate continuatam. Iubet *addere ad Patrum verba, responsa Gerardi. to. 5. §. 985. §. 195. & seqq.*

Ro. Ecclesiā successione locali & doctrinali destitui. Replicat denique III. §. 268. *De successione Romanæ sedis; nec doctrinalem, nec localem successionem in eâ dari posse, ostensum à Gerardo. Habere se, quæ posset adijcere. Sed ubi segnem viderit Kircherum, se nunc nolle occupari. De sedibus Patriarchalibus se disputâsse alibi ad cap. 4. Exodi. Quomodo ab Apostolo Andreâ, Patriarcharum Constantinopolitanorum seriē deducat Græcia, ex Chronol. Gaulterij, & alijs monumentis se ostendisse in Consid. Confess. Cyrilli Patr. Constantinop. quam Anno 1629. excudi cæptam, à complemento hucusq; arcuerit iniquitas.*

RESPONDETVR.

230. Ad §. 266. Dorsch. Successio nō præbet arg. reciprocum & affirmatiuum veræ Ecclesiæ. Ad I. Replicam RESP. I. Successionem localem aut personalem, non esse argumentum reciprocum & affirmatiuum, vt necessariò inde concludatur, eam Ecclesiam esse veram, quæ habet eiusmodi successionem. Nihil enim per se repugnat, quin Ecclesia aliqua falsa, aut Respublica, siue Principatus Politicus per continuam successionis seriem, vsque ad finem seculi possit continuari, etsi huius rei exemplum non extet; multa enim fieri possunt, quæ facta nunquam sunt, & nec quidem fient. Quod ipsum diuina Prouidentia videtur veræ Ecclesiæ Sponsæ Christi concessisse, vt sola successionis eiusmodi vsque ad finem seculi, perennaturæ prærogatiuam inter alias siue Religiosas, siue politicas hominū societates obtineat.

Sed arg. negatiuum cōtra falsam Ecclesiam infallibilile. Argumentum verò negatiuum infallibile ex hâc successione desumitur. Illam videl. non esse veram Christi Ecclesiam, quæ huius successionis perpetuitate caret, vt ex Verbo Dei, Patrum autoritate, & ratione, luculenter cap. 6. demonstratum est, quidquid hic pertinaciter abnuat Dorscheus. Sic etsi sensitiuum esse animal, non infert continuò esse hominem: necessariò tamen concluditur: hominem non esse, quod animal sensitiuum non est. Personalem, siue localem successionem, nihil valere absque doctrinali verissimum est; neque nobis id Dorscheus obijcere debet, quod nunquam affirmauimus.

RESP. II.

RESP. II. Non esse necessarium, vt argumentum ex perpetuâ successione desumptum vim habeat: *ad vnum locum esse diuinâ autoritate alligatam Ecclesiam, itâ, vt ibi in perpetuo visibili flore consistat.* Non enim dicimus successionem Pontificum Romanorum esse simpliciter localem, sed personalem: & ex facto Petri factam esse localem, siue potiùs mixtam. vt egregiè explicat Bellarm. lib. 2. de R. P. c. 12. vbi ad 3. obiectionem Caluini respondet, *dignitatem Pontificalem à Christo non fuisse alligatam vlli loco, sed in personam Petri absolutè collatam: sic autem fuisse personalem, vt tamen publica, non priuata fuerit:* & in perpetuâ Pontificum successione (cuius necessitatem ibidem paulò suprà aduersùs eundem Caluinum, sex validissimis argumentis demonstrat,) personalis vsque ad finem seculi permaneret.

Successio P. R. simpliciter personalis, ex facto Petri facta est mixta.

In perpetuũ personalis permansura.

Quia tamen, pergit Bellarm. *Petrus Romæ sedem fixit, factum est hoc priuilegium etiam locale, & proinde mixtum. Nam est alligatum Romanæ Vrbi, donec Petri successores Romæ sedem retinent. Nam si diuino iussu sedes aliò transferretur, non essent ampliùs Romani Episcopi, totius Ecclesiæ Episcopi: si transferretur inquam ipsa sedes, itá vt qui nunc sunt Romani Pontifices, alicuius alterius loci Episcopi dicerentur. Non enim sola absentia Pontificum ab Vrbe, sedem transferre dicitur. Atque hæc ex hypothesi dicta sunt: non enim credimus vnquam futurum, vt Petri sedes aliò transferatur.* Et hoc postremum solum, non est omnino certum inter Catholicos; quod idem repetit Bellarm. lib. 4. de Pontif. cap 4. à Dorscheo inf. §. 270. animo parum sincero rursus allegatus. Neque enim dubium est lectum ab illo Bellarminum integrè, ex quo discere potuit, tum hoc, tum priori loco, in successione Pontificum personali, non autem locali, summam rei in proposito à Catholicis constitui; sine qua successione personali, non potuit vllo loco Ecclesia magìs consistere, quàm corpus sine capite, Regnum aut Principatus sine Principum, Respublica sine Magistratuum, ouile sine pastorum personali successione.

Est simul personalis, quamdiu Pontifices ibi sedem habebunt.

Quod, an perpetuò futurum sit, est incertum apud Catholicos.

In successione personali rei summa.

Quæ Cap. 7. ad locum Isaiæ priorem ex c. 59. respondit, à nobis

nobis itidem dissoluta sunt ibidem. Argumentari Kircherum à promissione factâ Ecclesiæ ad eius partem, siue Ecclesiam Topicam falsum est. Argumentatur enimuerò, à promissionibus factis Ecclesiæ Catholicæ veræ & visibili, quæ à suo capite Romana dicitur: quia summus Pontificatus à sancto Petro illi annexus fuit & hactenus permansit, verisimiliter vsque ad finem seculi permansurus. Dorscheus autem per Ecclesiam Catholicam fraudulenter intelligit inuisibilem Electorum societatẽ, in paucis (vt Acatholici Ecclesiam explicant) per orbem terrarum dispersam, cap. 6. Aphor. & cap. 8. à nobis reiectam. Romanam verò accipit, vt particularis Ecclesia est, non ignarus à nobis sumi, prout ibi sedem habet summus Pontifex, cui omnes per orbem Ecclesiæ Orthodoxæ, tanquam Christi Vicario obediunt. Quo pacto, vt benè notauit Kircherus cap. 7. sub finem *vniuersa aliqua ciuitas autoritatiuè* (siue repræsentatiuè) *residet in Magistratu, & illud facere & decernere rectè dicitur, quod ex publicâ autoritate decernit, aut facit Iudex.* Vnaquæque enim res *illud videtur esse, quod in eâ est potissimum, iuxta* Aristotelem. 9. Ethic. cap. 4.

Kirch. argumentatur à promiss. factis E. C. quæ à capite Romana dicitur.

Dorsch. Ecclesiam Catholicam & Romanam fallaciter exponit.

Ad Replicam II. RESP. I. Nihil obstare varias interpretationes loci posterioris Is. 62. potest enim idem locus habere plures sensus literales, iuxta S. August. lib. 12. Conf. c. 26. & alibi, nec improbabile censet Bellarm. l. 3. de V. D. c. 3. certè non est inconueniens, locum istum, vt aliqui faciunt, explicare de *Pastoribus & Doctoribus Ecclesiæ.* Quo sensu dato, efficaciter infertur, successionem Pastorum debere esse perpetuam; neque enim vlla hominum mortalium communitas vel officium, aliter perpetuari potest, quàm vt, cum singuli moriantur, alijs decedentibus succedant alij. Quam rationem in exemplo rerum naturalium, quæ oriuntur & occidunt, indicauit Kircherus, sed silentio transmisit Dorscheus.

Ad §. 267. Dorsch. Isa. congruenter explicatur de Pastoribus & DD.

Nulla hominum societas perpetua sine successione.

Neque hoc est argumentari à re ad modum; ipsa enim successio personalis, pertinet ad perpetuitatis eiusmodi substantiam;

ſtiam; non item localis determinata, qualem tamen probabiliter habet dignitas Pontificalis, reſpectu Epiſcopatûs Romani. Eſt verò neceſſaria ſucceſſio localis ſaltem indeterminata, non poteſt enim eiuſmodi Communitas vel dignitas perpetua, non eſſe aliquo loco. Hoc ſenſu ſucceſſio perſonalis Imperatorum Romanorum, eſt quoque indeterminatè localis, habuerunt enim ſedem ſuam in diuerſis prouincijs & regnis, poſsúntque deinceps in varia loca transferre, illíſque alligare. Quæ pertinet ad ſucceſſionis ſubſtantiam.

RESP. II. Iteratas de inuiſibili Ieroſolymâ nugas, nos refutâſſe cap. 6. quæ verò annectit de promiſſione non abſolutâ, ſed conditionatâ, eliſa ſunt cap. 7. §. 2. Neque ſuffragari poteſt Lorinus, vtpote ſcriptor Catholicus & Orthodoxus. Commentarius illius in Numeros apud nos non extat. Sæpe interpretes vberiores, qualis ipſe eſt, varios ſenſus accumulant, & vltra literam interpretationem ſuam extendunt. Neque tam ſincerus eſt Dorſcheus, vt allegationi illius liceat fidere; nimis multa malæ fidei, ſpecimina iſthoc Hodegetico edidit. Certè Bellarm. ſupra ab illo productus in locum Iſai ex cap. 62. mox interpretationi ſuæ *de Cantatoribus horarum Canonicarum*, ſubiungit, nec improbat interpretationem Hieronymi, *de Paſtoribus & Doctoribus Eccleſiæ.* Dorſch. repetit nugas de Ieroſolymâ inuiſibili.

RESP. III. Locum ad Epheſ. 4. v. 11. non ſolùm non alienum, ſed tuendæ ſucceſſioni Eccleſiæ Catholicæ proprium eſſe, & inuictum. Neque multis machinis opus eſt ad extorquendas conſequentias, huic propoſito neceſſarias. Vno hoc argumento rem confectam damus: *Qui promittit & dat Eccleſiæ Paſtores & Doctores ad Conſummationem Sanctorum, vitandámque circumuentionem erroris, vſque in finem ſeculi: eo ipſo promittit & dat illos cum ſucceſſione tam perſonali quàm doctrinali, nunquam interrumpendâ. Chriſtus taliter promittit & dat Eccleſiæ Paſtores & Doctores. Ergo eo ipſo promittit & dat illos, cum ſucceſſione tam perſonali, quàm doctrinali, nunquam interrumpendâ.* Minorem ex verbis Apoſtoli, negare non audet Dorſcheus. 231. Locus ad Epheſ. 4. inuictus. Vno argumento res confecta eſt.

Maior demonstratur euidenter.

Maiorem conuincit ratio euidens. Singuli enim Pastores & Doctores moriuntur; non ergo magis possunt perpetuari sine successione personali, quàm Reges & Principes ac Magistratus in Regnis, Principatibus, Rebus publicis. Sed hos impossibile est perpetuari sine tali successione; Ergo & illos. Deinde, nisi ijdem Pastores & Doctores sibi succedant, in illibatâ Christi & Apostolorum doctrinâ, non magis apti sunt ad monstrandam & vitandā circumuentionem erroris, quàm Regula vel amussis curua aut fallibilis, ad struendum rectum murum, vel reperiēdum aliquid infallibile. Sed eiusmodi regula vel amussis inepta est ad eiusmodi finem; Ergo, neque tales Pastores ac Doctores faciunt ad finem ab Apostolo expressum, & à Deo intentum. Repugnat autem diuinæ sapientiæ, bonitati ac fidelitati, medium ad certum finem ab illâ promitti & exhiberi, per quod ad illum finem perueniri non possit. Neque ergo personalis successio interrumpi potest, quia doctrina Christi nō propagatur, nisi per personas sibi mutuò succedentes; neque doctrinalis, deficiente enim hâc successione, personæ in doctrinâ deficientes non succedunt nisi in loco, qui insufficiens est: neque vt à Christo dati, sed vt *fures & latrones, non intrantes per ostium in ouile ouium, sed ascendentes aliunde.* Io. 10. v. 1.

Regula curua inepta ad rectum ædificium.

Deus mediū ad finē ineptum non promittit.

Hinc nisi oculos à sole auerteret Dorscheus, facilè videret rectissimè concludi, 1. Deum absolutâ obligatione, quâ sibi ipse est obligatus, daturum Pastores & Doctores vsque ad finē mundi, quia verba Apostoli sunt absoluta, *fidelis autem Deus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* ps. 44. v. 13. 2. Daturum *in visibili aliquâ Ecclesiâ*, quia Ecclesiam inuisibilem nullam instituit, vt demonstratum est cap. 7. 3. *Cum apparatu concatenatæ successionis*, quia aliter non potest consistere perpetuitas Doctorum & Pastorum ab Apostolo asserta. 4. Daturum *semper & vbique*, quà Pastores & Doctores eiusmodi diffunduntur, *in vniformi & infallibili Orthodoxiâ*: quia Pastores & Doctores in rebus fidei difformes & fallibiles, ad finem à Christo

Defenditur locus Pauli pro infallibili & perpetuò visibili Christi Ecclesiâ.

Christo teste Apostolo intentum, reperiendæ infallibilis veritatis non sunt idonei. 5. *Pastores & Doctores Ecclesiæ nunquam publicè fore ignotos*; si enim ignoti forent, nec pascere possent, nec docere, nec abducere ab errore, nec reducere ad Veritatē. Intellige autem visibiles, siue cognoscibiles fore omnibus, quibus Religio Christiana innotescet. 6. Deniq; *Consummationem Sanctorum* non præstari posse, nisi per visibiles Pastores ac Doctores; quia non præstatur aliter, quàm prædicando & Sacramenta administrando, quæ requirunt Visibiles vtique Ministros. Nullis igitur Machinis nobis opus est, nuda Veritas sufficit, cui te obluctari Dorschee dolemus.

RESP. IV. Kircherum eos ferè Patres nominare, quorum testimonia sunt notissima, & extant apud omnium notissimum Bellarminum lib. 4. c. 8. vt non immeritò omiserit verba, cum præsertim sciuerit ea à vobis eludi, non solui. Quod ais, *successionem à nullo illorum habitam pro argumento infallibili, apodictico, & perpetuo*, more tuo affirmas falsa, negas vera. Irenæus, cuius locum citat Kircherus, imò & verba, dicit: *per Episcoporum* (Romanorum, vt patet ex contextu) *successionem peruenientem vsque ad nos, confundi omnes sinistrè sentientes.* Non cōfunduntur autem isti, nisi per argumenta infallibilia. Epiphanius hæresi. 27. quæ est Carpocratis, enumerat ordine Pontifices Romanos & subiungit: *& ne quis miretur, quod tam exactè singula recensemus, per hæc enim semper claritas ostenditur*: Ergo argumenta non sunt obscura, sed euidentia, quod enim clarum est, per obscurum non probatur. S. Augustinum lib. cont. ep. fundament. cap. 4. tenuit *in Ecclesiâ à sede Petri Apostoli, vsq; ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum*, i. e. Pontificum Romanorum. Quis autem credat tantum Doctorem voluisse, aut potuisse retineri alijs argumentis, quàm infallibilibus?

Kirch. citat PP. quorum testimonia apud Bellarm.

Clarè loquuntur aduersùs Dorsch.

Habuisse autem hos aliósque PP. hoc argumentum pro infallibili non solùm, verùm etiam pro perpetuo apertum est, quia non dissenserunt Viri Apostolici ab Apostolo, tribuente

PP. argumētū ex successione habuerunt pro infallibili.

Ecclesiæ Pastoribus ac Doctoribus perpetuitatem. Neque separârunt successionem personalem aut Topicam, à doctrinali, imò illam in probationem huius assumpserunt. Falsum verò est, illos generatim æqualiter pro Veritate doctrinæ suffragari sedibus Apostolicis. Successionem solius sedis Romanæ exprimunt, irrefragabili argumento, plus ipsos huic vni detulisse, quàm cæteris omnibus.

Pro respõsis Gerardi, redhibemus Confessionem Centur. Magdeb.

Quod iubet addere *ad Patrum verba, Responsa Gerardi. 1.* Pari iure Imperij, iubemus illum addere Confessionem & lamentationem Centuriatorum Magdeburgensium in singulis Centurijs, de Patribus primorum etiam seculorum; quos queruntur iam tum declinâsse ad doctrinam Papisticam. Vide, quæ huc pertinent ijs locis, vbi agunt de gubernatione Ecclesiæ, & de Episcopis. 2. Ità mutilant, diuellunt, torquent, & ab obuio claróque sensu in alienum & violentum verba Patrum trahũt, aut apertissima locis obscurioribus inuoluunt, (cum contrà, quæ obscura videntur, ex ijs quæ Patres alibi clarè dixerunt, explicare deberent) vt æquus bonæq; mentis Lector facilè aduertat fallendi studio id fieri: neq; operæ pretiũ esse, vt in pertinaciâ refellendâ, plurimum temporis & chartæ semper insumatur. 3. Vel Patres laborant næuis doctrinæ Pontificiæ, quos ipsis tribuunt in Apolog. Conf. Aug. art. 7. & alibi, quosque in nobis velut impios errores detestantur, non item in illis. Vel non laborant. Si prius dicant: Ergo, à sensu Lutheri, Apolog. C. A. Centuriatoribus, aliisque primipilis suis, hodie recedunt, cum prætensæ Euangelicæ Veritati autoritatem & patrociniũ quærunt à Patribus: quos illorum Maiores contemnebant potiùs, aut seponebant, quàm vt illos in suam sententiam traherent. Si posterius eligant: Ergo Lutherus Apol. C. A. Centuriatores &c, aliique ipsis similes fuerunt, hodiéque sunt iniurij in SS. PP. quos innocentes infamiâ grauissimorum errorum asperserunt, aspergúntque. Quæ spes veræ doctrinæ esse potest, in tanto venerandæ antiquitatis aut contemptu, aut

PP. peruersio argumẽtum falsæ doctrinæ.

Si PP. laborant næuis, ergo male ab illis petũt patrociniũ.

Si non laborant, ergo in illos fuerunt iniurij.

iniuriâ,

iniuriâ, aut in contrarias partes ludibrij plenâ circumactione?

Ad Replicam III. RESP. I. Dorscheum iniquum esse in suos Lutheranos, qui asserente Kirchero, neque ipso diffiteri auso, fatentur, *quoties distinguunt inter localem & doctrinalem successionem*, in Ecclesiâ Romanâ scil. reperiri illam, non istam. Nempe vnus Gerardus, qui negat vtrumque, est ipsi pro multis millibus vnus, nullo vtique superpondij iure, quod reliqui Lutheranorum ipsi concesserint.

Ad §. 268. Dorsch. Gerardus Dorscheo nullo iure ante alios omnes.

RESP. II. Cum tam segnis sit Dorscheus, vt illum pigeat referre argumenta sui Gerardi, quibus contra aliorum suorum sententiam, localem quoque successionem Romanæ sedi abrogat, neque nos erimus occupati: eam etiã ob causam, quod ad secundum Kircheri argumentum, *de serie Pontificum Romanorum, quam Catholici nunquam interruptam ostendunt*; item ad tertium, *alioqui nullam omninò in visibili & verâ Christi Ecclesiâ fore successionem, nisi sit in Romanâ*, respondet NIHIL. Neq; segnis in hâc re fuit Kircherus, qui veræ Ecclesiæ visibilitatem, perpetuitatem, & erroris immunitatem tam strenuè demonstrauit; vnde vtramque successionem tam personalem, (& localem modo explicato) quàm doctrinalem necessariò concludi ostendimus.

Nihil respõdet ad duo Kirch. argumenta.

RESP. III. Quid fidei mereantur, quæ alibi se dicit *de sedibus Patriarchalibus* disputâsse, apparet, quod ait se ex *Chronologiâ Iacobi Gaulterij ostendisse, quomodo ab Apostolo Andreâ Constantinopolitanorum Patriarcharum seriem deducat Græcia*, cum S. Andreæ in hâc re nec meminerit quidem Gaulterius: sed *S. Alexãdrum Ecclesiæ illius NB. Patriarcham primum, Metrophani Episcopo Byzantij successisse, A. C. 317. initio quarti seculi* affirmet: secutus Baronium Anno eodem. n. 3. qui figmentum de Andreâ primo institutore Episcopatus Byzantini, veteribus ignotum, refellit A. C. 44. num. 14. item A. C. 314. num. 15. deniq; A. C. 536. num. 9. à quo si Gaulterius dissensisset, vtiq; id significâsset; falsò igitur allegatur à Dorscheo.

Falsa Gaulterij allegatio ostendit nihil fidei illũ mereri.

ARGVMENTVM II.

Vocatio ordinaria reperitur in Ecclesiâ Romanâ, ipsorum Lutheranorum Confessione.

KIRCHERVS.

Vocatio ordinaria, in Ecclesiâ Romanâ.

Porrò, *pergit ibid. f.* 127. quod Vocationem attinet ordinariam, necessariam eam esse, vbi deficit immediata diuina, nemini ignotum esse potest; reperiri autem illam in Ecclesiâ Romanâ, manifestè liquet ex illis, quæ de successione Rom. Pontificum dicta modo fuerunt.

Aduersarij inde Vocationem Lutheri accessunt.

Et magis etiam elucescit ex Confessione Aduersariorum: qui ordinariam Lutheri Vocationem, ex ordinatione eiusdem; per Episcopum Romanensem factâ, arcessere conantur. Quod & supra notatum à nobis, & neruosè iuxtà ac dilucidè refutatum fuit.

DORSCHEVS.

Negat ibi esse Vocationem legitimam, vbi est successio. Mysteria cõclauis.

Replicat §. 269. *Responsum ad hoc argumentum ex ijs liquere, quæ de Vocatione Lutheri dicta.* Addit I. *Falsum esse ibi esse Vocationem legitimã, vbi est successio. Dari enim posse, & in sede Romanâ datam esse de facto, successionem fraudulentam, violentam, illegitimam.* II. *Posse se addere illis, quæ ab alijs dicta sunt, mysteria conclauis in Electione Pontificis, & negotiationes magnatum: ex Cardinalis Perronij legatione & negotiatione nomine Henrici Regis Galliarum, vt & iniustitiam, impietatem, profanitatem, dolos, fraudes, in negotijs quibuscunq; sacris & profanis ex eodem.*

RESPONDETVR.

Dorsch. remittitur ad cap. 9.

Ad breuem Replicam RESP. breuiter. I. Cum ea, quæ ad argumenta Kircheri contra Vocationem Lutheri partim replicauit, partim non attigit Dorscheus, tum ex ipso Kirchero, tum ex nostrâ defensione liqueant, Lectorem ipsi quoque ad cap. 9. vbi hæc tractata sunt, remittimus.

Vera Vocatio non potest esse, nisi in vera Ecclesiâ.

RESP. II. Veram Vocationem non posse esse, nisi in verâ Ecclesiâ. Falsa enim, sicut non habet veram Verbi diuini prædicationem, & Sacramentorum administrationem, itâ nec veram Vocationem. Veræ sponsæ suæ non adulteræ potestatem Ministros vocandi ac mittendi dedit Christus. Quæ de mixturâ Verbi diuini cum falsitate & corruptelis dictitant, refutauimus cap. 6. Aphor. 7. Habere autem veram Ecclesiam, legiti-

mam

mam successionem Pastorum ac Doctorum, euicimus argumento priori. Ergo vbi est vera successio, est vera Vocatio: ipsâ Lutheranorum Confessione, dum Vocationem Lutheri ex Ecclesiâ Romanâ, à Pontifice deriuatam accersunt. Quam Confessionem à Kirchero obiectam, silentio transmittit Dorscheus, eóque ipso & ipse confitetur.

RESP. denique III. Vocationem legitimam dupliciter sumi. 1. Pro eâ, quæ fit legitimâ potestate, ideóque non est irrita. 2. Pro eâ, quæ fit legitimo modo, sine corruptelâ ambitionis, munerũ, humanorum affectuum, & quarumuis fraudum. Priori modo, omnium, quos in seriem Pontificum recipit Ecclesia, Vocatio fuit, & est legitima. Posteriori fatendum est, aliquoties peccatum in electionis circumstantijs, propter interuenientes corruptelas, violentias, fraudes. Sed illud substantiam Vocationis Pontificiæ non magis euertit, quàm electionem Principum & Magistratuum, in quâ munera, violentias, fraudes frequenter interuenire est extra controuersiam. Multi ex Cæsarum Catalogo eradendi forent, si quæuis ejusmodi corruptela, electionem redderet irritam.

Vocatio duplex, vna legitimâ potestate fit, altera legitimo modo.

Illegitimus modus non euertit substantiâ vocationis.

Herodem Idumæum *summum Iudæorum sacerdotium è familia Assamanæorum ad alios transtulisse, pro libitu dimouentem ac promouentem eos, qui plus, minúsue pecuniâ, vel gratiâ apud ipsum pollerent, idémque postea factitâsse Romanos Iudæâ in prouinciam redactâ*, testis est Ioseph. lib. 15. Antiq. c. 3. & 9. & lib. 20. cap. 8. Neq; tamen eiusmodi Pontificum illorum successio, veluti irrita damnata fuit; quin quoad substantiam fuisse legitimã, patet exemplo Caiphæ, quem fuisse legitimum Pontificem indicat Scriptura, præsertim Io. 11. v. 51. vbi dicitur, *cum Pontifex esset anni illius, prophetâsse,* ex assistentiâ videl. Spiritus S. legitimis Pontificibus etiã in V. T. concessâ. Scripta de negotiationibus Conclauis quæ allegat, cuius fidei sint, ex fide Dorschei æstimare non possumus. Mali mores non arguunt malam doctrinam, si non sequuntur ex ipsâ.

Pontifices V. T. legitimi, licet intrusi.

ARGV-

ARGVMENTVM III.

Iurisdictio suprema Pontificis & Ecclesiæ Romanæ, Conciliorum & Patrum autoritate firmata.

KIRCHERVS.

232. Iurisdictio probatur ex Concilijs. Iurisdictionem, *pergit eodem* §. 233. *f.* 127. autem congruam (præterquam, quod ex sententiâ Aduersariorum resoluitur in eandem Lutheri Vocatio) facile est cuiuis animaduertere, qui parum saltem Conciliorum antiquissimorum, Patrúmque Græcorum iuxta, & Latinorum examinauerit consensum.

Concilium Chalcedonense, Romanum Pontificem passim appellat Vniuersalis Ecclesiæ Pontificem.

Constantinopolitanum, sedem Apostolicam Romanam sequi se, & venerari expresse fatetur.

Lugdunense Generale, Romanum Episcopum nominat Vicarium Christi, Petri successorem, & Rectorem Vniuersalis Ecclesiæ. Idem facit Concil. Florentinum.

Ex Patribus Græcis. Ex PP. Græcis testatur Irenæus, necessarium esse, vt cum Romanâ Ecclesiâ omnes aliæ per orbem terrarum Ecclesiæ consentiant, *propter superioritatem eius & prærogatiuam omninò singularem.*

Athanasius Romanum Pontificem *pro Vniuersali Præside omnium Episcoporum, agnoscendum esse* pronuntiat. Idem faciunt Basilius, Greg. Nazianzenus, Chrysostomus, & alij.

Ex Latinis. Inter Latinos verò scribit Ambrosius, *cum Episcopis Catholicis consentire, nihil aliud esse, quàm conuenire cum Romanâ Ecclesiâ.* Hieronymus *oniculam se Romani Episcopi.* & post Christum solum hunc audire *fatetur.* Augustinus *in Romanâ Ecclesiâ floruisse semper Apostolicæ sedis eminentiam,* testatur.

Quis non Iurisdictionem in illo agnoscat competentem, quem Concilia tot, tot Patres Græci Latiníque, pro Vniuersali Præside Ecclesiæ agnoscunt?

Si Vocatio Lutheri valida, ergo & iurisdictio Pontificis. Et, quid aliud facient Aduersarij? Lutheri Ordinationem pro validâ & legitimâ habent. Ergo valida erit autoritas Ordinantis, valida Iurisdictio Pontificis, à quo omnium Episcoporum autoritas dependet & iurisdictio. Nihil enim, in moralibus præsertim, potest alteri dare, aut conferre, quod ipsum non habet.

DORSCHEVS

DORSCHEVS.

Replicat I. §. 270. de Concilijs. *Ad Conc. Chalcedonense* dicit, *Vniuersalem Episcopum esse idem, quod œcumenicum; nec esse vnius Appellationem, sed Patriarcharum Titulum, ac prærogatiuam honoris super Episcopos, Archiepiscopos, Metropolitas, & amplitudinem inspectionis denotare. Hinc Ioanni Constantinopolitano sæpissimè tribuitur à Clericis & Monachis Antiochenis in V. Synodo, & Tarasio in Nicanâ II. Ipse autem Pontifex Tarasium Generalem Patriarcham vocat.* Episcopus Vniuersalis communis, Patriarchis titulus.

Quod Chalcedonensis Synodus in Constantinopolitanum Patriarcham, æqualitatem prærogatiuarum cum Romano, iuxta Nicanam Synodum transferat, se ostendisse in differt. 6. ad c. 4. Exod. §. 7. Addit *notum esse, quomodo supposuerint Chalcedonensi Concilio Canonem aliquem, ad euincendam appellandi ad Romanam sedem prærogatiuam; quem tamen euertit inter indubios Canones positus notius.* Chalcedonense Conc. Patriarchâ Constantinopol. Ro. Pont. æquat.

Constantinopolitanum Concilium sine numero producit Kircherus. Sed ex Bellarm. lib. 2. de Ro. Pont. c. 13. patet esse V. Non est autem Oecumenicum, sed particulare, conuocatum in causâ Anthimi paulo ante Vniuersale. Cuius historia docet, non fuisse tum temporis Papam Ro. habitum pro Oecumenico in sensu Papistico. Cum enim Agapetus Anthimum Constantinopolitanum, è Collegio Patriarchali, in quo primus erat, submouisset, & per consequens, sede Constantinopolitanâ eijciendum censuisset: & Anthimus de iniuriâ sibi factâ apud Imperatorem expostulâsset; Imp. congregauit Conc. in quo de isto negotio dignosceretur. Si supremum in terris tribunal apud Ro. Papam esse credidisset siue Imp. siue Episcoporum Chorus, non opus fuisset vlteriori tanti iudicij agitatione. Constantinopol. Côc. in causâ Anthimi non fauet Ro. Pont.

Quod dicit Conc. Constantinopolitanum se venerari, & sequi, & obedire Ro. Præsulem, non agnitæ iurisdictionis, sed veritatis, & quoad honoris prærogatiuam, eminentiæ argumentum est. Aliàs ex Constantinopolitanâ Synodo, contra istam Iurisdictionis Antecessionem produximus illustrem Canonem in Vind, ad Ex. c. 4. diss. 1. §. 14. Conc. Constantinopol. sensus.

Lugdunense, & Lateranense seculo XIII. & Florentinum seculo XV. habita non moramur. Lugdunense, Lateranense, Florentinum Dorsch. non moratur.

Replicat ibid. II de Patribus. *Irenæi locum explicâsse Gerardum to. 5. de Eccles. §. 234. Paucis; Consensus & conuenientia reliquarum Ecclesiarum cum Romanâ, non est in Iurisdictionis superioritate fundata, sed in exemplari doctrinæ sinceritate. Addit enim Irenæus,* in quâ semper ab his, qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ ab Apostolis est, traditio. *Nec obstat, quod ei tribuitur potentior principalitas. Hoc ipso enim non tribuitur* Resp. ad locum Irenæi.

 ipsi

ipsi absoluta principalitas. Et potentior principalitas potest explicari ex loco, quia est Ecclesia in Vrbe Principe, & sede Imperij, vt in Canonibus Chalcedonensis & Constantinop Conciliorum.

Itidem ad verba PP. aliorum.

Athanasii verba, ait, *ad quæ spectat Kircherus, esse ex Epistolâ suppositiâ. Basilij ex ineptâ versione proposita; Nazianzeni* προέδρον τῶν ὅλων. *ad imperium spirituale insufficienti de causâ contortum, & aliorum allegata pessimâ fide explicata, ostendere Chamier. to. 2. P. C. l. 13. cap. 22. §. 12. vsq. ad 22. Eundem c. 23 euidenter indicare, Ambrosium non ad iurisdictionem, sed ad typum respicere. Hieronymum de obseruantiâ in suum Episcopum loqui, Augustinum de principatu dignitatis.*

PP. non tribuerunt P. R. infallibilitatem absolutam.

Et si vel maximè, altius quiddam intendissent siue Concilia, siue Patres, non tamen Romanæ sedi perennem aliquam dignitatem, iure diuino ipsi competentem, & absolutâ quâdam infallibilitate eidem attribuendam, hoc pacto intendissent. Neque enim *inquit Bellarm. lib. 4 de Pont. c. 4.* omninò est de Fide, à Romanâ Ecclesiâ non posse separari sedem Apostolicam &c. *Vnde ergo certum est illam mutationem nondum contigisse?* cum iam olim Romæ dominatæ sint potentissimæ æquè ac sordidissimæ meretrices, quarum arbitrio mutarentur sedes, darentur Episcopi, & quod auditu horrendum est, intruderentur in sedem Petri, earum amasij Pseudo-Pontifices, qui non sunt nisi ad consignanda tempora, in Catalogo Romanorum Pontificum scripti, *vt loquitur Card. Baronius ad A. C. 912. n. 8. Iubet inspici præfat. suam ad fata Apocalyptica Romæ.*

Non est de fide Pontificatũ nõ posse separari à Româ. Quid si factum sit?

RESPONDETVR.

233. Ad 9. 270. Dorsch. est stellio & deceptor.

Ad Replicam I. de Concilijs. RESP. I. Generatim Dorscheum nihil afferre præter meras fraudes, falsitates, & fœdum stellionatum: cum vel pleráque, vel omnia, quæ in Kircherum regerit, attigerit & soluerit, Bellarminus, qui Dorscheo toties est in oculis, & manibus, sed ostendamus id speciatim.

Conc Chalcedon. R. P. appellat Episcopum vniuersalis Ecclesiæ.

RESP. ergo. II. de Conc. Chalcedonensi. 1. Etsi Kircherus solùm dicit, *Conc. istud passim Romanum Pontificem appellare vniuersalis Ecclesiæ Pontificem, siue Episcopum*, quod diuersum est ab Episcopo vniuersali: verum tamen est in eodem Conc. Act. 3. legi tres epistolas diuersorum Græcorum ad Leonem Papam, quæ omnes ita incipiunt: *Sanctissimo & Beatissimo Vniuersali Archiepiscopo, & Patriarchæ Magnæ Romæ, Leoni.*

2. Hunc titulum *à nullo Pontificum Antecessorum vsurpatum,*

testatur

testatur illi vehementer infensus Greg. M. ep. 34 36. & 38. *Certè* ait, *pro B. Petri Apostolorum Principis honore, per venerandã Chalcedonensem Synodum Romano Pontifici* (nomen vniuersalis Episcopi) *oblatum est: sed nullus eorum vnquam hoc singularitatis vocabulum assumpsit, nec vti consentit. Ne, dum priuatum aliquid daretur vni, honore debito priuarentur vniuersi.* Neque post Gregorium vllum Pontificem eodem titulo vsum, testis est Onophrius Panuinius in Annot ad Platinam in Bonifacio III. Differentiam autem inter titulum *Episcopi vniuersalis*, & *Episcopi Ecclesiæ vniuersalis*, explicat Bellarm. l. 2. de P. R. c. 31. vbi etiam reddit causam, cur illud tantopere Greg. fuerit detestatus in Ioanne Constantinop. cui in nullâ significatione conueniebat: ideóque & ipse (quamuis in aliquo sensu Pontifici Ro. conueniret) ad faciliùs comprimendam Ioannis superbiam, illud nomen recusauit.

Quem titulũ nullus Pontifex ex se vsurpauit.

Nec ante. nec post Gregoriũ M.

3. Titulum vniuersalis Episcopi Ioanni Constantinopolitano, qui tam immoderatè illum ambiebat, eiúsque successoribus tributum à Græcis, hodieque tribui, non moramur. Neq; pugnamus, quin in sensu à Dorscheo indicato, cuiuis Patriarchæ competere possit. Sed alius est sensus æquipollens *Episcopo Ecclesiæ vniuersalis*, quem proprium esse P. R. affirmamus. Tarasium à Pontifice appellatum Patriarcham Generalem, falsum credimus, donec authenticum monumentum Dorscheus proferat. Epistola Adriani, quæ legitur Actione II. Synodi Nicenæ II. Generalis VII. hanc habet inscriptionem: *Dilecto Fratri, Tarasio Patriarchæ, Adrianus Episcopus seruus seruorum Dei.* Altera verò quæ habetur Act. III. ad eundem Tarasium, cum titulo *vniuersalis Patriarchæ*, non est Adriani Pont. Ro. sed *Orientalium summorum sacerdotum, & sacerdotum*, vt videre est apud Seuer. Binium. to. 3. Conciliorum parte 1. f. 509. & 529. Quam epistolam per crimen falsi Pontifici tributam à Dorscheo existimabimus, donec aliam proferat.

Græcos non curamus.

De Tarasio falsum Dorscheus dicit.

4. Quod dicit *Chalcedonensem Synodum in Constantinopol. Patriarcham*

Circa Conc. Chalced. duplicem stellionatũ committit.

triarcham æqualitatem prærogatiuarum cum Romano transferre: item prærogatiuam appellandi ad Romanam sedem, euerti per Canonẽ indubium, eiusdem Concilij nonum, petulans ísque duplex stellionatus est. Vtrumque enim refellitur accuratè à Bellarm. l. 2. de P. R. cap. 22 aduersùs quem vbi replicauerit Dorscheus, nos triplicabimus. De Canone suppositito ad euincendum ius appellationis ad P. R. nihil nobis constat; figmentum scil. est Dorscheanum. Nullus eiusmodi Canon à Bellarm. vel alijs producitur ex Conc. Chalcedonensi.

Fingit Canonem, à nemine productum.

RESP. III. de Conc. Constantinopolitano. 1. Etsi Conc. hoc *A. C. 536. celebratum contra Anthimum, Seuerum, aliósque Acephalos*, Particulare fuerit, & Concilium Constantinopolitanum, quod fuit Generale V. antecesserit: ipsum tamen quintum Constantinopolitanum dici non potest, quem numerum ex Bellarm. patere, falsò asserit Dorscheus. Neque enim Bellarm. numerum istius particularis Concilij exprimit, quod inter Constantinopolitana, Generalibus particularia connumerando, non fuit nisi secundum.

Conc. Constantinop. allegatum, quintum generale antecessit.

2. Duplex enorme Falsi crimen committit Dorscheus. 1. Quod dicit *Anthimum de iniuriâ sibi factâ apud Imperatorem expostulâsse*. 2. *Quod Imp. ideo congregârit Concilium, in quo de isto negotio dignosceretur*. Nullius expostulationis mentio fit in dicto Conc. Constantinopol. sed contrà Act. 5. sub finem refertur sanctio, quâ *Iustinianus approbat sententiam Agapeti iam tum defuncti, & dicti Concilij super eiectione Anthimi, ac damnatione aliorum, de quorum erroribus ibi fuit tractatum*. Falsum igitur est in causâ Anthimi indictum fuisse Conc. Constantinopol. quod fuit Generale V. In hoc autem Conc. nec mentionem quidem Anthimi hactenus reperimus.

Iustin. Imp. approbauit eiectionem Anthimi.

Ex cuius historiâ ipsi præfixâ, à Seuerino Binio to. 2. parte. 2. pag. 42. eiusdémque Notis, quas subiungit accuratè concinnatas, f. 172. manifestum est hoc Concilium, *in quo 165. Episcopi, Theodorum Mopsuestenum quondam Episcopum, Epistolam Ibæ, &*

scripta

ſcripta Theodoreti Cyrenſis aduersùs Cyrillum, (quæ ſunt tria illa Capitula damnationis; quorum gratiâ hæc Synodus congregata fuit,) & Origenem cum ſuis erroribus, & Origeniſtis condemnârunt, celebratũ fuiſſe A. C. 553. ſub Pontificatu Vigilij, & Imperio Iuſtiniani; vt adeò apertè falſa ſint, quæ de Anthimo comminiſcitur Dorſcheus. Si quandóque Pontifices ad inſtantiam Imperatorum, cognitionem de rebus Fidei Concilijs generalibus vel commiſerunt, vel permiſerunt, id pacis & Concordiæ causâ factum eſt, vel alias ob graues cauſas; neq; â potentiâ Principum ſemper validum eſt argumentum ad ius illorum. Vt ſummum ex eiuſmodi caſibus concludi forſitan poſſet, Pontificem abſque Conc. Generali non eſſe infallibilis autoritatis. Id certum eſt, nullum Conc. Generale ab Orthodoxis habitum pro legitimo, quod Pontifex Romanus non approbârit.

In Conc. V. Gen. nec mentio Anthimi, ſed actum de tribus Capitulis.

Nullũ Conc. habitum legitimum, ſine approbatione P. R.

3. Quod dicit Dorſcheus: Concilium Conſtantinopolitanum in causâ Anthimi, cum profitetur *ſe venerari & ſequi, & obedire Romanum Præſulem, non agnitæ iuriſdictionis, ſed veritatis & eminentiæ argumentum eſſe*; inprimis neq; ſeruat verba à Kirchero allegata, quia omittit verbum *Obedire*, neq; verba Concilij, quæ Act. V. in ſententiâ Mennæ contra Anthimum in fine, ex Græco fideliter reddita, ità habent: *Nos enim, ſicut veſtra Charitas, Apoſtolicam ſedem ſequimur, & obedimus: & ipſius communicatores communicatores habemus, & condemnatos ab ipsâ condemnamus.* Quæ cum dicta ſint de Anthimo, intruſo in ſedem Cõſtantinopolitanam, etiam extra Italiam agnitam fuiſſe R. P. Iuriſdictionem, manifeſto ſunt argumento. Idem perſuadet verbum *Obedire*, quod propriè non reſpicit, niſi ſuperiorem. Sed Dorſcheus, vt oſtendat ſe peccare in leges veritatis, peccat confidenter in Leges Grammaticæ, & verbo *Obedio* iungit Accuſatiuum pro Datiuo: quem ponere debuiſſet, ſi obediret ſaltem Grammaticis, nedum Pont. Romano. Illuſtrem illum ex hoc Conc. Canonem contra Romanæ ſedis primatum, quem citat, vtique hìc etiam produxiſſet, ſi alicuius momenti eſſet.

Dorſch. in alleg. Conc. nec verba Kirch. ſeruat, nec Conc.

Obedire propriè reſpicit ſuperiorem.

234. Nihil causæ est, cur Dorsch plus tribuat Concil. prioribus, quàm posterioribus.

RESP. IV. De Concilijs Lugdunensi, Lateranensi, & Florentino, quæ Dorscheus dicit, *se nihil morari*: nihil causæ esse, cur minùs moretur Concilia ista, quàm antiquiora, Omnia enim, etiam prima quatuor sunt ipsi fallibilia, neque quidquam habent infallibilitatis, nisi quatenus reperiuntur concordare cum Scripturis. Sunt ergo etiam posteriora autoritatis infallibilis, vbi cum Scripturâ consentiunt. Lutherus certè in lib. de Concilijs. itâ abiectè vniuersim de Concilijs sentit, ipsóq; nominatim Conc. I. Nicæno, vt non debeat Dorscheus, si Magistri doctrinam sequatur, vnum præ alio maioris facere, vel minoris. Certè summa dicti libri est: *Nihil opus esse Concilijs, cum etiam Vetera illa sanctissima & celeberrima errauerint: & quilibet Parochi & Ludimagistri non minùs possint in Ecclesiâ, quàm quæuis maxima & numerosissima Concilia.* Vel ergo pariter omnia Concilia reijciat Dorscheus, vel cum antiquioribus recipiat & posteriora; quod Vera Christi Ecclesia, (non minùs posterioribus his seculis, quàm primis, & vsq; ad seculi finem futura ab omni errore fidei immunis,) iure summo exigit & meretur.

Luthero etiam vetera Concilia fallibilia.

Ad §. 270. Dorsch. Irenæi locus clarissimus.

Ad Replicam II. de Patribus. RESP. I. Irænei locum esse tam clarum, vt obscurari non possit. Meritò ponderat Bellarm. lib. 2. de R. P. cap. 15. illud: *necesse est*, & illud: *omnem conuenire Ecclesiam*. Solum exemplum sinceræ doctrinæ, quod affert Dorsch. non infert necessitatem, cur ad Ecclesiam Ro. conueniant, aut cum illâ consentiant omnes aliæ. Neq; *potentior principalitas* eludi potest per illud, *quod non sit absoluta*, omnis enim Comparatiuus includit positiuum, & quendam respectum ad illa, quæ excedit, vel à quibus exceditur; excessus verò *potentioris principalitatis* infert maiorem potentiam, quæ non aliter rectè explicatur, quàm per maiorem potestatem, competentem Ecclesiæ Ro. quàm competat alijs Ecclesijs.

Potentior principalitas infert excessum potestatis.

Denique, quod Irenæus *omnem Ecclesiam*, quam dicit, *necesse esse, vt conueniat ad Ecclesiam Ro.* explicat *esse eos, qui sunt vndiq; fideles: & semper ab his, qui sunt vndiq; in dictâ Ecclesiâ Ro. conseruatam*

uatam esse eam, quæ ab Apostolis est, traditionem, significat non tàtùm in Ecclesiâ Ro. vigere doctrinæ sinceritatem, sed ipsam hanc sinceritatem, ab omnibus fidelibus fuisse conseruatam, *in vnione & adhæsione ad hanc Ecclesiam, vt ad Caput & Matrem,* vt ait Bellarm. l. c. Neq; enim aliter intelligi potest, quomodo omnes alij fideles in Ecclesiâ Ro. conseruârint, vel conseruent Apostolicam traditionem Cur ista dissimulat Dorscheus? Quod postremò autumat, *potentiorem principalitatem posse desumi ex Vrbe Româ, quæ Caput Imperij & sedes Imp. erat:* de Irenæi ætate, cum grauissimas persecutiones Romæ pateretur Ecclesia, & Pontifices assiduè occiderentur, nullam habet veri speciem. Nunquam enim Ecclesia magìs premebatur, quàm Romæ. Vnde ergo tum ibi *potentior principalitas?* Quod simile quid tribuit *Concilio Chalcedonensi & Chalcedonensi,* fabulamentum est inane. Quomodo traditio cōseruata sit in Eccl. Romanâ.

Quam supposititiam Athanasij, Dorscheus & Chamier designent epistolam, nescimus. Nos cum Bellarm. l. c. producimus *Epistolam ad Felicem Papam, & secundam Apologiam, & Librum de sententiâ Dionysij Episcopi.* Addimus Athanasium ab Orientalibus depositum, appellâsse ad Iulium I. Pontificem, & ab eo restitutum fuisse, teste Sozomeno lib. 3. c. 7. quod factū esse ante Conc. Sardicense, ipse Athanasius testatur initio. 2. Apologiæ. Legisti hæc vtique etiam apud Bellarm. lib. 2. de R. P. cap. 21.

Basilium ep. 52. ad Athanasium allegat idem Bellarm. lib. eodem c. 15. Pontifici Romano tribuentem *Ecclesias Orientis visitandi potestatem, & iudicij sui decretum interponendi.* Ostende sis Græcule, si Vir es, & ineptam versionem demonstra. Basilius pro autoritate P. R.

Ex Greg. Nazianzeno credimus à Kirchero indicatum Carmen, quod scripsit de vitâ suâ, vbi dicit *Ecclesiam Romanam semper conseruâsse veram de Deo sententiam, vt decet vrbem, quæ toti Orbi præsidet.* Quod non posse intelligi de temporali imperio, rectè monet Bellarm. l. c. Nam tum Imperij Romani sedes Constantino- Greg. Naz. ait Eccl. Ro. præsidere toti orbi.

ſtantinopoli erat, non Romæ. Chamieri fidem, à quo hæc aliáque teſtimonia refutata ait Dorſcheus, non meliorem putamus, quam ipſiuſmet.

Ex Ambroſio nō deſignat Kircherus l. 3. de ſacramentis c. 1. *vbi dicit, ſe Eccleſia Romanæ in omnibus typū ſequi, & formam*, quāuis & ille locus magnam vim habeat, vt oſtendit Bellarm. l. c. ſed Orationem in Satyrum, in quâ Ambroſius refert, *interrogatum Epiſcopum quendam: ſi cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt, ſi cum Romanâ Eccleſiâ conueniret?* Cur quæſo ſubiungit Bellarm. *Epiſcopi Catholici non ſunt, niſi qui cum Ro. Eccleſiâ conueniunt: niſi quia Ro. Eccleſia eſt Caput Eccleſiæ Catholicæ?* Cur locum pro loco ſupponis ſtellio?

Ambroſ. idem ſentit.

Hieronymus *de obſeruantiâ in ſuum particularem Epiſcopum*, loqui non poteſt, cum *Damaſi ſe ouem* vocat. Erat enim Presbyter Antiochenus, non aliter ergo Damaſum Epiſcopum ſuum agnouit, quàm vt Eccleſiæ vniuerſalis Pontificem; quod ſequentia confirmant, quæ itidem Bellarm. l. c. exſcribit: &, te ſtellionatus ex more reum oſtendunt.

Hieron ouis Damaſi, vt Epiſcopi Eccleſ. vniuerſalis.

Apoſtolicæ Cathedræ Principatus Eccleſiæ Romanæ aſſignatus *ab Auguſtino*, plus quàm eminentiam dignitatis ſonant, ſi præſertim addas alia à Bellarm. ibidem ponderata. Legiſti; cur ſine replicâ ſtellio, ſolam ad hoc propoſitum dignitatem rancidè obtrudis?

Aug. Apoſtolicæ Cathedræ principatum agnoſcit.

Quod tandem Verborum claritate & pondere victus, dicis, *ſi Patres & Concilia altius quiddam intendiſſent: non tamen perennē aliquam dignitatem Eccleſiæ Ro. tribuiſſent*; mi homo, perenne eſſe, quidquid primatus & infallibilitatis Eccleſiæ Ro. tribuitur, conuincit eiuſdem perpetuitas & erroris immunitas, cap. 6. 7. 8. demonſtrata; non erit amplius vera Chriſti Eccleſia, ſi alterutrum, vel vtrumque in eâ deficiat. *Non eſt* equidem *omnino de fide, à Romanâ Eccleſiâ non poſſe ſeparari Apoſtolicam ſedem*, vt rectiſſimè aſſerit Bellarm. eſt autem omnino de Fide *ſedem Apoſtolicam, ſiue Primatum Petri & Succeſſorum eius, non poſſe ſeparari à*

Dorſch. PP. autoritate victus, negat ab illis perpetuam dignitatem tribui E. R.

Fide certum eſt ſedem Apoſtolicam non poſſe ſe-

verâ

verâ Christi Ecclesiâ, vt consentiunt & probant omnes PP. & DD. Catholici. Quorum argumenta in Scripturis & traditione fundata, prosequitur Bellarm. totis quinq; libris de Pontifice. parari à verâ & Catholicâ Christi Eccl.

Rectè tamen PP. sedem Apostolicam cum Ecclesiâ Romanâ perpetuò coniungunt; rectè iam quoque & deinceps nos coniungimus, quia certum & indubitatum est, eam coniunctionẽ tempore Veterum permansisse: hodiéque perdurare, ac verisimillimè inposterum etiam vsque ad finem seculi, perduraturam. Meretricibus illis Baronius non tribuit propriè mutationẽ sedis Romanæ, sed intrusionẽ Pontificum, qui nihil Pontifice dignum gesserunt, ad hoc solùm relicti, vt signarent annos. Pontificem, à quo, annum in quo, Episcopatum ad quem translata fuerit sedes Apostolica, nominare debet Dorscheus, si illam auulsam ab Ecclesiâ Romanâ vult persuadere. Inuisibilis, siue inperceptibilis sedis Apostolicæ mutatio, figmentum est ad Ecclesiam inuisibilem spectans. cap. 6. & 7. explosũ. Neque hactenus separatam fuisse ab Eccl. Ro.

ARGVMENTVM IV.

Vnitas & Concordia Doctrinæ in omnibus, quæ tanquam Fide certa, tradit Ecclesia Romano-Catholica.

KIRCHERVS.

Vnitatem *ait f.* 130. in doctrinâ fidei, quod concernit, eam requiri ad veram Ecclesiam, docet Symbolum Nicænum: quando Ecclesiam, sicut Catholicam & Apostolicam, ità & Vnam profitetur. Hanc autem reperiri in Romanâ Ecclesiâ, experientia testatur: cum eadem omninò doctrina per Germaniam, Galliam, Italiam, Hispaniam &c, in omnibus Catholicorum sonet Ecclesijs. 235.

Scriptores etiam diuersissimarum Nationum, & ætatum pulcherrimè inter se conueniunt omnes. Et quamuis in particulari quâdam materiâ, quæque Fidem non adeò propriè, vel propinquè concernat, alios ab alijs dissentire etiam contingat: illud tamen euenire non nisi in ijs Quæstionibus obseruamus, de quibus per publicam aliquam determinationem, adhuc nihil determinauit Ecclesia. Quo tempore cuique fas est sine tamen detrimento fidei, ingenio suo abundare, amplectíque quod velit, quod non velit, repudiare. Scriptores Cathol. inter se consentiunt de fide. De ijs, quæ definita non sunt, liberũ est hoc vel illud sentire.

Nemo interim alteri Nestorianismum, Eutychianismum, Enthusiasmum, aut similem detestabilem errorem obiectabit: quod in Acatholicorum Ecclesijs sæpè fieri animaduersum, sed pro se quisq; sentiet, dum licebit per autoritatem Ecclesiæ: consentiet vnusquisque cum alio, cum illa per publicam declarationem, sic aut aliter habendum esse iudicauerit. Et tantum esto de ordine, habitu, & Constitutione Ecclesiæ Catholicæ.

DORSCHEVS.

Vnitas fidei subdola & coacta in Papatu.

Replicat §. 271. denique I. *Vnitatem Fidei subleštam, subdolam, & coactam esse in Papatu: se docuisse in Præliminaribus, post Pappum, Hunniū, Gerardum, Botsaccum, Keslerum, alios. Nec id negare potest Kircherus, solùm ait*, dissensum esse liberum, nec se mutuò hæreseon reos agere contradicentes.

Ex Tannero constat, plurimos se mutuò errorum in fide accusare.

Io. Hackeri disputatio de prædestinatione.

Id verò miror, quantâ impudentiâ pronuntiauerit? Vel ex solâ Theologiâ Scholasticâ Tanneri, per singulas ferè disputationes, producere possemus, qui errorum in fide, & hæreseos se mutuò accusant, si vellemus latiùs exspatiari. Iac. Hackerus Profess. Friburgensis edidit disputationem de Prædestinatione, quam Andr. Vrcianus Ord. Min. de Obs. Mantuæ oppugnauit; cui Hackerus opposuit Apologiam, cuius titulus præfert Disputationis Mantuanæ, in quatuor, ex quibus coaluit elementa: Mendacia, hæreses, Antilogias, sordes sermonis, Analysin, Autore Iac. Hackero. *Sed satis diximus contra Kircherum de fundamentis Ordinis in Romanâ Ecclesiâ nullis.*

Innumera Confessionis argumenta posse produci.

Replicat II. *Confusionis argumenta innumera se posse producere, si id necesse foret. 1. Ex Ordinum multitudine. 2. Ex cerimoniarum varietate. 3. Ex Confraternitatum diuersitate. 4. Ex curatorum animarum concurrentiâ discordi. 5. Ex priuilegiorum & exemptionum distinctarum prætensione. 6. Ex traditionum aduersitate. 7. Ex officialium pluralitate. 8. Ex omnium sacrarum litium ad vnum Pontificem deuolutione. 9. Ex Nundinatione simonaicâ Curiæ Romanæ. 10. Ex Episcoporum ineptissimorum electione. 11. Ex peregrinationum ad loca sancta nimiâ deprædicatione. 12. Ex Casuum Conscientiæ reseruatione. Et alijs innumerabilibus abusibus, de quibus iam olim inter ipsos Papistas querela, nondum modela visa fuit. Multum ex vnico Flauij Cherubini compendio Bullarij Pontificum Romanorum, elici posset.*

Sed nobis tamen finiendum est.

RESPON-

RESPONDETVR.

Ad Replicam I. RESP. I. *Vnitatem Fidei subleftam, subdolam, coactam esse in Papatu* falsum esse conuincit, vel sola *Formula Professionis Fidei*, quam post Conc. Trid. edidit PIVS IV. totam eiusdem Conc. & Ecclesiæ Romano-Catholicæ doctrinam summatim complexus. In quâ doctrinâ conuenire omnes Catholicos, absq; vllâ discordiâ vel contradictione, itâ manifestum est, vt in contrarium exemplum nullum possit afferri. 236. Ad §. 271. Dorsch. In form. profess. Fidei Conc. Trid. omnes Catholici conueniunt.

RESP. II. Ea, quæ de dissensionibus Doctorum Catholicorum in Præliminaribus Dorscheus commemorat, nō esse discordiæ in Fide exempla, sed totidem Crimina falsi. Nihil enim eorum attulit, quæ in Ecclesiâ Catholicâ, tanquam fide certa & definita traduntur. Problemata sunt mera, necdum definita, nec fortassis definienda, quia ad Fidei integritatem & Fidelium salutem non sunt necessaria: ideóque Spiritus S. (*qui vt non deficit in necessarijs*, itâ *nec redundat in superfluis*,) ad eiusmodi definitiones Pontificem & Ecclesiam non mouet. Præliminn. Dorsch. de discordiâ Catholicorum, sunt totidem crimina falsi.

Hæc ad Fidem propriè & proximè non pertinent, sub quam nihil cadit, nisi quod, vt certò reuelatum proponitur. Spectant ergo ad Fidem solùm impropriè, & remotè, siue materialiter, quia talia sunt, quæ potuerunt à Deo reuelari, & verisimiliter reuelata, putantur; sed quia deficiente certitudine reuelationis, deficit formalis ratio fidei, Fide diuinâ non creduntur, nec vt talia tractantur. Quæ, cum non ignoret Dorscheus, à Crimine falsi excusari non potest, dum pro dissensionibus in Fide obijcit, quæ, an sint de Fide? non constat. Ad Fidem propriè non pertinent, nisi certò reuelata. In reliquis deficit formalis ratio fidei.

RESP. III. Impudēs igitur est Dorscheus, qui impudentiā Kirchero vera dicenti obijcit. Non sunt de Fide, in quibus dissentire liberum & licitum est; tales sunt Controuersiæ scholarum, à Tannero & alijs productæ & disputatæ. Aliud est errorem aut hæresin obijcere exploratam, aliud sub opinione sitā, quæ eo ipso non est hæresis. Hæc enim requirit *Veritatis certò reuelatæ, pertinacem & vt talis propositæ, impugnationē*. Quo poste- Hæresis sub opinione, non est hæresis.

riori sensu Catholici DD. hæresin sibi mutuò obiectare, neque si velint, possunt. Quia non est penès priuatos potestas definiendi, quid sit certò de Fide. Priori modo in scholis & libris, ex vnâ alterâue parte hæreses obtendi, prætendi, iactari etiam inter Catholicos: ídque feruentiùs & acerbiùs, (quàm par sit,) frequenter fieri, verum est, sed absque Veritatis Catholicæ præiudicio, quia *vana est sine Viribus ira*.

Hæresin propriè dictam sibi Catholici mutuò obiectare non possunt.

Secùs se res habet apud prætensos Euangelicos, qui tantum animi & virium sibi arrogant singuli, vt ex Scripturis solis discernere possint, quid sit Orthodoxum, quid Heterodoxum. Cum ergo Nestorianismum, Eutychianismum, aliásque hæreses sibi mutuò obiectant, definitiua est sententia, ex Soli-Biblico tripode prolata, à quâ appellare non liceat. Etsi enim Principes & Magistratus Acatholici, ex immeritò præsumptâ autoritate, eiusmodi controuersias componendi, aut quid tenendum sit, præcipiendi potestatem vsurpant: secundùm Euangelicorum tamen Principia, sum̄a rei ad scrutinium solibiblicum reuoluitur. Cui si Principum aut Magistratum sententiam, vel mandatum repugnare deprehendant, illud acceptare non debent, nec possunt. Definitiua ergo sententia est, quandocunq; Acatholici hæreses sibi mutuò, ex Verbo Dei etiam priuatim obiectant: non item apud Catholicos, apud quos vt hæreticum nihil damnatur, nisi quod tale esse, Ecclesia publicè pronuntiauit.

Cum Euangelici id faciunt inter se, definitiua est sententia.

Quidquid Principes de fide statuant, ad Sola-biblia deuoluitur.

Confusionis Catholicorum falsa improperia diluuntur, & partim retorquentur.

237. Ad Replicam II. RESP. I. Dorscheum agere, quod serui, seu *Villici iniquitatis* solent, cum rationem administrationis, seu *Villicationis* à malè conscijs, exigunt Domini. Ità enim illas vafrè & fraudulenter instituunt, vt nihil ipsi Domino, sed hic illis debere videatur. Hoc agit Dorscheus, Confusionem Ecclesiæ Lutheranæ à Kirchero demonstratam, in Romano-Catholicam

Dorsch. imitatur Villicos iniquitatis.

licam retorquere conatur, labore non minùs iniquo, quàm irrito.

Respondemus enim breuiter II. ad singula Confusionis falsò obiectæ improperia.

1. *Ordinum Religiosorum multitudo* Ordinis argumentum est, non Confusionis: perinde vt diuersitas legionum, cohortium, vexillorum, armorum, colorum in exercitu bene ordinato. Vnde propter hanc etiam Ordinum varietatem, Ecclesia meritò dici potest: *Pulchra & decora, terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Apud Acatholicos contrà, abolitis Religiosorum Ordinibus & perpetuæ Virginitatis statu, omnia in vnum coniugale chaos redacta sunt.

Religiosi ordines ornant Ecclesiam.

2. *Cerimoniarum varietatem*, falsò obiectat; sunt eæ pleræque vniformes, & non nisi modicè in quibusdam Ecclesijs aut Ordinibus, à communiori ritu deflexæ. Cæterùm nouimus plures, cerimoniarum Catholicarum vniformi pietate initio captos, Luthero, Caluinóque demum valedixisse. Apud quos vtrosque cerimoniæ maiorem partem nullæ, certè apud Caluinianos omnia tam profana, vt templa ab horreis, aut sphæristerijs, aulisque quoad diuini cultus signa, vix distent, neque conuentus sacri à ciuilibus.

Cerimoniarum pietate vniformi, plures capti.

3. *Fratetnitatum diuersitas*, neque ipsa Confusionis quidquā habet, sed ordinatissimæ pietatis decorem. Nihil Confusionis in magnis vrbibus pariunt Artificum opificúmq; diuersa Collegia: sed Rempublicam non solùm ornant, verùm etiam artes alunt & acuunt, plurimúmque Ciuilibus commodis deseruiunt. Habent Fraternitatum quoque Catholicarum sacra Collegia, decentissimum finem, præclara ad pietatem instituta, & animarum saluti idonea.

Fraternitatum ordinatissima pietas.

4. Falsum est *eorum, qui animos curant, apud nos esse concurrentiam discordem.* Sunt omnia certis limitibus & legibus diuisa ac definita; vbi discordiæ oriuntur, Episcoporum aliorúmque superiorum componuntur, vel compescuntur autoritate. Bella

Animarum cura certis legibus definita.

& lites nunquam defuerunt etiam in Ecclesiâ primitiuâ, quarum originem Iac. c. 4. v. 1. non refert in Confusionem Ecclesiæ, sed *in Concupiscentias, quæ militant in membris* litigantium. Leges autem, ipsámque iudicandi rationem, quam tum in his, tum in alijs instituit, & sequitur Ecclesia Romano-Catholica, vel Aduersarij laudare coguntur: vt non dudum fecit Caluinianus Io. Arn. Coruinus, in præfat. ad Aphorismos Iuris Canonici.

Exemptiones non illimitatæ.

5. *Priuilegia & exemptiones* suos quoque limites habent, quos cū excedantur, non deest legitima coercitio. Examinantur deinde ab Episcopis, aliisque superioribus, ne fortassis sint subreptitiæ; iidemq; eas interpretandi sibi reseruant potestatem.

Traditionū aduersitas nulla.

6. *Traditionum aduersitas* nulla est. Constat ex Catechismis & Formulis Professionum Fidei, quas vniuersa amplectitur Ecclesia. Qualem doctrinæ & Fidei Confusionem ac Vacillationem, induxerint Euangelistæ Soli-Biblici, Lutherus & Caluinus, toto Opere demonstrauimus, præsertim parte 1. cap. 5.

Officialium copiam exigit regiminis amplitudo.

7. *Officialium pluralitatem* ineptè obijcit Dorscheus. Magna Imperia, & amplæ Respublicæ, non administrantur sine multis Officialibus. Non est in Orbe Maior principatus aut Respublica, quàm Regimen Ecclesiasticum summi Pontificis: cui subsunt omnes Monarchæ, & Principes ac Respublicæ, qui Romano-Catholicam Fidem sequuntur. Quid ergo mirum est, tanti Regiminis molem non posse consistere, sine ingenti Officialium multitudine? Quæ tamen ipsa in suas classes ità est distributa, & sua cuique Officia assignata, vt Ordinem mirari intelligentes debeant, Confusionem accusare possit nemo.

Non omnes lites deuoluuntur ad P.R. nisi per appellationem.

8. *Sacrarum litium ad vnum Pontificem deuolutio* non fit nisi per appellationem, aut similia Iuris remedia. Habent Archiepiscopi, Episcopi, aliique Prælati sua tribunalia, & ius cognoscendi, ac terminandi causas ad se pertinentes. Ius verò appellandi ad Pontificem non est argumentum Confusionis, sed debiti Ordinis: quem alij quoque summi Principes in suis Impe-

rijs,

rijs, regnis, ac Principatibus obseruant, sibiq; reseruant. Confusio contrà mera est apud Acatholicos, vbi sacræ lites referuntur ad politicos Principes, Magistratus, imò & priuatos Imperij Nobiles, qui ius cognoscendi de rebus spiritualibus, vsurpant, sine legitimâ potestate, sine debitâ & ipsis ordinariè non competente sententiâ, deniq; sine authẽtico antiquitatis exemplo.

9. *Nundinatio Simoniaca*, aut aliter illicita, non prouenit ex legibus Ecclesiasticis, aut ordinationibus Curiæ Romanæ, sed earum violatione. Vnde non est argumentum Confusionis in Regimine Ecclesiastico, sed malitiæ & iniquitatis Humanæ, quæ non minùs diuinas, quam humanas leges transgreditur. Sed neque tanta est Nundinationis huius frequentia, quàm exaggerant aduersarij, neque impune toleratur, cum innotescit. Extant grauissima & recentia pœnarum exempla, quæ in eiusmodi homines modernus Pontifex Innocentius X. edidit. Denique si comparationem instituas, multò plures, certè non minorem reperies numerum, largitionûmque corruptelas in Aulis Principum & Curijs Rerumpublicarum, quàm in Curiâ Romanâ, etsi Ordinatissimæ existimentur. Nundinatio non est arg. Confusionis, sed malitiæ humanæ.

10. *Episcoporum ineptissimorum* exprobrata *electio* cedit in grauem Serenissimorum, Eminentissimorum, Celsissimorum S. R. I. Electorum Ecclesiasticorum, aliorúmque Archiepiscoporum & Episcoporum Contumeliam. Designa sodes, vel vnum in Germaniâ, ad Pontificale officium ineptum. Si Italiã, Galliam, Hispaniam lustrâsses, viros ibi quoque virtute, doctrinâ, omníque ornamentorum genere conspicuos, super Candelabrum Ecclesiæ positos, & in Domo Dei lucentes, prædicares vel inuitus. Aliquos ad Officia publica ineptos, frequenter obrepere, omnibus Imperijs & Rebuspublicis commune est; neque inde Ecclesia Confusionis argui debet. Nomina Sodes, Episcopos in Imp: officio suo ineptos.

11. *Peregrinationum deprædicatio nimia*, Conuitium est, in Catholicæ Ecclesiæ vetustissimum morem. Si abusus alicubi interueniunt, non sunt illi ex publicâ & probatâ doctrinâ, sed ex in- Peregrinantium deprædicatio est conuitium.

ex infirmitate, aut ignorantiâ. Nihil tu Dorschee, in humanæ vitæ siue sacrâ, siue profanâ societate, integrum relinques & intactum: cum nihil tam præclarè sit institutum, quo hominum improbitas aut stoliditas non possit, aut soleat abuti.

Casuum reseruatio ex Script. deriuatur.

12. Deniq; *Potestatem Casus reseruandi* deriuat Ecclesia Catholica, ex illo Christi Io. 20. v. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Neq; immoderata est eiusmodi Casuum, siue grauiorum Criminum apud nos reseruatio, sed ad disciplinam Christianam conseruandam ordinata. Neque difficiles sunt Prælati in absolutione per se, aut alios impertiendâ. Quâ in re Confusionem vestram de Doctrinâ Absolutionis, in memoriam tibi reuocamus: in Apolog. enim Confess. Aug. (quæ apud vos inter scripta Symbolica est,) art. 3. vbi explicatur, quæ sint *propriè Sacramenta*, itâ habetis: *Verè igitur sunt Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiæ*; & tamen non nisi duo sacramenta prædicatis & in praxi recipitis, *Baptismum & Cœnã.* In ipsâ verò Conf. Aug. art. 11. habetis: *Absolutionem priuatam in Ecclesijs retinendam esse:* & tamen Ministri vestri per VVirtembergiam, & vicina loca, (quod pluribus testimonijs firmare possumus) nunquam ipsi Absolutionem petunt aut accipiunt. Aut tam Sancti sunt, vt non indigeant, quod nemo credit; aut exemplo suo fidem faciunt Magistralem, Absolutionem apud vos esse superuacaneam, neque necessariò in Ecclesijs retinendam.

Confusio Lutheranorum de doctrinâ Absolutionis.

Ministri VVirtembergici illã nec petunt, nec accipiunt.

De innumerabilibus abusibus, quæ subiungit Dorscheus, nos innumerabiles falsitates meliori iure regerimus, post tot fallacium & falsitatum specimina, toto opere ab illo edita. Querelæ Catholicorum, si quæ sunt, Dorscheo seu Consolatore, seu aduocato non egent. Acquiescunt illi Matris Ecclesiæ prouidentiæ, & sciunt huius vitæ infirmitates abusibus obnoxias esse, frequenter sine vllâ illorum culpâ, qui omnia emendare vel emendari mallent, si humana conditio ferret. Dicit sibi

Innumeræ Dorschei falsitates.

ſibi *tandem finiendum eſſe*, rectiùs dixiſſet, *nunquam incipiendum fuiſſe*. Sed videmus illum eſſe *in felle amaritudinis, aduersùs veram Apoſtolicam, & Romano-Catholicam Chriſti Eccleſiam*, & in voluntariâ ac pertinaci *obligatione* defendendæ *iniquitatis*. Caueat ne ſimilia, quæ euenerunt Simoni Mago experiatur, qui Petri Apoſtolorum Principis, *ex cuius verbis Act. 8. v.3. hoc deſumpſimus*, ſucceſſores, tam effræni temeritate contemnit.

Capitis Anacephalæoſis.

Sed pertexamus telam deuiationum Dorſcheanarum, quarum in hoc quoque extremo Capite, vt principium, medium, ac finis inter ſe conſentiant, non parua ſeges eſt. 238.

Bellarminum non ſincere allegat, & nobis imponit, *quaſi ſummam rei in ſucceſſione Pontificum non perſonali, ſed locali conſtitueremus*, quod nunquam affirmauimus. Num. 230.

Eccleſiam *Catholicam, & Romanam*, fallaci acceptione inuoluit. Ibid.

Repetit nugas de *Ieroſolymâ inuiſibili* cap. 6. refutatas. Ibid.

Locum Pauli Epheſ. 4. v. 11. pro *perpetuâ Eccleſiæ infallibilitate* clariſſimum, & inuictum, vt alienum explodit. Num. 231.

Patribus falſum ſenſum de ſuo affingit. Ibid & Num. 234.

Nihil reſpondet *ad duo Kircheri argumenta*. Ibid.

Falſò *Chronologiam Gaulterij* allegat. Ibid.

In allegandis *Concilijs & Patribus*, dum ea affert, quæ pleraque Bellarminus diſſoluit, multiplicem ſtellionatum committit. Num. 233. & 234.

Taraſium à Pontifice appellatum *Patriarcham Generalem* falſò aſſerit. Ibid.

Duplex enorme Crimen falſi, committit *circa Concilium Conſtantinopolitanum particulare, quod falsò quoque appellat quintum*. Ibid.

Præliminaria eiuſdem *de diſcordiâ Catholicorum*, ſunt totidem crimina falſi. Num. 236.

Nihil cauſæ eſt, cur Dorſch plus tribuat Concil. prioribus, quàm poſterioribus.

234. RESP. IV. De Concilijs Lugdunenſi, Lateranenſi, & Florentino, quæ Dorſcheus dicit, *ſe nihil morari*: nihil cauſæ eſſe, cur minùs moretur Concilia iſta, quàm antiquiora, Omnia enim, etiam prima quatuor ſunt ipſi fallibilia, neque quidquam habent infallibilitatis, niſi quatenus reperiuntur concordare cum Scripturis. Sunt ergo etiam poſteriora autoritatis infallibilis, vbi cum Scripturâ conſentiunt. Lutherus certè in lib. de Concilijs. ità abiectè vniuerſim de Concilijs ſentit, ipſóq; nominatim Conc. I. Nicæno, vt non debeat Dorſcheus, ſi Magiſtri doctrinam ſequatur, vnum præ alio maioris facere, vel minoris.

Luthero etiam vetera Concilia fallibilia.

Certè ſumma dicti libri eſt: *Nihil opus eſſe Concilijs, cum etiam Vetera illa ſanctiſſima & celeberrima errauerint: & quilibet Parochi & Ludimagiſtri non minùs poſſint in Ec leſiâ, quàm quæuis maxima & numeroſiſſima Concilia.* Vel ergo pariter omnia Concilia reijciat Dorſcheus, vel cum antiquioribus recipiat & poſteriora; quod Vera Chriſti Eccleſia, (non minùs poſterioribus his ſeculis, quàm primis, & vſq; ad ſeculi finem futura ab omni errore fidei immunis,) iure ſummo exigit & meretur.

Ad §. 270. Dorſch. Irenæi locus clariſſimus.

Ad Replicam II. de Patribus. RESP. I. Irænei locum eſſe tam clarum, vt obſcurari non poſſit. Meritò ponderat Bellarm. lib. 2. de R. P. cap. 15. illud: *neceſſe eſt*, & illud: *omnem conuenire Eccleſiam*. Solum exemplum ſinceræ doctrinæ, quod affert Dorſch. non infert neceſſitatem, cur ad Eccleſiam Ro. conueniant, aut cum illâ conſentiant omnes aliæ.

Potentior principalitas infert exceſſum poteſtatis.

Neq; *potentior principalitas* eludi poteſt per illud, *quod non ſit abſoluta*, omnis enim Comparatiuus includit poſitiuum, & quendam reſpectum ad illa, quæ excedit, vel à quibus exceditur; exceſſus verò *potentioris principalitatis* infert maiorem potentiam, quæ non aliter rectè explicatur, quàm per maiorem poteſtatem, competentem Eccleſiæ Ro. quàm competat alijs Eccleſijs.

Denique, quod Irenæus *omnem Eccleſiam*, quam dicit, *neceſſe eſſe, vt conueniat ad Eccleſiam Ro.* explicat *eſſe eos, qui ſunt vndiq; fideles: & ſemper ab his, qui ſunt vndiq; in dictâ Eccleſiâ Ro. conſer-*

uatam

uatam esse eam, quæ ab Apostolis est, traditionem, significat non tātùm in Ecclesiâ Ro. vigere doctrinæ sinceritatem, sed ipsam hanc sinceritatem, ab omnibus fidelibus fuisse conseruatam, *in vnione & adhæsione ad hanc Ecclesiam, vt ad Caput & Matrem,* vt ait Bellarm. l. c. Neq; enim aliter intelligi potest, quomodo omnes alij fideles in Ecclesiâ Ro. conseruârint, vel conseruent Apostolicam traditionem Cur ista dissimulat Dorscheus? Quod postremò autumat, *potentiorem principalitatem posse desumi ex Vrbe Româ, quæ Caput Imperij & sedes Imp. erat:* de Irenæi ætate, cum grauissimas persecutiones Romæ pateretur Ecclesia, & Pontifices assiduè occiderentur, nullam habet veri speciem. Nunquam enim Ecclesia magìs premebatur, quàm Romæ. Vnde ergo tum ibi *potentior principalitas?* Quod simile quid tribuit *Concilio Chalcedonensi & Chalcedonensi,* fabulamentum est inane.

Quomodo traditio cōseruata sit in Eccl. Romanâ.

Quam suppositiam Athanasij, Dorscheus & Chamier designent epistolam, nescimus. Nos cum Bellarm. l. c. producimus *Epistolam ad Felicem Papam, & secundam Apologiam, & Librum de sententiâ Dionysij Episcopi.* Addimus Athanasium ab Orientalibus depositum, appellâsse ad Iulium I. Pontificem, & ab eo restitutum fuisse, teste Sozomeno lib. 3. c. 7. quod factū esse ante Conc. Sardicense, ipse Athanasius testatur initio. 2. Apologiæ. Legisti hæc vtique etiam apud Bellarm. lib. 2. de R. P. cap. 21.

Basilium ep. 52. ad Athanasium allegat idem Bellarm. lib. eodem c. 15. Pontifici Romano tribuentem *Ecclesias Orientis visitandi potestatem, & iudicij sui decretum interponendi.* Ostende sis Græcule, si Vires, & ineptam versionem demonstra.

Basilius pro autoritate P. R.

Ex Greg. Nazianzeno credimus à Kirchero indicatum Carmen, quod scripsit de vitâ suâ, vbi dicit *Ecclesiam Romanam semper conseruâsse veram de Deo sententiam, vt decet vrbem, quæ toti Orbi præsidet.* Quod non posse intelligi de temporali imperio, rectè monet Bellarm. l. c. Nam tum Imperij Romani sedes Constantino-

Greg. Naz. ait Eccl. Ro. præsidere toti orbi.

ſtantinopoli erat, non Romæ. Chamieri fidem, à quo hæc aliáque teſtimonia refutata ait Dorſcheus, non meliorem putamus, quam ipſiuſmet.

Ex Ambroſio nō deſignat Kircherus l. 3. de ſacramentis c. 1. *vbi dicit, ſe Eccleſiæ Romanæ in omnibus typū ſequi, & formam*, quāuis & ille locus magnam vim habeat, vt oſtendit Bellarm. l. c. ſed Orationem in Satyrum, in quâ Ambroſius refert, *interrogatum Epiſcopum quendam: ſi cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt, ſi cum Romanâ Eccleſiâ conueniret?* Cur quæſo ſubiungit Bellarm. *Epiſcopi Catholici non ſunt, niſi qui cum Ro. Eccleſiâ conueniunt: niſi quia Ro. Eccleſia eſt Caput Eccleſiæ Catholicæ?* Cur locum pro loco ſupponis ſtellio?

Ambroſ. idem ſentit.

Hieronymus *de obſeruantiâ in ſuum particularem Epiſcopum*, loqui non poteſt, cum *Damaſi ſe ouem* vocat. Erat enim Presbyter Antiochenus, non aliter ergo Damaſum Epiſcopum ſuum agnouit, quàm vt Eccleſiæ vniuerſalis Pontificem; quod ſequentia confirmant, quæ itidem Bellarm. l. c. exſcribit: &, te ſtellionatus ex more reum oſtendunt.

Hieron ouis Damaſi, vt Epiſcopi Eccleſ. vniuerſalis.

Apoſtolicæ Cathedræ Principatus Eccleſiæ Romanæ aſſignatus *ab Auguſtino*, plus quàm eminentiam dignitatis ſonant, ſi præſertim addas alia à Bellarm. ibidem ponderata. Legiſti; cur ſine replicâ ſtellio, ſolam ad hoc propoſitum dignitatem rancidè obtrudis?

Aug. Apoſtolicæ Cathedræ principatum agnoſcit.

Quod tandem Verborum claritate & pondere victus, dicis, *ſi Patres & Concilia altius quiddam intendiſſent: non tamen perennē aliquam dignitatem Eccleſiæ Ro. tribuiſſent*; mi homo, perenne eſſe, quidquid primatus & infallibilitatis Eccleſiæ Ro. tribuitur, conuincit eiuſdem perpetuitas & erroris immunitas, cap. 6. 7. 8. demonſtrata; non erit amplius vera Chriſti Eccleſia, ſi alterutrum, vel vtrumque in eâ deficiat. *Non eſt* equidem *omnino de fide, à Romanâ Eccleſiâ non poſſe ſeparari Apoſtolicam ſedem*, vt rectiſſimè aſſerit Bellarm. eſt autem omnino de Fide *ſedem Apoſtolicam, ſiue Primatum Petri & Succeſſorum eius, non poſſe ſeparari à verâ*

Dorſch. PP. autoritate victus, negat ab illis perpetuam dignitatem tribui E. R.

Fide certum eſt ſedem Apoſtolicam non poſſe ſe-

verâ Christi Ecclesiâ, vt consentiunt & probant omnes PP. & DD. Catholici. Quorum argumenta in Scripturis & traditione fundata, prosequitur Bellarm. totis quinq; libris de Pontifice.

parari à verâ & Catholicâ Christi Eccl.

Rectè tamen PP. sedem Apostolicam cum Ecclesiâ Romanâ perpetuò coniungunt; rectè iam quoque & deinceps nos coniungimus, quia certum & indubitatum est, eam coniunctionē tempore Veterum permansisse: hodiéque perdurare, ac verisimillimè inposterum etiam vsque ad finem seculi, perduraturam. Meretricibus illis Baronius non tribuit propriè mutationē sedis Romanæ, sed intrusionē Pontificum, qui nihil Pontifice dignum gesserunt, ad hoc solùm relicti, vt signarent annos. Pontificem, à quo, annum in quo, Episcopatum ad quem translata fuerit sedes Apostolica, nominare debet Dorscheus, si illam auulsam ab Ecclesiâ Romanâ vult persuadere. Inuisibilis, siue inperceptibilis sedis Apostolicæ mutatio, figmentum est ad Ecclesiam inuisibilem spectans. cap. 6. & 7. explosū.

Neque hactenus separatam fuisse ab Eccl. Ro.

ARGVMENTVM IV.

Vnitas & Concordia Doctrinæ in omnibus, quæ tanquam Fide certa, tradit Ecclesia Romano-Catholica.

KIRCHERVS.

Vnitatem *ait f.* 130. in doctrinâ fidei, quod concernit, eam requiri ad veram Ecclesiam, docet Symbolum Nicænum: quando Ecclesiam, sicut Catholicam & Apostolicam, ità & Vnam profitetur. Hanc autem reperiri in Romanâ Ecclesiâ, experientia testatur: cum eadem omninò doctrina per Germaniam, Galliam, Italiam, Hispaniam &c, in omnibus Catholicorum sonet Ecclesijs. 235.

Scriptores etiam diuersissimarum Nationum, & ætatum pulcherrimè inter se conueniunt omnes. Et quamuis in particulari quâdam materiâ, quæque Fidem non adeò propriè, vel propinquè concernat, alios ab alijs dissentire etiam contingat: illud tamen euenire non nisi in ijs Quæstionibus obseruamus, de quibus per publicam aliquam determinationem, adhuc nihil determinauit Ecclesia. Quo tempore cuique fas est sine tamen detrimento fidei, ingenio suo abundare, amplectíque quod velit, quod non velit, repudiare.

Scriptores Cathol. inter se consentiunt de fide.

De ijs, quæ definita non sunt, liberū est hoc vel illud sentire.

Mmm Nemo

Nemo interim alteri Nestorianismum, Eutychianismum, Enthusiasmum, aut similem detestabilem errorem obiectabit: quod in Acatholicorum Ecclesijs sæpè fieri animaduersum, sed pro se quisq; sentiet, dum licebit per autoritatem Ecclesiæ: consentiet vnusquisque cum alio, cum illa per publicam declarationem, sic aut aliter habendum esse iudicauerit. Et tantum esto de ordine, habitu, & Constitutione Ecclesiæ Catholicæ.

DORSCHEVS.

Vnitas fidei subdola & coacta in Papatu.

Replicat §. 271. denique I. *Vnitatem Fidei sublestam, subdolam, & coactam esse in Papatu: se docuisse in Præliminaribus, post Pappum, Hunniũ, Gerardum, Botsaccum, Keslerum, alios. Nec id negare potest Kircherus, solùm ait*, dissensum esse liberum, nec se mutuò hæreseon reos agere contradicentes.

Ex Tannero constat, plurimos se mutuò errorum in fide accusare.

Id verò miror, quantâ impudentiâ pronuntiauerit? Vel ex solâ Theologiâ Scholasticâ Tanneri, per singulas ferè disputationes, producere possemus, qui errorum in fide, & hæreseos se mutuò accusant, si vellemus latiùs exspatiari. Iac. Hackerus Profess. Friburgensis edidit disputationem de Prædestinatione, quam Andr. Vrcianus Ord. Min. de Obs. Mantuæ oppugnauit; cui Hackerus opposuit Apologiam, cuius titulus præfert Disputationis Mantuanæ, in quatuor, ex quibus coaluit elementa: Mendacia, hæreses, Antilogias, sordes sermonis, Analysin, Autore Iac. Hackero. *Sed satis diximus contra Kircherum de fundamentis Ordinis in Romanâ Ecclesiâ nullis.*

Io. Hackeri disputatio de prædestinatione.

Innumera Confessionis argumenta posse produci.

Replicat II. *Confusionis argumenta innumera se posse producere, si id necesse foret.* 1. *Ex Ordinum multitudine.* 2. *Ex cerimoniarum varietate.* 3. *Ex Confraternitatum diuersitate.* 4. *Ex curatorum animarum concurrentiâ discordi.* 5. *Ex priuilegiorum & exemptionum distinctarum prætensione.* 6. *Ex traditionum aduersitate.* 7. *Ex officialium pluralitate.* 8. *Ex omnium sacrarum litium ad vnum Pontificem deuolutione.* 9. *Ex Nundinatione simoniacâ Curia Romana.* 10. *Ex Episcoporum ineptissimorum electione.* 11. *Ex peregrinationum ad loca sancta nimiâ deprædicatione.* 12. *Ex Casuum Conscientiæ reseruatione. Et alijs innumerabilibus abusibus, de quibus iam olim inter ipsos Papistas querela, nondum modela visa fuit. Multum ex vnico Flauij Cherubini compendio Bullarij Pontificum Romanorum, elici posset.*

Sed nobis tamen finiendum est.

RESPON-

RESPONDETVR.

Ad Replicam I. RESP. I. *Vnitatem Fidei subleſtam, ſubdolam, coactam eſſe in Papatu* falſum eſſe conuincit, vel ſola *Formula Profeſſionis Fidei*, quam poſt Conc. Trid. edidit PIVS IV. totam eiuſdem Conc. & Eccleſiæ Romano-Catholicæ doctrinam ſummatim complexus. In quâ doctrinâ conuenire omnes Catholicos, abſq; vllâ diſcordiâ vel contradictione, itâ manifeſtum eſt, vt in contrarium exemplum nullum poſſit afferri. 236. Ad §. 271. Dorſch. In form. profeſſ. Fidei Conc. Trid. omnes Catholici conueniunt.

RESP. II. Ea, quæ de diſſenſionibus Doctorum Catholicorum in Præliminaribus Dorſcheus commemorat, nō eſſe diſcordiæ in Fide exempla, ſed totidem Crimina falſi. Nihil enim eorum attulit, quæ in Eccleſiâ Catholicâ, tanquam fide certa & definita traduntur. Problemata ſunt mera, necdum definita, nec fortaſſis definienda, quia ad Fidei integritatem & Fidelium ſalutem non ſunt neceſſaria: ideóque Spiritus S. (*qui vt non deficit in neceſſarijs*, itâ *nec redundat in ſuperfluis*,) ad eiuſmodi definitiones Pontificem & Eccleſiam non mouet. Præliminar. Dorſch. de diſcordiâ Catholicorum, ſunt totidem crimina falſi.

Hæc ad Fidem propriè & proximè non pertinent, ſub quam nihil cadit, niſi quod, vt certò reuelatum proponitur. Spectant ergo ad Fidem ſolùm impropriè, & remotè, ſiue materialiter, quia talia ſunt, quæ potuerunt à Deo reuelari, & veriſimiliter reuelata, putantur: ſed quia deficiente certitudine reuelationis, deficit formalis ratio fidei, Fide diuinâ non creduntur, nec vt talia tractantur. Quæ, cum non ignoret Dorſcheus, à Crimine falſi excuſari non poteſt, dum pro diſſenſionibus in Fide obijcit, quæ, an ſint de Fide? non conſtat. Ad Fidem propriò non pertinent, niſi certò reuelata. In reliquis deficit formalis ratio fidei.

RESP. III. Impudēs igitur eſt Dorſcheus, qui impudentiâ Kirchero vera dicenti obijcit. Non ſunt de Fide, in quibus diſſentire liberum & licitum eſt; tales ſunt Controuerſiæ ſcholarum, à Tannero & alijs productæ & diſputatæ. Aliud eſt errorem aut hæreſin obijcere exploratam, aliud ſub opinione ſitā, quæ eo ipſo non eſt hæreſis. Hæc enim requirit *Veritatis certò reuelatæ, pertinacem & vt talis propoſitæ, impugnationē.* Quo poſteriori Hæreſis ſub opinione, non eſt hæreſis.

riori sensu Catholici DD. hæresin sibi mutuò obiectare, neque si velint, possunt. Quia non est penes priuatos potestas definiendi, quid sit certò de Fide. Priori modo in scholis & libris, ex vnâ alterâue parte hæreses obtendi, prætendi, iactari etiam inter Catholicos: idque feruentiùs & acerbiùs, (quàm par sit,) frequenter fieri, verum est, sed absque Veritatis Catholicæ preiudicio, quia *vana est sine Viribus ira.*

Hæresin propriè dictam sibi Catholici mutuò obiectare non possunt.

Secùs se res habet apud prætensos Euangelicos, qui tantum animi & virium sibi arrogant singuli, vt ex Scripturis solis discernere possint, quid sit Orthodoxum, quid Heterodoxum. Cum ergo Nestorianismum, Eutychianismum, aliásque hæreses sibi mutuò obiectant, definitiua est sententia, ex Soli-Biblico tripode prolata, à quâ appellare non liceat. Etsi enim Principes & Magistratus Acatholici, ex immeritò præsumptâ autoritate, eiusmodi controuersias componendi, aut quid tenendum sit, præcipiendi potestatem vsurpant: secundùm Euangelicorum tamen Principia, summa rei ad scrutinium solibiblicum reuoluitur. Cui si Principum aut Magistratum sententiam, vel mandatum repugnare deprehendant, illud acceptare non debent, nec possunt. Definitiua ergo sententia est, quandocunq; Acatholici hæreses sibi mutuò, ex Verbo Dei etiam priuatim obiectant: non item apud Catholicos, apud quos vt hæreticum nihil damnatur, nisi quod tale esse, Ecclesia publicè pronuntiauit.

Cum Euangelici id faciunt inter se, definitiua est sententia.

Quidquid Principes de fide statuant, ad Sola-biblia deuoluitur.

Confusionis Catholicorum falsa improperia diluuntur, & partim retorquentur.

237. Ad Replicam II. RESP. I. Dorscheum agere, quod serui, seu *Villici iniquitatis* solent, cum rationem administrationis, seu *Villicationis* à malè conscijs, exigunt Domini. Ità enim illas vafrè & fraudulenter instituunt, vt nihil ipsi Domino, sed hic illis debere videatur. Hoc agit Dorscheus, Confusionem Ecclesiæ Lutheranæ à Kirchero demonstratam, in Romano-Catholicam

Dorsch. imitatur Villicos iniquitatis.

licam retorquere conatur, labore non minùs iniquo, quàm irrito.

Respondemus enim breuiter II. ad singula Confusionis falsò obiectæ improperia.

1. *Ordinum Religiosorum multitudo* Ordinis argumentum est, non Confusionis: perinde vt diuersitas legionum, cohortium, vexillorum, armorum, colorum in exercitu bene ordinato. Vnde propter hanc etiam Ordinum varietatem, Ecclesia meritò dici potest: *Pulchra & decora, terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Apud Acatholicos contrà, abolitis Religiosorum Ordinibus & perpetuæ Virginitatis statu, omnia in vnum coniugale chaos redacta sunt. Religiosi ordines ornant Ecclesiam.

2. *Cerimoniarum varietatem*, falsò obiectat; sunt eæ pleræque vniformes, & non nisi modicè in quibusdam Ecclesijs aut Ordinibus, à communiori ritu deflexæ. Cæterùm nouimus plures, cerimoniarum Catholicarum vniformi pietate initio captos, Luthero, Caluinóque demum valedixisse. Apud quos vtrosque cerimoniæ maiorem partem nullæ, certè apud Caluinianos omnia tam profana, vt templa ab horreis, aut sphæristerijs, aulísque quoad diuini cultus signa, vix distent, neque conuentus sacri à ciuilibus. Cerimoniarum pietate vniformi, plures capti.

3. *Fraternitatum diuersitas*, neque ipsa Confusionis quidquā habet, sed ordinatissimæ pietatis decorem. Nihil Confusionis in magnis vrbibus pariunt Artificum opificúmq; diuersa Collegia: sed Rempublicam non solùm ornant, verùm etiam artes alunt & acuunt, plurimúmque Ciuilibus commodis deseruiunt. Habent Fraternitatum quoque Catholicarum sacra Collegia, decentissimum finem, præclara ad pietatem instituta, & animarum saluti idonea. Fraternitatum ordinatissima pietas.

4. Falsum est *eorum, qui animos curant, apud nos esse concurrentiam discordem.* Sunt omnia certis limitibus & legibus diuisa ac definita; vbi discordiæ oriuntur, Episcoporum aliorúmque superiorum componuntur, vel compescuntur autoritate. Bella Animarum cura certis legibus definita.

& lites nunquam defuerunt etiam in Ecclesiâ primitiuâ, quarum originem Iac. c. 4. v. 1. non refert in Confusionem Ecclesiæ, sed *in Concupiscentias, quæ militant in membris* litigantium. Leges autem, ipsámque iudicandi rationem, quam tum in his, tum in alijs instituit, & sequitur Ecclesia Romano-Catholica, vel Aduersarij laudare coguntur: vt non dudum fecit Caluinianus Io. Arn. Coruinus, in præfat. ad Aphorismos Iuris Canonici.

Exemptiones non illimitatæ.

5. *Priuilegia & exemptiones* suos quoque limites habent, qui cũ exceduntur, non deest legitima coercitio. Examinantur deinde ab Episcopis, aliísque superioribus, ne fortassis sint subreptitiæ; iidemq; eas interpretandi sibi reseruant potestatem.

Traditionũ aduersitas nulla.

6. *Traditionum aduersitas* nulla est. Constat ex Catechismis & Formulis Professionum Fidei, quas vniuersa amplectitur Ecclesia. Qualem doctrinæ & Fidei Confusionem ac Vacillationem, induxerint Euangelistæ Soli-Biblici, Lutherus & Caluinus, toto Opere demonstrauimus, præsertim parte 1. cap. 5.

Officialium copiam exigit regiminis amplitudo.

7. *Officialium pluralitatem* ineptè obijcit Dorscheus. Magna Imperia, & amplæ Respublicæ, non administrantur sine multis Officialibus. Non est in Orbe Maior principatus aut Respublica, quàm Regimen Ecclesiasticum summi Pontificis: cui subsunt omnes Monarchæ, & Principes ac Respublicæ, qui Romano-Catholicam Fidem sequuntur. Quid ergo mirum est, tanti Regiminis molem non posse consistere, sine ingenti Officialium multitudine? Quæ tamen ipsa in suas classes ità est distributa, & sua cuique Officia assignata, vt Ordinem mirari intelligentes debeant, Confusionem accusare possit nemo.

Non omnes lites deuoluuntur ad P.R. nisi per appellationem.

8. *Sacrarum litium ad vnum Pontificem deuolutio* non fit nisi per appellationem, aut similia Iuris remedia. Habent Archiepiscopi, Episcopi, aliíque Prælati sua tribunalia, & ius cognoscendi, ac terminandi causas ad se pertinentes. Ius verò appellandi ad Pontificem non est argumentum Confusionis, sed debiti Ordinis: quem alij quoque summi Principes in suis Imperijs,

rijs, regnis, ac Principatibus obseruant, sibiq; reseruant. Confusio contrà mera est apud Acatholicos, vbi sacræ lites referuntur ad politicos Principes, Magistratus, imò & priuatos Imperij Nobiles, qui ius cognoscendi de rebus spiritualibus, vsurpant, sine legitimâ potestate, sine debitâ & ipsis ordinariè non competente sententiâ, deniq; sine authêtico antiquitatis exemplo.

9. *Nundinatio Simoniaca*, aut aliter illicita, non prouenit ex legibus Ecclesiasticis, aut ordinationibus Curiæ Romanæ, sed earum violatione. Vnde non est argumentum Confusionis in Regimine Ecclesiastico, sed malitiæ & iniquitatis Humanæ, quæ non minùs diuinas, quam humanas leges transgreditur. Sed neque tanta est Nundinationis huius frequentia, quàm exaggerant aduersarij, neque impune toleratur, cum innotescit. Extant grauissima & recentia pœnarum exempla, quæ in eiusmodi homines modernus Pontifex Innocentius X. edidit. Denique si comparationem instituas, multò plures, certè non minorem reperies numerum, largitionúmque corruptelas in Aulis Principum & Curijs Rerumpublicarum, quàm in Curiâ Romanâ, etsi Ordinatissimæ existimentur.

Nundinatio non est arg. Confusionis, sed malitiæ humanæ.

10. *Episcoporum ineptissimorum* exprobrata *electio* cedit in grauem Serenissimorum, Eminentissimorum, Celsissimorum S. R. I. Electorum Ecclesiasticorum, aliorúmque Archiepiscoporum & Episcoporum Contumeliam. Designa sodes, vel vnum in Germaniâ, ad Pontificale officium ineptum. Si Italiã, Galliam, Hispaniam lustrâsses, viros ibi quoque virtute, doctrinâ, omníque ornamentorum genere conspicuos, super Candelabrum Ecclesiæ positos, & in Domo Dei lucentes, prædicares vel inuitus. Aliquos ad Officia publica ineptos, frequenter obrepere, omnibus Imperijs & Rebuspublicis commune est; neque inde Ecclesia Confusionis argui debet.

Nomina Sodes, Episcopos in Imp. officio suo ineptos.

11. *Peregrinationum deprædicatio nimia*, Conuitium est, in Catholicæ Ecclesiæ vetustissimum morem. Si abusus alicubi interueniunt, non sunt illi ex publicâ & probatâ doctrinâ, sed

Peregrinantium deprædicatio est conuitium.

ſibi *tandem finiendum eſſe*, rectiùs dixiſſet, *nunquam incipiendum fuiſſe*. Sed videmus illum eſſe *in felle amaritudinis*, *aduersùs veram Apoſtolicam, & Romano-Catholicam Chriſti Eccleſiam*, & inuoluntariâ ac pertinaci *obligatione* defendendæ *iniquitatis*. Caueat ne ſimilia, quæ euenerunt Simoni Mago experiatur, qui Petri Apoſtolorum Principis, *ex cuius verbis Act. 8. v. 3. hoc deſumpſimus*, ſucceſſores, tam effræni temeritate contemnit.

Capitis Anacephalæoſis.

Sed pertexamus telam deuiationum Dorſcheanarum, quarum in hoc quoque extremo Capite, vt principium, medium ac finis inter ſe conſentiant, non parua ſeges eſt. 238.

Bellarminum non ſincerè allegat, & nobis imponit, *quaſi ſummam rei in ſucceſſione Pontificum non perſonali, ſed locali conſtitueremus*, quod nunquam affirmauimus. Num. 230.

Eccleſiam *Catholicam, & Romanam*, fallaci acceptione inuoluit. Ibid.

Repetit nugas de *Ieroſolymâ inuiſibili* cap. 6. refutatas. Ibid.

Locum Pauli Epheſ. 4. v. 11. pro *perpetuâ Eccleſiæ infallibilitate* clariſſimum, & inuictum, vt alienum explodit. Num. 231.

Patribus falſum ſenſum de ſuo affingit. Ibid & Num. 234.

Nihil reſpondet *ad duo Kircheri argumenta*. Ibid.

Falſò *Chronologiam Gaulterij* allegat. Ibid.

In allegandis *Concilijs & Patribus*, dum ea affert, quæ pleraque Bellarminus diſſoluit, multiplicem ſtellionatum committit. Num. 233. & 234.

Taraſium à Pontifice appellatum *Patriarcham Generalem* falſò aſſerit. Ibid.

Duplex enorme Crimen falſi, committit *circa Concilium Conſtantinopolitanum particulare, quod falsò quoque appellat quintum*. Ibid.

Præliminaria eiuſdem *de diſcordiâ Catholicorum*, ſunt totidem crimina falſi. Num. 236.

Impudenter *pro exemplis huius discordiæ, ex Tannero* obijcit *controuersias scholasticas, de quibus Ecclesia nihil definiuit.* Ibid.

Duodecim *Confusionis Catholicorum non argumenta, sed improperia* siue calumnias cumulat. Num. 236.

Ecce! quisquis ista bonâ mente leges, pondera, quàm nihil in toto Dorschei Hodegetico sit sincerum, aut à fraudibus criminibus falsi, sophismatibus intactum. Videbatur sub finem Capitis primi, Kircherum vno impetu obruere Deuiationibus aceruatim obiectis: etsi neque vna sit veri nominis. Putabamus singula deinceps Capita, simili huius Mercurij aceruo oppilanda; sed neq; semel quidem vllas deuiationes singillatim postea expressit, generatim, non nisi semel atque iterum illas incusâsse contentus: quas vel in digitis recensere non omisisset, nisi audaciæ defuisset materia, saltem in speciem colorata.

Quid ergo superest, nisi vt de Ecclesiâ quoque, sicuti de Scripturâ, parte 1. fecimus: cordatissimè per alterum syllogismum, quem in vestibulo operis proposuimus, concludamus.

Illa Ecclesia, quæ infallibili autoritate dirigit Fidem & Mores: secundùm Regulam omnis Veritatis cælestis, siue Verbi diuini tum scripti, tum non scripti, est adeunda, vt per se patet.

Ecclesia Catholica hoc agit. Vtpote, quam vsq; ad finem mundi perpetuo fore visibilem, siue cognoscibilem. cap. 6. nunquam posse totam errare in fide, cap. 7. neque aliam hanc esse, quàm Romanam, cap. 8. reiectâ Synagogæ Lutheranæ Confusione cap. 9. defensâ denique ordinatissimâ Ecclesiæ Romano-Catholicæ constitutione, cap. 10. solidè & perspicuè demonstrauimus.

Ergo Ecclesia Catholica est adeunda.

Quod dum fecit Kircherus, illustre exemplum omnibus, literatis præsertim, à Regiâ Ecclesiæ Catholicæ viâ deuiantibus, proposuit: vt momenta Religionis, vnde æterna salus dependet,

det, expendant sincerè, seriò, constanter. Ne in tremendo iudicio aliquando deprehendantur fuisse ex illis, qui ps. 113. *simulacra* prætensæ Veritatis colentes, *Os habent* ex ponendi animum in Religione fluctuantem, *& non loquentur.* *Oculos habent* perspiciendi veritatem, quæ inter tot falsa & fraudes, frustra fingitur, *& non videbunt* solem in meridie. *Aures habent*, sed occupatas à Ministris toties conuictis, *& non audient* Magistros veritatis Catholicæ, qui hoc vnum petunt, vt audiantur. *Nares habent* odorandi sanctitatis exempla, quæ innumera spirat Ecclesia Catholica, *& non odorabunt,* dementati nidore ollarum Ægypti, libertatis carnis, & respectuum humanorum. *Manus habent* ad amplectendam veritatem à Deo datas, *& non palpabunt*, quid intersit inter ignem & aquam. *Pedes habent* ad ambulandas eas vias, de quibus Ierem. c. 6. v. 16. monet: *Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in eâ.* neque est alia, quàm Via Catholica, *& non ambulabunt in illâ*, sed in aliâ, in quâ non est vestigium SS. PP. & DD. ab omnibus retrò seculis reperire &c. *Sed nos qui viuimus*, in Ecclesiâ Romano-Catholicâ, *benedicimus Domino in seculum seculi:* qui pro infinitâ misericordiâ, faciat, *vt idem sapiamus omnes, eandem Caritatem habentes, idipsum sentientes.* Philipp. 2. v. 2.



Præliminarium Dorſcheanorum eliminatio.

PErſtrinxit Kircherus, in ſuâ ad Illuſtriſſimum ac Reuerendiſſimum Archiepiſcopum Strigonienſem dedicatoriâ, *ſiniſtra Euangelicorum, de Eccleſiâ Catholicâ, iiſq; qui à Luthero, Caluino, aliiſq; errorum Magiſtris ad illam tranſeunt, iudicia.* Id ægreferens Dorſcheus, initio ſui Hodegetici, ſimilia corruptiſſima iudicia, in nos potiùs transferre nititur. Ea bipartita facit: *quædam, quibus ſiniſtrè iudicemus inter nos; alia, quibus corruptâ ſententiam feramus de Euangelicis.* Vniuerſa in Præliminaria digeſſit, criminibus falſi, & ſtellionatus, petitionibus principij, aliiſque fallacijs, & ſophiſmatibus referta: eo fine, vt velut obiecto glaucomate, & inſperſo puluere, Lectoris oculos obnubilet. Ne Veritatis Catholicæ & Kircheri, fundamenta argumentáue inuicta perſpiciat, ſed in ipſo limine tantâ criminationum mole repercuſſus à Religionis Catholicæ perſcrutandæ ſtudio reſiliat, omníſque de illâ euaneſcat cogitatio, aut affectus refrigeſcat. Quam ſingularem huius hominis fraudem, in pluribus libris, (quibus eadem hæc, aut ſimilia Præliminaria præfixit) ab ipſo vſurpatam, clariùs Lector intelliget, vbi in ſingulis Limen & Limites Veritatis ac ſinceritatis Chriſtianæ ipſum exceſſiſſe breuiſſimè oſtenderimus; intento ſæpiùs in ea operis noſtri loca digito, vbi iſta explicantur.

Corrupta Catholicorum inter ſe iudicia falſo iiſdem imponi.

I. Circa Canonem de Authentiâ Verſionis Vulgatæ.

Ad §. 3. Dorſch. Exaggerat Dorſch. §. 3. quod aliqui ſingulos Editionis vulgatæ apices velint eſſe authenticos, grauéſque ſuper eâ re in Hiſpaniâ, ex Marianâ refert extitiſſe contentiones. Oſtendimus Parte 1. cap. 3. Num. 91. & 92. Arg. 4. f. 152. & ſeqq. dictam editionem non eſſe Authenticam, niſi eo ſenſu, quod nullum in Fide & Moribus contineat errorem. Hocque ſolùm apud omnes Catholicos eſſe Fide certum; illos qui vlteriùs progrediuntur, ipſâ Eccleſiæ praxi refelli, neq; ipſi præiudicare.

II. Circa materiam de puritate fontium Veteris & Noui teſtamenti.

Ad §. 4. Dorſch. Fontes Hebræos nullam corruptionem in Fide aut Moribus paſſos, demonſtramus ex publicâ Sedis Apoſtolicæ ſententiâ, praxi, & vſu, dicto cap. 3. Argum. 7. Num. 97. f. 162. & ſeq. Certè ſi aliqua corruptela Fidei aut Morum ibi eſſet, (vt aliqui minùs accurati aut cauti exiſtimant,)

ſtimant,) per Editionem Vulgatam illi conſultum Catholici crederemus vniuerſi. Fruſtra igitur §. 4. hanc nobis litem Fidei neutiquam præiudicantem, obiectat Dorſcheus.

III. Circa decretum de emendatione Vulgatæ Verſionis.

Mirè hâc de re paratragædiatur §. 5. & 6. ac ſæpiùs in decurſu Hodegetici, cramben iſtam de Biblijs Sixtinis recoquit. Reſpondimus dilucidè l. c. arg. 4. f. 154. Concordiam in doctrinâ Fidei & morum, per Sixtinam editionem minimè violatam. Ex diuerſis enim Sixti V. & Clementis VIII. lectionibus neque vna proferri poteſt, quæ ab alterâ, in doctrinâ Fidei & Morum diſſentiat. Profer vel vnam Dorſchee, ſi Vires: quod quia non potes, fatere per calumniam diſſenſionem fidei nobis à te hîc obiectari. Reſpondemus ib. abundè de promulgatione decreti Sixtini. Ad §. 5. & 6. Dorſch.

IV. Circa Materiam de prædeterminatione gratiæ diuinæ.

Plures pagellas §. 7. & 8. infercit, vaniſſimis hâc de controverſiâ allegationibus. Reſpondemus parte 1. cap. 1. §. 10. num. 34. f. 44. & ſeq. item f. 113. nihil hâc de re ab Eccleſiâ definitum; in causâ ſimplicium de Fide deliberantium ineptè Scholaſticas lites obijci; non audere Dorſcheum Symmyſtarum ſuorum diſſenſiones in grauiſſimis rebus, Idiotis ſuis aperire &c. Per crimen falſi igitur diſſenſionem in Fide nobis obijcit, vbi neutrum Fide certum eſt. Ad §. 7. & 8. Dorſch.

V. Circa negotium de immaculatâ Conceptione B. Virginis.

Non maioris ponderis eſt argumentum diſcordantis Fidei, hæc Controuerſia. Neque enim aliud probat, quàm Dorſcheum iteratò peccâſſe Crimine falſi, ſcit non poſſe eſſe pugnam de Fide in eo, quod neutra ex parte eſſe de Fide, Catholici omnes conſentiunt. Ferd. Salazar vtrùm feruorem ac Zelum in hâc causâ, Paulo V. aliiſq; Catholicis commendabilem exhibuerit, nihil attinet diſquirere. Si huius rei definitio ſaluti fidelium deinceps neceſſaria erit, ad eam Spiritus S. Eccleſiam ſuam excitabit. Non foret finis definitionum Fidei, ſi omnia, de quibus ſcholæ ardentiùs, & intemperantiùs diſceptant, quàm par eſt, definienda eſſent. Indulgentiæ & preces ſuper Immaculatâ B. V. Conceptione conceduntur, vt quanto maior eſt veneratio puritatis maternæ, tanto maior redundet honor in Filium. Neque intentio vel Pontificis, vel Fidelium fertur vltra id, quod reipsâ ſubeſt. Hoc, ſi taliter ſentientiū opinione minus eſt, in illo termino acquieſcunt, quem Deus, etſi præ- Ad §. 9. 10 11. 12. Dorſch.

ter ipsorum opinionem, fixit. Quæ tam bona mens non indigna est, vt vel Indulgentiam accipiat, vel id quod rogat, imò vtrumque. Habes igitur Dorschee responsum ad illud, quod de Indulgentijs, & precibus ad finem §. 11. allcuisti. Nec quæstionis huius statum à te quidem, intelligi, ostendimus Parte 1. cap. 5. §. 4. f. 276. & 277.

VI. Circa controuersiam de Potestate Papæ in temporalibus.

Ad §. 13. & 14. Dorsch. Non est de Fide Papam habere directè potestatem in temporalibus. Cur ergo rursus te falsi crimine adstringis? Cur §. 13. & 14. obijcis concertationes DD. qui parati sunt se submittere Iudicio sedis Apostolicæ? Quâ de re, quod satis est, respondimus parte 2. cap. 3. §. 2. Num. 217. f. 491. Neq; alterum crimen dissimulari debet, quod Riberam in cap. 14. Apocal. allegat, veluti illud: *Cecidit, cecidit Babylon magna &c,* explicet de Româ Pontificiâ, cum toto cap: contrà disputet: *Porro ergo* ait, num. 39. *Quod verissimum est, in omnibus, quæ de Babylone, id est, de Româ, ab Apost. nostro* (Ioanne in Apocal.) *dicta sunt: nihil non solum de Ecclesiâ Romanâ, aut sede Apostolicâ dictum esse: Verum NB. neque de ciuitate, qualis sub Apostolicâ sede ante plurimos annos fuit, & nunc est, & qualis Romano Pontifice ac moderatur semper est futura.* Vbi frons tua Dorschee? vbi Crassi tui, si ipse Riberã allegauit? Cur non ipse legisti?

VII. Circa disputationes miscellas alias.

Ad §. 15. & 16 Dorsch. Tria tangit: diuersas & contrarias de cultu Imaginum sententias; item de Reliquijs Sanguinis Christi in terris §. 15. denique litem inter Monachos & Iesuitas de Translatione Monasteriorum. §. 16. Verùm amabo te? quid ista ad Fidem? Consentiunt omnes Catholici, & credunt Imagines colendas cultu Religioso. Modus colendi, in quo dissentiunt, ad Fidem non pertinet. Si aliquid veri Sanguinis Christi in terris remansit, venerandum esse nemo Catholicus negat: neque aliter, quàm sub hâc hypothesi, vbi esse dicitur, illum veneramur, cultu absolutè in ipsum Christum tendente. *Ad P. R. Ecclesiarum, personatuum, dignitatum, aliorúmque beneficiorum Ecclesiasticorum plenam & liberam dispositionem, ex sua potestatis plenitudine,* Catholici omnes (prout in Conc. Viennensi sancitum est, & refertur Clem. I. vt lite pend.) *noscimus pertinere.* An absolutâ, vel ordinatiâ potestate eâ in re vtatur, non pertinet ad Fidem. Qui immoderatiùs & acerbiùs, in similibus causis, hanc vel illam partem propugnant, non præiudicant Fidei, sed ædificationi: immemores Apostoli monentis: *Vnde bella & lites in vobis &c.* Iac. 4. v. 1. & 2.

Inspice

Inspice Manticam Lutheranam Dorschee.

Dissensiones inquam vestras *de Vbiquitate, de doctrinâ Ioannis Arndij, Rathmanni, Calixti &c*, quæ hodiéque vigent, aut in suspenso hærent indecisæ. Reuolue *Repetitionem & Declarationem Articulorum Controuersorum inter Theologos C. A.* quæ partem non exiguam Libri Concordiæ occupat: *de rebus grauissimis*, vt habet Præfatio, *& prorsus talibus, vt illius partis, quæ à vero aberrat, sententia in Ecclesia Dei nec debeat, nec possit ferri, nedum excusari, aut defendi.* Neque dicas super his concordatum esse, in ipso Libro Concordiæ. Infida Fidei concordia, cuius Autores & confirmatores, siue Theologi, siue Principes aliique status, non habuerunt *Infallibilem Regiminis diuini Assistentiam.* Quid si Euangelij germanum sensum non sunt assecuti? Infallibilis non est illorum Autoritas; ergo neque Concordia; sed gliscit sub cineribus discordia. Quæ apud Catholicos, postquam Ecclesia sententiam tulit, locum habet nullum. Corrupta igitur sunt vestra de dissensionibus nostris in Fide Iudicia, dum nullam veri nominis afferatis, nec afferre possitis.

Non esse corrupta Catholicorum, vt Dorscheus fingit, de Euangelicis Iudicia.

I. In autoritatis Vulgatæ Versionis contra Hieronymum, prætensâ negatione.

Pauca hâc de re Dorsch. §. 17. *Ademptam Vulgatæ editioni autoritatem* arguit, *quod tot annorum decursibus in Ecclesiâ non habuit locum &c.* Ad §. 17. Dorsch. Atqui vero Conc. Trid. sess. 4. in Decreto de edit & vsu Sacr. libr. *longo tot seculorum vsu, eam editionem ab Ecclesiâ probatam* asserit. Corruptè iudicat, qui Conciliorum iudicium contemnit; eiusdem Autoritatis est Conc. Trid. cuius fuit Nicænum; neque enim Ecclesiæ Autoritas seculorum lapsu minuitur. Autori Versionis Vulgatæ directio diuina non defuit, siue mediata, siue immediata. Hieronymum solum non facimus autorem; neq; opus est, vt discamus â Dorsch. illum non fuisse omnium librorum Scripturæ interpretem. Vide, quæ diximus Cap. 3. Arg. 7. n. 98. f. 136. imo toto Capitis illius decursu, necessitatem Versionis Authenticæ, quâ carent Euangelici, demonstrantes.

II. In depulsione Pontificis de throno Hierocritico.

Nimis quàm corruptum oportet esse Dorschei, & sequacium, de autoritate Pontificis iudicium, quam in eod. prælim. §. 17. præcipuè oppugnat Ad eundẽ §.

pugnat

pugnat autoritate Alphonsi à Castro, & Marlorati. Quorum iste homo profanus, non magni ponderis est in causâ Religionis. Alter idipsũ docet, in quo Catholici omnes consentiunt: *Concilia Generalia autoritate Pontificis congregata errare non posse, & præbere infallibilem Fidei Regulam.* Imò addit, *se credere, quod Dominus nunquam sit permissurus totum Collegium Cardinalium hæresi maculari.* Vide, quæ diximus cap. 1. §. 8. num. 27. f. 29. & cap. 3. arg. 2. num. 87. f. 143.

III. In Patrum discretâ ad Sacra firmanda admissione.

Ad §. 18. 19. 20. 21. Dorsch. Hic scilicet §. 18. 19. 20. 21. Triumphum instituit Dorscheus, quem in cœlo SS. Patres, ipsi non decreuerunt. Nimis quàm indiscretum & corruptum est Dorschei & Euangelicorum Iudicium de autoritate Patrum. 1. Subijciunt illos examini & Censuræ quorumuis, etiam illiteratorum, sutorum, vetularum &c, vt disquirant, an consentiant cum Scripturâ. 2. Impingunt illis næuos, quos in nobis vocant grauissimos errores & hereses, cum potiùs nos veniam mereamur, qui tot ac tantos sequimur Duces. 3. Eo ipso Patres & Doctores, faciunt supernumerarios, & in Ecclesiâ superfluos, imò noxios. Quorsum enim opus Magistris errorum in scholâ veritatis, præsertim talibus, qui doctrinæ & sanctitatis titulo pestilentius fallant? Hæc scil. vestra est in Patribus admittendis discretio, quam frustra autoritate Catholicorum quorundam nititur Dorsch. colorare.

Ex Cano lib. 7. de loc. Theol. cap. 1. num. 2. allegat Argumentum, quod Canus tribuit Erasmo: *Sanctos videl. omnes, qui in eius rei mentionem inciderunt, vno ore asseuerare, B. V. in peccato Originali conceptam &c, infirmum tamen ex omnium autoritate argumentum duci, quin potiùs contrariam sententiam, & probabiliter & piè in Ecclesiâ defendi &c.* Et quamuis ait Dorsch. *per modum obiectionis ista locutus sit, sententiam tamen dixit* lib. eod. cap. 3. n. 9. Quam sententiam dixit Canus? eam nempe, quæ causam tuam iugulat, & falsi te conuincit. Hæc enim est eiusdem *Conclusio Quarta. Omnium enim Sanctorum autoritas in eo genere quæstionum, quas diximus NB ad Fidem non pertinere, fidem quidem probabilem facit, certam non facit.* Postea ostendit ex hoc genere quæstionum non esse Quæstionem de Immaculatâ Conceptione. Dolo igitur malo contra Autoritatem Patrum, in rebus Fidei obijcis Quæstionem, cuius neutra pars est de Fide: & malignè Canum tibi aduersantem, pro te allegas.

Audi Conclusionem eiusdem quintam: *In expositione* ait, *Sacrarum literarum, communis omnium Sanctorum Veterum intelligentia, certissimum argumentum Theologo præstat, ad Theologicas assertiones corroborandas,*

das. Quippe, cum Sanctorum omnium sensus, Spiritus S. sensus ipse sit. Audi denique Conclusionem sextam: *Sancti simul omnes, in fidei dogmate errare non possunt.* Quod inprimis ostendit, autoritate S. Aug. qui lib. 1. aduersùs Iulianum c. 2. & l. 2. c. 10. vnanimi Sanctorũ & Veterum Patrum consensu, per certam veluti Veritatis Orthodoxæ Regulam, eius errores refellit. Subiungit deinde Canus aliorum quoque PP. testimonia, & vel maximè Conciliorum, quæ in definitionibus Fidei, SS. Patrum vnanimem sententiam, sequi semper consueuerunt.

Salmeronem porrò Dorsch. obijcit in cap. 5. ad Rom. disp. 51, cuius initio valde eleuat autoritatem Patrum, quantouis numero aduersantem sententiæ, quæ dicit B. V. conceptam sine peccato Originali. Atqui Salmeron sententiam hanc non tuetur vt fide certam, in quo genere quæstionum, fatemur autoritatem Patrum non esse infallibilem. Quæ verò affert ex lib. 1. de moribus Eccl. c. 2. non aduersantur autoritati Patrum in rebus fidei consentientium, à quâ nunquam discessit S. Aug. etsi illos singillatim sæpiùs affirmârit posse errare. Cornelius Mussus denique: cuius quandam Concionem allegat, incautè dixit, *se plus vni Pontifici crediturum in his, quæ fidem tangunt, quàm mille Augustinis, Hieronymis &c.* Etsi enim singillatim errare possunt, in ijs tamen, quæ vnanimiter sentiunt, sunt Veritatis Catholicæ testes irrefragabiles. Vnde à Pontifice & Concilijs dissentire non possunt. Verba denique Antonij de Treio, Oratoris Regis Hispan. quæ itidem producit Dorsch. sunt hominis studio partium, paulò longiùs abrepti.

Cardinalis Bellarminus vindicatur.

Huic inclyto Controuersiarum Fidei tractatori §. 19. Dorsch. obijcit aceruatim testimonia ex libris Patrum supposititijs producta, quæ in summam colligens §. 20. *Quid speremus* ait, *ab homine toties falso, quod æquum sit & candidum? Nondum quinque seculorum Ecclesiæ Doctores nominauimus: & vnus Cardinalis ad minimum centies quinquagies, exceptis ijs, quæ admisit in citatione Augustini,* (vt ostendimus in Consideratione de autoritate Ecclesiæ) *imponere ausus fuit &c. Supposititios Patrum fœtus, quos suo etiam iudicio tales habuit, pro genuinis venditat. Quid elucesceret, si & reliqua ex antiquitate subdola, quæ Bellarm. tanquam genuina atque propria SS. Patribus adducit?*

Resp. per calumniam Bellarm. accusari à Dorscheo, veluti dolo malo in allegandis Patribus, aduersùs id, *quod candidum est & æquum*, deliquerit. 1. Bellarm. ipse, vt fatetur Dorsch. iudicium suum de supposititijs,

fititijs, vel ambiguis PP. ſcriptis expoſuit, maximè in libro de Scriptor. Eccleſ. (quem meritò Recognitionibus eiuſdem accenſeas,) non ergo fefellit. Aliud eſt fallere, aliud falli; niſi S. Auguſtinum quoque de crimine falſi accuſet Dorſch. quia ex libris Retractationum eiuſdem manifeſtum eſt, in plurimis illum aberrâſſe, quæ aliquando vera putabat 2. Nullum doctrinæ Catholicæ dogma eſt, quod Bellarm. ex ſolis libris ſuppoſititijs confirmet; addit tot alios teſtes omni exceptione maiores, vt iſtis carere poſſimus. 3. Non pauci ſunt libri ex his, qui vt non ſint illorum, quibus vulgò inſcribuntur, ſunt tamen aliorum, inſignium & Veterum Autorum.

4. Omiſsâ accuratiore diſcuſſione centum quinquaginta allegationum, quas ex quinque ſeculis corraſit Dorſch: redhibemus illi quingentas Patrum allegationes: quas primum duntaxat Bellarm. tomum percurrendo, deprehendimus minimè ſuſpectas. omiſſis penitus allegationibus Pontificum,& librorum ſuppoſititiorum,aut ambiguorum. Vnde maligna eſt Dorſchei, ſeu illatio, ſeu coniectura, multò plura in reliquis ſeculis reſtare. Bellarm enim neque tam frequenter, neque tanto ſtudio vtitur autoritate ſeculorum poſteriorum,quàm priorum quinque ſex, vel ſeptem. Neq; iniquus in Bellarm. & Catholicos animus, omiſiſſet reliqua quoque ſecula adducere, ſi alicuius momenti ſubſidium inde ſperâſſet.

5. Anceps & lubrica res eſt, genuina Autorum ſcripta, à ſuppoſititijs diſcernere, vt mirum non ſit viros etiam doctiſſimos & optimos in hoc iudicio falli; quod vel ex varijs, quæ in Auguſtinum prodierunt Cenſuris, manifeſtum eſt. Neque Dorſcheus ità nobis Fidem in Hodegetico probauit, vt credamus illum in diſſertatione ſuâ,rem aut feliciter, aut ſincerè acu tetigiſſe.

6. Neque Bellarm. in allegandis eiuſmodi libris, verba aut ſenſum mutilauit, nihil interpolauit, addidit,dempſit,aut ſimili vnquam fraude vſus eſt, quali Dorſcheus ſupra Canum, & plures alios in libri decurſu adduxit. Conſideret idem ingentem aceruum Mendaciorum,& fallaciarum Lutheri, Melanchtonis, Illyrici, Kemnitij, Brentij, Centuriatorum, quæ Bellarm. clariſſimè demonſtrat, ac plenis modijs toto opere admetitur. *Hypocrita eyce primùm trabem de oculo tuo: & tunc videbis eycere feſtucam de oculo fratris tui.* Matth. 7. v. 3.

7. Denique corruptum eſſe iudicium Dorſchei & hodiernorum Euangelicorum, dum Patres in partes ſuas trahunt, & calumniantur illos à Catholicis perperam allegari: poſt Apolog. C. A. art. 7. (quæ dogmata

dogmata Romano-Catholica, Patrum *Næuos* appellat) testes sunt Centuriatores Magdeburgenses, qui in singulis seculis fatentur inuiti, ac deplorant Patrum & Doctorum cum doctrinâ Pontificiâ consensum, vt sæpe diximus. Non solùm igitur Catholicorum, sed suorum quoq; Maiorum iudicio, & vel maximè Symbolicæ Apologiæ suæ testimonio, Euangelicorum de sententiâ PP. iudicium corruptum est, & discors.

Et hæc pro Bellarmino.

Eod. §. 26. allegat *Calandrinum in ep. ad D. Bened. Turretinum, vbi memorat Thomam Iamesium Doctorem & Bibliothecarium Academicæ Oxoniensis diligentissimum, dixisse: se in numerato habere plus quàm tredecim millia locorum, in quibus Gregorij Magni vltima Vaticana A.* 1589. *adornata editio, ab omnibus simul MSS. Anglicanis dissentit. Ergo Catholici Gregorium corrumperunt.* Parcius ista tamen. Quid si nulla sit dissensio in doctrinâ Fidei & morum, qualem neque inter Editionem Sixtinam & Clementinam ostendere potuit Iamesius? Quo argumento probas Dorschee. sinceriora esse manuscripta Anglicana Romanis, ex quibus Vaticana editio adornata est? Calumniator es, quia nullum habes.

§. 21 Inuadit Kellerum, quod malè Hailbronnerum accusârit criminis falsi, in allegatione Greg. M Cypriani, Lyrani, Innoc. III. Atqui non obstat nobis, quod in verbis Greg. M. ex lib. 4 ep. 38. *Rex Superbiæ propè est, & quod dici quoque nefas est, Sacerdotum ei præparatur exercitus*, Kellerus putauerit legendum *exitus*: neque enim prior Lectio, quam habet Bellarm. lib. 3. de Rom. Pont. c. 13. aduersarijs suffragatur, vt ostendit idem in fin. cap. Quod Hailbronner ad illa Cypr. ep. 3. verba: *Paucos desperatos & perditos minorem esse putare potestatem Episcoporum in Africâ constitutorum* addidit: *quàm Romani*, à crimine falsi excusari non potest, quia Cyprianus neque illa verba habet, neque sensum, quem Dorscheus ipsi affingit, vt demonstrat Bellarm. l. 2. de R. P. c. 23.

Qui cap. 31 illud quoque ostendit, Pontificem rectè dici *Sponsum Ecclesiæ*, sicuti dicitur *Caput*, *Rector & Pastor* eiusdem, etsi principalis *Sponsus sit Christus*. Non igitur immeritò Innoc. III. in sermone, quem Dorsch. allegat, hoc sensu se vocat *Ecclesiæ Sponsum*. Vnde non sequitur, quod idem Dorsch. falsò ipsi imponit, esse quoq; *Successorem*; neque enim verè succeditur illi, qui non decedit. Nimis impropriè loquuntur, qui Papam Christi successorem vocant: Dorscheus verò ex Bellarmino reus est triplicis stellionatus, neque Hailbronner à crimine falsi in Cypriano & Innocentio allegando absolutus.

Neque innocens pronuntiari debet, quod in verbis Lyrani ad 2. cap. Thessal. *alij Apostasiam intelligunt de recessu ab Obedientiâ Romanæ Ecclesiæ; à quâ iam diu est, quod recessit gratia*, non legerit *Gracia*, quod non solùm contextui conformius est, verùm etiam communi & expressæ lectioni: pro quâ Dorscheus ipse citat quinque Exemplarium fidem, cum pro *gratiâ* non habeat nisi duo, quæ per ambiguam abbreuiationem ponunt *gra*. Quæ Dorsch. prætexit ex eod. Lyrano in c. 18. Matth. de *Apostasiâ Pontificum à fide*, nihil probant, non enim ideo gratia recedit ab Ecclesiâ, quia Apostatæ mox subrogatur alius fidelis Pontifex. Quin verba Lyrani non ponit sincerè. *Multi Principes*, ait ille, *& summi Pontifices, & alij inferiores inuenti sunt apostatâsse à Fide*. Dorsch. autem omittit *Principes*, & illud *multi* refert præcipuè ad Pontifices, (de quibus nec vnum exemplum fortassis proferre potest) cum id Lyranus referat simul & collectiuè ad Principes, Pontifices, aliósque inferiores.

§. 23. Debacchatur aduersùs *Vetterum, Pistorium, Ræstium, Sartoriũ, Conzium*, quod ex scriptis Lutheri, dicta collegerint & facta, scurrilitate, impudentiâ, maledicentiâ intolerabili redundantia. Sed ostende si vir es Dorschee, in quo iniuriam Pseudo Apostolo vestro intulerint isti! imò erubesce corruptissimum Iudicium vestrum, quod illum SS. PP. & DD. confertis, & præfertis, qui scurrarum, lenonum, & meretricum fæditatem vel æquauit, vel superauit scribendo, loquendo, imò & agendo: immemor Apostoli præcipientis: *Fornicatio autem, & omnis immunditia, vel auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet*. Ephes. 5. v. 3. & 4.

IV. In corruptelarum Papatus variarum assertione.

Ad §. 23. Dorsch. Ex Florimundi Ræmundi lib. 1. de Orig. hæresum, c. 8. n. 4. & seqq. §. 23. allegat *Abusus quosdam de luxu Episcoporum & Pastorum, neglecto ouium, questu Indulgentiarum &c.* Non accusamus vos corrupti Iudicii Dorschee, quod abusus improbatis & improbâstis. Hoc ipsi Catholici fecêre aut faciunt. Non est incorrupti iudicij probare vitia & abusus. Illud verò præposterum est, quod cum Luthero propter abusus tollitis vsum, & Ecclesiã Romano-Catholicam veluti hæreticam damnatis, quæ nullum vnquam abusum transtulit in doctrinã. Vide, quàm tuo te gladio ferias, cum Ræmundũ citas testé, qui dicit, vt tu allegas f. 109. à Luthero *Tezelium adeò horribilibus blasphemijs, quas vix NB. Diaboli ipsi proferre audeant, onerari: quod*, vt sapienter colligit Ræmundus, NB. *tam hoc, quam alia istius accusationis* (Lutheri) *capita suspecta reddit*. Allegas nimirum pro corrupto iudicio tuo, incorruptum Ræmundi iudicium.

V. In

V. *In actione AntiChristianismi contra Papam.*

Dixerat Kircherus, *quando aliquis Legista, siue Iurisconsultus augustiare nomine Pontificem compellat, mox AntiChristum apud Euangelicos audire.* Insurgit contra Dorsch. §. 24. & primò aceruatim citat suos in Lutheranismo Doctores socienos, qui *longè alias causas* afferant. Deinde per nouem ferè folia accumulat allegationes etiam aliorum Catholicorum præter Legistas, qui Papæ titulos exorbitantes tribuerint: quorum supremus est, quod quidam *Pro-aut Vice Deum, aut supremum Numen in terris &c*, appellant. Iussimus p. 1. c. 2. §. 43. f. 61. Dorscheum transigere cum Dauide, ps. 81. v. 6. quod Iudices & Principes terrarum dicat *Deos &c*, huius transactionis Capita vbi viderimus, vlteriùs procedemus. Id vnum addimus, argumenta ex Apocalypsi de AntiChristianismo Papæ esse ficulnea. Cum enim olim fuerit dubium, an is liber esset Canonicus, & inter ipsos Lutheranos idem dubium necdum sit sublatum, vt ostendimus p. 1. cap. 4. toto §. 3. nihil inde in materiâ fidei solidè potest concludi secundùm Lutheranos. Ad §. 24. Dorsch.

VI. *In reatus filij Perditionis, siue perditæ Paparum, Cardinalium, Episc. Clericorum Vitæ ostensione.*

Decem folia implet §. 25. & 26. reprehensione, & exaggeratione scandalorum & vitæ improbæ Pontificum, aliorúmque Ecclesiasticorũ, ad quæ respondimus abundè p. 1. c. 1. §. 1. n. 44. f. 62. & 63. quo remittimus Lectorem. Hîc verò addimus 1. Quæ ex Catholicis adducit, causæ prætensi Euangelij minimè patrocinari. Nullus enim ex illis ideo potestatem Papæ, & statum Ecclesiasticorum, aut Religiosorum oppugnauit, aut Romano-Catholicam damnauit, sed permansere sub obedientiâ sedis Apostolicæ. Cur, quorum verba laudat, facta non imitatur? Quin nec sub ijs Pontificibus, quorum vita maximè damnatur, vlli Principes aut populi ab eius obedientiâ recesserunt, antequam Lutherus & Caluinus classicum canerent. Ad §. 25. & 26. Dorsch.

2. Quæ ex Acatholicis afferuntur, vtpote ab hostibus & aduersarijs nostris profecta, vim legitimi testimonij non habent. Neque vacat calumnias & mendacia singillatim discutere.

3. Christus nemini dedit potestatem, propter sceleratam multorum Principum & Magistratuum vitam, variósque regiminis politici abusus, damnandi vel abolendi statum ciuilem; Ergo pari, imò maiori ratione, neque Luthero, nec cuiquam alteri propter vitæ licentiam & im-

 probitatem

probitatem, tale ius concessit vel concedit in statum Ecclesiasticum & Ecclesiarum. Si Acatholici per expressa Scripturæ verba, vel æquipollentia, vel legitimam inde consequentiam probauerint, propter scandala vel scelera, (quæ non transferuntur in doctrinam) Luthero, Caluino, & alijs tale ius competere, vel competijsse, tum enimuero à corruptis iudicijs immunes pronuntiabimus.

VII. In reatus filij peccati de eodem deductione.

Ad §. 27. Dorsch.

Cur non pro filio peccati, quem iteratò designat, apertè Pontificem nominat? Quid discriminis est inter reatus ostensionem, & deductionem? An non, si Dorscheo credimus, per doctrinam suam Pontifex æquè causa est scandalosæ vitæ Ecclesiasticorum, quàm falsorum dogmatum, quæ ab ipso in Ecclesiam deriuari calumniatur? Vtrobique igitur potuit præfigere titulum seu ostensionis, seu deductionis, quia id quoque ostenditur, quod deducitur. Sed ad rem. Hæc potissimum §. 27. improperat, *in quibus Pontifex faciat secum peccare, & scortari innumerabilem hominum multitudinem. Quod videl. sibi arroget supremã in rebus fidei autoritatem, Editionem Vulgatam pro authenticã statuat, Scripturam ex laicorum quotidiano aditu submoueat, traditiones non scriptas Scripturis exæquet, Sanctorum cultum doceat, Religiosos Ordines instituat, vota permutet, Imperia & bona Ecclesiastica transferat, Controuersiam de Immaculatâ Conceptione B. Virginis non definiat &c.*

Nimis quàm corruptum est Dorschee tuum, tuique similium iudicium, quod inter Præliminaria, hæc veluti explorata supponis, tibique concedi postulas. Quæ sunt, eruntq; in quæstione, donec ex Scripturis contrarium clarè & solidè demonstrâris, cum sincerâ replicatione aduersùs solutiones Catholicorum, quas notissimus & familiaris tibi Bellarminus exhibet. Pendent deinde hæc ex eâ quæstione, *an Ecclesia possit errare?* quod cum fieri non posse cap. 7. demonstratum sit, malè inter errores præliminares numeras, quod ipsa docet, cuius infallibilem autoritatem priùs discutere debebas. Accedit te quædam immiscere, quæ ad fidem non pertinent.

VIII. In reatus doctrinæ dæmoniorum (de cælibatu & ieiunijs) à Papis traditæ assertione.

Ad §. 28. Dorsch. vsq. ad 40.

Rursus contra Methodum sanæ doctrinæ & veritatis, præmittit quæstionem particularem, antequam discussa sit generalis, de autoritate & infallibilitate Ecclesiæ, quam demonstramus totius operis decursu, sed maximè

maximè parte 2. cap. 7. Vt verò appareat, quo vlcere vratur Dorscheus, totis triginta paginis & amplius à §. 28. vsque ad 40. pugnat contra cælibatum Sacerdotum. Hoc scil. est præliminare, sine quo Ministri Euangelici desperant, se ingressuros limina cœlorum. Argumentum ipsius duplex est. Vnum commune Ieiunio & Cœlibatui, ex 1. Tim. 4. v. 1. & 2. vbi Apostolus dicit, *nouissimis temporibus discessuros quosdam à Fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum &c, prohibentium nubere & abstinere à cibis &c.* Sed petulantem Dorsch. committit stellionatum, dissimulatâ solutione nostrâ. (quæ nititur autoritate Patrum,) Apostolum loqui de illis, qui vinum & carnes esse immundas rati, ipsásque nuptias velut à Diabolo institutas damnantes: abstinentiã à carnibus & cœlibatum profitebantur, vt ex S. Ignatio ostendit Bellarm. l 2. de bon oper. c. 13. Prior error fuit Ebionis, alter Saturnini, cum quibus Catholicis nihil est commune. Quod contra meritum ieiunij addit stellio, non ignorat dissolutum à Bellarm. l. c. cap. 11. & 12.

Alterum capitale scil. est istud: *Quodcunque decretum subsecuta sunt & subsequuntur turpissima & abominanda libidines in Sacris Ordinibus, ante in Christianâ Ecclesia inaudita, illud est doctrina dæmoniorum. Tale est decretum cœlibatus Sacerdotum.* Ergo &c. Maiorem probat *quia omne decretum diuinum ordinatur ad scelerum imminutionem, saltem apud eos, qui Dei iustitiam & Maiestatem agnoscunt.* Minorem statuminat *plurimorum Catholicorum & Acatholicorum testimonijs, qui innumeras Clericorum fæditates, etiam sodomiticas narrant, deplorant, detestantur: quarum causa est cœlibatus.*

Resp. Maiorem refelli exemplo diuinæ legis, quod suggerit Apost. Rom. 7. v 7 & seqq. Vel enim Propositio Dorschei falsa, vel Lex diuina, siue Decalogus est doctrina dæmoniorum. Omnia enim peccata & scelera, quæ patrant homines, subsecuta sunt & subsequuntur decretum legis diuinæ & Decalogi, siue apud Deum agnoscentes (qualiter illum agnouit S. Paulus,) siue quosuis alios. *Peccatum non cognoui*, ait prædicator Veritatis, l. c. *nisi per legem: nam Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non Concupisces. Occasione autem acceptâ, peccatum per mãdatum operatum est in me omnem concupiscentiã*, & omne peccatum, quod *parit concupiscentia &c.* Iac. 1. v. 15. *Quid ergo dicemus* Doschee? Lex diuina *peccatum est*, doctrina dæmoniorum est? *Absit, absit: Sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, vt fiat supra modum peccans peccatum, per mandatum*, veluti *occasionem* peccati, iuxta Paulum, v. 15. non causam. *Occasione* ex bonis legibus acceptâ, mali peccant,

eant, & peccata multiplicant, quæ sine legibus nulla forent. *Nitimur* vid. *in vetitum, semper cupimúsque negata.* Falsa igitur Dorschei Maior.

Minor esto: quod ex cælibatus decreto, non datâ causâ, sed *acceptâ occasione*, (vt de lege diuinâ tum positiuâ, tum naturali ostendimus) plurima scelera sint subsecuta, & subsequantur. Sed non minùs hinc falsò concluditur præceptum Cælibatus Sacerdotalis esse doctrinam dæmoniorum, quàm legem diuinam esse talem. Vlterius Resp. 1. Innumerabilem quoque esse multitudinem eorum Episcoporum, Sacerdotum, Monachorum, qui continentiam illibatam omnibus seculis seruârunt. 2. Falsum est ante decretum Cælibatus talia scelera fuisse inaudita: quia nullum fuit tempus in Ecclesiâ Christianâ, quo Cælibatus Sacerdotum non viguerit, vtpote ab ipsis Apostolis institutus & introductus, vt apparet ex Bellarm. lib. 1. de Clericis c. 20. & 21. 3. Allegationes nô minùs inanes sunt, quàm in superioribus. Autores Lutheranos & Caluinianos idoneos testes esse non credimus; fingunt, augent, calumniantur pro libitu, & vnius vel alterius temporis aut loci, vel prouinciæ infamiam, per summam iniuriam extendunt, ad Clerum vniuersum: nimis quàm immemores improbæ inter tam paucos Ministros suos, multorum Vitæ, quibus occini debeat illud: *Væ tibi, væ nigra dicebat Cacabus ollæ.* Catholici mores accusant, non legem. Si qui aliquando consultius iudicant cælibatum tolli, suum iudicium Ecclesiæ (quæ à Spiritu S. regitur) submittunt, & acquiescunt.

Cæterùm alia, quibus tot paginas infercit Dorscheus, neque vnum cyathum nebulâ replent ad stomachum sapientum, & bonarum mentium. 1. Quæ §. 30. de pænarum in sodomitas lenitate quiritatur, non intelligit criminator morem Ecclesiæ Dei, quæ gladium potestatis spiritualis ad sanguinem non extendit; sed supplicium capitale commeritos potestati seculari tradit, igne aliisq; pænis, quas iura ciuilia statuunt plectendos. Vbi verò vtrumque gladium gerit, vt in Ecclesiasticis Germaniæ principatibus: Ecclesiasticas pænas spirituali, alias sanguinis seculari potestate infligit. 2. Quæ contra rationes Bellarmini. §. 31. 32. 33. pro cælibatu sacro, obiectat: inania sunt, & ipso Orthodoxæ antiquitatis sensu ab Apostolis hucusque deducto, refelluntur.

3. Neque plus roboris est in eo, quod §. 34. 35. 36. 37. testimonia Scripturæ à Bellarmino allata eneruare nititur, & *cauteriatam conscientiam*, quam Apostolus 1. Tim. 4. notat, Catholicis affricare. Nihil habet Dorscheus, vnde ex Scripturis per verba vel expressa, vel æquipollentia, vel legitimam & integram consequentiam, cælibatum Sacerdotum

dotum

dotum impugnet: & certum sibi, quale Fides diuina exigit, contra nos iudicium formet. Bellarm. eum sensum attulit, qui textui ac contextui conformis est,& sententiæ Patrum, nec non Ecclesiæ interpretationi: quam esse infallibilem Fidei Regulam demonstrauimus,toto hoc opere, præsertim cap. 7.

Temerè verò Dorsch. f. 192. Bellarminum mendacij accusat, quod dicat, *cùm tempore Gregorij VII. Sacerdotes vxores duxerint, tantum Sacramentorum contemptum secutum esse, vt passim Laici Sacramenta administrarent, referente Nauclero*, cum tamen to. 2. Generat. 36 vbi ista refert,de contemptu nihil habeat. Nimis fallax est Dorsch. & tot fraudum ac criminum falsi conuictus, vt aduersus integerrimum Scriptorem nec audiri quidem debeat. Coniecturam valde probabilem secutus est Bellarm. quam res gesta, prout à Nauclero narratur, sugessit. Sed reprimamus Dorschei audaciam, intolerabili fallaciâ, quam hoc ipso loco committit, demonstratâ.

4. Cum totus sit in Bellarmini rationibus refellendis, quæ l. c. cap. 19 pro Cælibatu affert, & legerit testimonia clarissima ex Concilijs & Patribus producta, illis tamen præteritis ac dissimulatis audacissimus stellio §. 37. nemine præter Hunnium allegato, *Cælibatus illum nexum cum ordinibus sacris, Nouitatis & Apostasiæ ab antiquo instituto damnat*, nullo ad tot antiquitatis testimonia responso saltem indicato. Adducit Bellarm. ex Orientali Ecclesiâ *Concil. Ancyranum, Neo-Cæsariense, Nicænum I. Synodum Trullanam.* Ex Africâ *Carthaginense II. Carthaginense V. & Africanum.* Ex Italiâ *Romanum sub Siluestro I.* Ex Galliâ *Arelatense II. Turonense I. & II. Agathense & Aurelianense III.* Ex Hispaniâ *Elibertinum. Toletanum II. IV. VIII.* Ex Germaniâ *Aquisgranense, tempore Ludouici I. VVormatiense, Francofortense sub Arnulpho Imp.* Quæ sunt Concilia viginti & vnum; non pauca intra primos trecentos, quadringentos & sexcentos annos celebrata. Quæ autem in contrarium adducuntur,aut adduci possunt, non sunt nisi sex, & clarissimè explicantur à Bellarm. ibid. c. 21.

Præter Concilia, testes citat PP. Græcos & Latinos, *Origenem, Eusebium, Epiphanium, Chrysostomum, Gregorium Nyssenum, Cyrillum, Oecumenium, Cyprianum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Autorem quæstionum V. & N. T. Gregorium Turonensem, Isidorum, Anselmum, Bedam, Aratorem Poëtam.*

Mendacium ergo est apertissimum, vt meritò vocat Bellarm. quod dicit C. A. art. 23. *in Germaniâ ante annos* 400. *primùm esse legem Cæli-*

batus impositam Clericis, cum Concilia Germanica, quæ citauimus, ante Annos 700 & amplius fuerint celebrata. Nec minus mendacium est Apologiæ, *legem de Cælibatu in nullo Concilio reperiri, sed à solo R. P. contra Synodorum sententiam inductum esse*. Corruptissima Dörschee vestra esse oportet iudicia, de cœlibatus antiquitate tot testibus subnixâ; & corruptissimis corruptiora, qui C. Aug. & Apolog. his tam manifestis, alijsque mendacijs inquinatam, pro Symbolicâ veritatis Regulâ habetis. Hæc videl. sunt præliminaria tua Dorschee, intra quæ Veritas Orthodoxa pedem nunquam intulit.

IX. In Mariolatriæ reprehensione.

Ad §. 40. vsque 57. Dorsch.

Calumnias hâc de re texit à §. 40. vsque ad §. 57. non solùm corrupto, verum etiam maligno iudicio refertas. *Calumnia* enim teste Cicerone l. 1. de offic. *est callida & maliciosa Iuris*, (siue, cum sit par ratio, quorumuis dictorum & factorum) *interpretatio*. Item, *cum quis ex certâ scientiâ & dolo iniustè agit & excipit*, iuxta Azonem in summâ, de iuram. propt. calum. dan. Hoc agit Dorscheus, cum illos, quos allegat, ob eximiam in Deiparam pietatem, & singulares laudes, quibus ipsam præ omnibus Sanctis, prædicant & extollunt: ita interpretatur ac damnat, veluti *supra Deum, & Christum D. N. illam eueherent*. Cui calumniæ ipsa Dorschei scientia, ac conscientia reclamat.

Nouit enim probè hos ipsos Scriptores, & omnes Romano-Catholicos, 1. Rogâsse semper & rogare, vt B. M. V. oret pro nobis Deum, Deique filium; quod vel solennis Angelicæ salutationis clausula testatur, *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis &c.* Nemo illum æquat Deo, cuius supplices pro se preces postulat ad Deum. 2. Omnes ad Deiparam preces, obsignamus veluti sigillo redemptionis nostræ & sanguinis D. N. I. C. dicentes & clamantes, *Per Dominum nostrum IEsum Christum &c*, vt manifestum sit, quæcunque petimus, aut accipimus à Mariâ, nos vnicè referre accipienda & accepta Deo: veluti riuulos suo fonti, per merita IESV Christi Saluatoris nostri.

3. Nemo habetur Deus, aut æquatur, nedum præfertur Deo, aut Dei filio, cui sacrificium nunquam offertur: Deiparæ autem Virgini nemo vnquam Catholicus sacrificium obtulit, veluti is cultus ipsi deferretur. In memoriâ ipsius sacrificamus, & intercessionem inter sacrificandum imploramus. Quæ quàm longè absint à cultu diuino, tam clarè intelligit Dorsch. quàm se constare corpore & animo. Sed corruptus affectus, corrumpit intellectum, vt illos qui optimâ piâque mente Deiparæ sensu

accomo-

accomodatitio & tropico, encomia pangunt, veluti Idolatras criminetur: quæ si propriè & in sensu principali capias, soli Deo, Deíque filio conueniunt. Sed *verborum interpres est quisq; suorum*, & ex subiectâ materiâ, dicta & facta sunt æstimanda. Quod quò minùs faciant Euangelici, sinistris iudicijs & affectibus præpediuntur.

Neque meretur Syllogismus Dorscheanus, (quem §. 57. ex Encomijs Catholicorum conglobatim format,) vt pluribus illum verbis dignemur, quàm Maiorem in sensu proprio & principali esse veram, in accomodatitio & tropico falsam. Minorem contrà in isto sensu, quo Encomia tam sublimia B. V. tribuuntur, veram; in priori, quo soli Deo, Deíque filio debentur, falsam; neque enim vllus Catholicus tali sensu Mariam IESV Christo vel parem facit, vel superiorem. Nihil ergo legitimè concludit Dorscheus, quod in filij iniuriam, aut matris indebitum cultum redundet.

X. *In Pseudo-historiæ detectione.*

Corruptum esse iudicium vestrum, de Pseudo-historiâ, quam Catholicis imponitis, ea ipsa persuadent, quæ hoc §. 57. dicis. 1. Iactas pseudo-historiæ detectionem à vobis factam, & tamen, quos allegas, plerique omnes sunt Catholici. Nos ergo ipsi deteximus pseudo-historiam, si vlla est: de ingenuâ sinceritate, ob hoc commendandi. Non vos hoc fecistis, quorum est pseudo-historias obtrudere, neque fraudes & falsimonias confiteri. 2. Nostri, quos adducis, quædam accusant, aut incerto genere, neque historiam Ecclesiasticam vniuersim damnant: vos vniuersam, quia vobis aduersatur, abijcitis, aut reddere vultis suspectam. Lege & pondera cautelam Gelasij Papæ, (quam ipse Canus à te contra nos allegatus lib. 11. Loc. Theol c. 5. commendat,) in Apocryphis scriptis, & historicis suspectis reijciendis. 3. Tot & tantâ veritate fundatas habemus historias in Ecclesiâ Dei, vt illis carere possimus, quæ sinceræ veritatis defectu laborant: aut certè vnam ex alterâ, & Veterum scriptis ac testimonijs inter se collatis, ità examinare & stabilire, vt periculum falsi in ijs, quæ sunt alicuius momenti, formidari non possit. 4. Denique Pseudo-historiam apud vos regnare Centuriatores vestri aliique turmatim ostendunt, quorum mendacia & errores Bellarminus passim, Franc. Turrianus, aliíque omni exceptione vestrâ maiores repræsentant. Specimen luculentum ipse dedisti paulo supra, ex C. A. art. 23. vbi Cælibatum Sacerdotum Nouitatis accusâsti.

Ad §. 57. Dorsch.

XI. *In pseudermeniæ, siue ineptæ interpretationis Scripturarum deductione.*

Decem §§. à 58. vsque ad 69. implet Dorsch. exemplis ineptarum interpretationum Scripturæ, & exaggerando eiusdem neglectum. Interpretationes fere desumit ex prologis Scholasticorum, *D. Thomæ, Bonauenturæ, Richardi, Petri de Tarantasia, Thomæ de Argentinâ, in quatuor Libros sententiarum, Alani &c.* Quibus præstantissimi hi DD. aliqua ex Prouerbijs, Ecclesiastico, aliisque Scripturæ locis, per Allegoriam accomodant diuisioni, & doctrinæ in Libris sententiarum contentæ. Quâ in re Dorscheus corruptissimi & maligni iudicij, specimen rursus edit luculentum. 1. Enim Interpretatio Scripturæ non æstimari debet in causâ Fidei, ex sensu Mystico, Allegorico, Accomodatitio, qui intra limites orthodoxæ doctrinæ, liber relinquitur Doctoribus, & Prædicatoribus Verbi diuini. Sensum literalem, quem DD. Catholici tradunt, meritò culpari, aut rideri, falsum est. Quin sensus quoque mysticus, quem memorati aliique DD. nostri piè, eruditè & ingeniosè ex Scripturis hauriunt, nihil absurdi habet aut incommodi.

2. *Non esse vllum argumenti loco, contra Euangelicos vsurpatum à Controuersiarum Scriptoribus è Sacris literis locum, quem malè contra illos vsurpari, non vnus alterúe, aut etiam tertius è Pontificiorum Scholâ obseruauerit,* itidem falsum est. Conueniunt omnes Catholici in earum Scripturarum interpretatione, quas ad definienda fidei dogmata Pontifices, Concilia, PP. adhibuerunt; & sequimur vnanimiter eum sensum, quem tenuit ac tenet S. Mater Ecclesia, cuius sententia est nobis pro infallibili Scripturæ commentario. Cum è contrà Acatholici nullis commentarijs ad diuinæ Fidei certitudinem peruenire possint, vt ostendimus cap. 5. præcipuè §. 3.

3. Quæ attexit de neglectu interpretationis Scripturarum, & emendatione Editionis vulgatæ, de Biblijs item Sixtinis & Clementinis, crāben continent vsque ad nauseam in decursu Hodegetici repetitam. Respondimus abundè cap. 3. præsertim Argum. 4. & 6. quæ videat Lector.

XII. *In superstitionum anilium Notatione.*

Corruptissimè de Catholicis iudicant Acatholici, quos de tot superstitionibus notant. Nihil superstitiosum in publicam doctrinam Ecclesia Catholica recepit, aut recipit. Simplicium errores, & imperitorum, vel improborum somnia, veritati doctrinæ non præiudicant. Arguuntur, & corriguntur, si innotescant. Scilicet apud prætensos Euangeli-

cos

eos nulli sunt simplices, aut imperiti. Exemplum, quod Dorscheus affert de Exorcismis, nullius est momenti. Exorcismos ab Ecclesiâ Romanâ approbatos, nihil superstitionis habere nouimus. Quæ de his varij Scriptores in libros suos, quibuscunque inscriptos, retulêre, non probamus: nisi cum iudicio & sensu Ecclesiæ Romano-Catholicæ consentiant. Quæ verò de ineptâ nominum diuinorum in Exorcismis accumulatione, orthographiâ, interpretatione, ex quibusdam Scriptoribus, producit: non tam superstitionem præseferunt, quàm inscitiam, cuius patroni non sumus. Etsi neque omnia reijci debeant, quæ licet minùs secundum Grammaticæ regulas accurata, Fidelium constans vsus recepit.

XIII. In resilitionis à Parentum doctrinâ taxatione.

Rectissimè Kircherus reprehendit corruptissimum Iudicium vestrũ, quod illos, qui ad Catholicos transeunt, *Deum negâsse, parentibus suis maledixisse, ad Diabolum iuisse* dicitis. Nam 1. Damnatis Religionem Catholicam, cuius doctrinam & inuicta argumenta vel non expendistis, vel non intelligitis, vel contra agnitam veritatem, contemnitis & oppugnatis. Quâ in re grauissimè peccat Dorscheus, cum in preliminaribus, veluti confectum & indubitatum supponit, quod in ipso Hodegetico disceptandum & probandum erat: *Illam Ecclesiam, ex quâ egressi sunt Parentes, vel Maiores eorum, qui ex Lutheranis ad Catholicos transeunt, non esse sanctam illam, Catholicam & Apostolicam, sed Antichristianã Ecclesiam.* Sed defecisse Dorscheum in probatione Argumenta Kircheri & nostra (imò verius Catholica) conuincunt; vt adeò non solum in Preliminaribus ea afferre non debuerit, quę in quęstione posita erant: verùm etiam, neque reproducere posthac legitimè possit, in quorum disceptatione succubuit.


2. In communibus Professionum Fidei formulis, non damnãtur parentes, vel vllę personę, sed heręses & errores. Si quando, vt in Bullâ Cęnę, Lutherani, Caluiniani, aliíque exprimuntur, de illis intelligitur, qui pertinaciter in agnitis erroribus persistunt, verè ac propriè heretici: non de illis, qui ex ignorantiâ, aut defectu instructionis errant, parati recta sapere, si intelligerent. Inter hos numerent parentes suos, qui Catholicam Fidem amplectuntur, nisi apertè constet, in errore agnito pertinaces obijsse. Quo casu non magis iniquum est eiusmodi maioribus maledicere, quàm si in perfidiâ Iudaicâ, vel Mahometismo, aut Gentilismo scientes, volentes defuncti forent.


 3. Que

3. Quę denique ex Catharino ad paginas implendas adducit §. 74. Dorscheus, *de varijs grauissimisq; abusibus & corruptelis, in Ecclesia tum grassantibus*, vt nihil nimiæ exaggerationis, in quam pronus fuit ille autor, habeant: nihil causam Dorscheanam iuuant, sed potiùs vulnerant. Catharinus enim neque propter abusus vsum tollendum censuit, neque propter morum corruptelas doctrinam damnauit. Quod vtrumque fecêre Lutherus & Caluinus; eorum verò asseclæ, (inter quos audaciâ & fraudulentiâ eminet Dorscheus) hodiéque facere perseuerant, nullo iure, nullâ legitimâ potestate, aut causâ.

4. Denique eliminatis vanissimis, & fallacissimis Præliminaribus, quæ merito suo in extremum agmen, velut impedimenta reiecimus, vanescit fumi instar, Syllogismus, quo inde contexto, & in viginti quinque membra distributo, §. 77. 78. & 79. Kircherum obruere & planè opprimere conatur. Verùm cum singula refellendo, nihil veri aut solidi illis contineri demonstratum sit, falsa est Maior: *Partes abominandas amplecti eum, & migrare infeliciter ad iudiciorum corruptorum castra, qui contrariam hisce Præliminaribus doctrinam sequitur ac tenet.* Fecisse autem id Kircherum, quod dicitur in Minori, concedimus. Sed demonstratâ falsitate Maioris, frustra ad conclusionem aspirat Dorscheus, ab ipso disputationis limine hoc Syllogismo repellendus:

Qui in aditu operis tot fallacias & Sycophantias committit, quot Præliminaria statuit: indignus est, qui deinceps legatur, aut audiatur. Hoc fecit Dorscheus. Ergo, si ipsius merita pensamus, indignus est, qui (à Principibus præsertim) *legatur, vel audiatur, aut à nobis refellatur.* Sed nos, monente Petro 1. ep. c. 3. v. 15. *parati semper ad satisfactionem, omni poscenti nos rationem de eâ, quæ in nobis est spe* indubitatâ, veræ & Orthodoxæ Religionis, laborem nostrum *Fidei nostræ autori, & consummatori IESV Christo*, Hebr. 11. v. 2. Lubentes Meritò consecramus.





INDEX

INDEX.

Pars I.

De Sacrâ Scripturâ.

Basis Causarum M. I. Kircheri aliorúmq;, qui in solis Scripturis Fidem & salutem fundari non posse intelligentes, ab Euangelicis ad Catholicos transeunt.

cum

Et infal-

Caput III.

Certitudinem Verbi diuini apud Euangelicos defectu quoq; authenticæ Versionis vacillare, quæ seclusâ Ecclesiæ autoritate haberi non potest.

Argumentum I.

Argumentum II.

 Argumentum

Nullus

Apud

INDEX

Pars II.

De Verâ Christi Ecclesiâ.

Cum certitudinem Fidei Christianæ in solis Scripturis non fundari demonstratum sit: ad infallibilem Ecclesiæ autoritatem necessariò ab omnibus confugiendum esse.

Caput VI.

Ab Apostolorum inde predicatione sẽper fuisse hactenus: & ad iudicij usque diem futuram veram, eámque visibilem Christi Ecclesiam.

gis &

parte

Caput VII.

Veram & visibilem Ecclesiam nunquã posse totam errare in Fide.

§. I.

Caput VIII.

In quo docetur, Romanam esse illam veram & visibilem Ecclesiam: summámque proinde in ipsâ certitudinem, & animi tranquillitatem reperiri.

Dorscheus

Caput IX.

De Confusione Ecclesiæ Lutheranæ.

Caput X.

De Ordine & Constitutione Ecclesiæ Catholicæ.

Ad Gloriam Veritatis Æternæ.

Errata ſic corrige.

Parte I.

F. 38. v. 14. lege *eâq;*. f. 41. v. 1. l. *Eccleſiarũ.* f. 57. v. 27. l. *cogitant.* ib. v. 34. l. *Ieroſolymis.* f. 59. l. v. 9. *immutabilibus.* f. 61. v. 24. l. *peccantiũ.* f. 69. v. 7 dele *ſibi.* f. 72. v. 6. lege. *ad Autolycum.* ib. v. 19. dele quibus. f. 73. v. 7. l. *ad Autolycum.* f. 76. v. 24. l. *diſponerent.* f. 94. v. 4. l. *hominẽ.* f. 97. v. 2. l. *alienũ.* f. 101. v. 17. l. *offert.* f. 123. v. 1. l. *ſinceram.* f. 129. v. 29. l *Caluinianorum.* f. 163 v. 26. l. *obſeruantiam.* f. 167. v. 13. l. *permotum.* f. 168. v. 31. l. *ſeculo.* f. 180. v. 9 l. *quod* f. 103. v. 1. l 402. f. 184. v. 11. l. *Nazianzenum.* f. 185. v. 7. l. *Acatholici.* f. 198. v. 16. l. *Librum.* f. 204. v 26. l. *orientdum.* f. 210. v. 12. l. *Carranza.* f. 213. v. 5. l. 10. *Cal. Decemb.* ibid. v. 6. l. *anno nono.* f. 214. l. *quo.* f. 227. v. 32. in marg. l. *mancum.* f. 241. v. 15. l. *cuiuſuis.* f. 272 v. 25. l. *ſecluſo.* f. 270. v. 17. l. *habeat.* f. 278. v. 5. l. *cecidiſſe.* ib. v. 11. l. *eſt.* f. 27. v. 9. l. *argumentamur.*

Parte II.

F. 284. v. 15. in margine l. *perpetuitas.* f. 287. v. 29 in marg. l. *dux.* f. 291. v. 7. in marg. dele *156.* f. 304. v 31. l. *Sionis.* f. 318. v. vlt. l. *quod* f. 323 v. 18. l. *errones.* f. 324. v. 29 l. *militantem referunt.* f. 325. v. 8. l. ἔρημος. f. 326. v. 28. in marg. l. *Viſibili.* f. 327. v. 28. l. *licet Eccleſia.* f. 336. v. 31. l. *Aphor. II.* f. 337. v. 23. in marg. f. 354. v. 8. lege pro impeccabiles, *infallibiles.* ib. v. 16. l. *muneri.* f. 360. v. 9. l. *Kircheri.* f. 368. v. 7. l. *hoc.* ib. v. 19. l. *Eccleſia.* f. 393. v. 1. l. *argumentamur.* f 406. v. 11. l. *mandatum.* f. 423. v. 28. dele repetitum *errandi.* f. 437. v. 27. l. *penitus.* f 439 v 15. l. *localis.* f. 451. v. 5. l. *conſenſit.* f. 468. v. 18. dele *ac.* & l. *moderata.* f. 470. v. 2. l. *idipſum.* f. 473. v. 23. l. *perditos.*

Alia minutiora, & in Numeris marginalibus commiſſa, benignus Lector ipſi animaduertet.

